
NASCENTI
SALUTE
POPULIQUE
LIBRARY OF
THE NEW YORK BOTANICAL GARDEN
1902
September 1899
R. W. Gibson. Inv.

VOL. V 1°, 2°, 3° E 4° TRIMESTRES 1880

ARCHIVOS

DO

MUSEU NACIONAL

DO

RIO DE JANEIRO

Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.
J. 14. 321.

In silvis academi quœrere rerum.
Quamquam Socraticis madet sermonibus.
H.

SUMMARIO

Quadro do pessoal effectivo dos Membros Correspondentes do Museu.—Algumas palavras sobre a publicação nestes *Archivos* do texto completo da «Flora Fluminensis», de Fr. José Marianno da Conceição Velloso, pelo Dr. Ladislau Netto.—*Floræ Fluminensis seu descriptionum plantarum præfectura Fluminensi sponte nascentium*, etc.—Bibliographia.

VOLUME V

1880

RIO DE JANEIRO
TYP. ECONOMICA, DE MACHADO & C., RUA DE GONÇALVES DIAS N. 28.
—«»—
1881

W. JUNK
VERLAG u. BUCHHANDL.
f. NATURWISS. u. MATHEMAT.
BERLIN N.W.5

ARCHIVOS DO MUSEU NACIONAL

ARCHIVOS

DO

MUSEU NACIONAL

DO

RIO DE JANEIRO

Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.
J. 14. 321.

In silvis academi quœrere rerum.
Quamquam Socraticis madet sermonibus.
H.

VOLUME V

1880

RIO DE JANEIRO
TYP. ECONOMICA, DE MACHADO & C., RUA DE GONÇALVES DIAS N. 28.
—«»—
1881

COMMISSÃO DE REDACÇÃO

Ladislau Netto.

Orville A. Derby.

Nicolau J. Moreira.

QUADRO DO PESSOAL

DO

Museu Nacional do Rio de Janeiro

ADMINISTRAÇÃO

DIRECTOR GERAL

Dr. Ladisláu de Souza Mello e Netto.

SECRETARIO

Dr. João Baptista de Lacerda.

BIBLIOTHECARIO

Manoel da Motta Teixeira.

AMANUENSE

João da Motta Teixeira.

PRIMEIRA SECÇÃO

ANTHROPOLOGIA, ZOOLOGIA GERAL E APPLICADA E PALEONTOLOGIA

DIRECTOR

Dr. João Joaquim Pizarro.

SUB-DIRECTOR

Dr. João Baptista de Lacerda.

PRATICANTE

Manoel da Motta Teixeira.

PREPARADOR

Eduardo Teixeira de Siqueira.

SEGUNDA SECÇÃO

BOTANICA GERAL E APPLICADA E PALEONTOLOGIA VEGETAL

DIRECTOR

Dr. Ladisláu de Souza Mello e Netto.

SUB-DIRECTOR

Dr. Nicolau Joaquim Moreira.

PRATICANTE

João da Motta Teixeira.

PREPARADOR

Vicente Alves Ribeiro.

TERCEIRA SECÇÃO

SCIENCIAS PHYSICAS; MINERALOGIA; GEOLOGIA E PALEONTOLOGIA GERAL

DIRECTOR

Dr. Orville Adalberto Derby.

SUB-DIRECTOR

. . . . . .

PRATICANTES

Bacharel Antonio de Souza Mello e Netto.
Antonio Teixeira da Rocha.

PREPARADOR

Carlos Leopoldo Cesar Burlamaqui.

NATURALISTAS VIAJANTES

Dr. Fritz Müller.
Domingos Soares Ferreira Penna.
Carlos Schreiner.
Guilherme Schwacke.
Carlos Guilherme Friedenreich.

PORTEIRO

Carlos Leopoldo Cesar Burlamaqui.

CONTINUO

João Gonçalves Pereira Garcia.

MEMBROS CORRESPONDENTES DO MUSEU NACIONAL

Agard (G. H.)
Baillon (Henrique)
Barbosa du Bocage (J. V.)
Barcena (Marianno)
Beneden (Ed. Van.)
Bentham (Jorge)
Bom Retiro (Visconde do)
Bureau (Eduardo)
Burmeister (H.)
Candolle (Affonso de)
Coelho d'Almeida (Thomaz J.)
Cordella (A.)
Couty (Luiz)
Darwin (Carlos)
Daubrée (A.)
Decaisne (José)
Delpino (José)
Domeyko (Ignacio)
Diniz (Fernando)
Eichler (A. W.)
Ernst (A.)
Exner (Mauricio)
Fenzl (Ed.)
Ferreira Penna (D. S.)
Fries (Th.)
Glaziou (A. F.)
Gorceix (Henrique)
Hooker (José D.)
Jobert (Clemente)
Latino Coelho (J. M.)
Mantegazza (P.)
Milne Edwards (Aff.)
Milne Edwards (H.)
Morren (Ed.)
Naudin (Carlos)
Philippe (R. A.)
Pissis (A.)
Pringsheim (N.)
Quatrifages (A. de)
Radlkofer (L.)
Regnell (André)
Reichenbach (L. H. G.)
Reichardt (H. W.)
Schlegell
Tulasne (L. R.)
Virchow (R.)
Vulpian
Warming (Eugenio)
Wiesner (J.)
Wiener (C.)

ALGUMAS PALAVRAS

Sobre a publicação nestes Archivos do texto completo da «Flora Fluminensis», de Fr. José Marianno da Conceição Velloso.

Este volume dos Archivos do Museu Nacional, comquanto seja o de maior vulto dos que até este momento temos dado ao prélo, um só trabalho contém; mas este trabalho é nada menos que o texto completo da *Flora Fluminensis*, de Fr. José Marianno da Conceição Velloso,— infatigavel botanico brazileiro que logrou erguer no fim do seculo passado o maior monumento scientifico ainda hoje conhecido de auctor nacional. Notaveis lacunas, incorrecções frequentes encontram-se, é certo, ao longo de todo o trabalho que ahi vai exposto; mas que varonil coragem ou que robusto espirito, dos que a esse tempo mais se avantajaram no velho continente, houvera bastado a supplantar tamanhas difficuldades, tão numerosos tropeços;— difficuldades d'aquelles tempos e d'esse estado de remota colonia que era este Imperio, tropeços devidos ao segregamento em que vivia aquelle religioso de tudo quanto mais util lhe era ao trama e remate de uma obra de tal folego? Se actualmente tão avultados vemos os obices em que se acha o botanico dedicado á phytologia systematica, fóra dos grandes hervarios e longe dos centros consultivos europeus que um só,—o Sr. A. Grey, abstrahindo de taes recursos, pôde

occupar-se da Flora do seu paiz, sem commetter as faltas que outros não menos competentes não alcançaram evitar, em relação ás Floras asiatica e africana, que muito é que houvesse incorrido em alguns equivocos ou perdoaveis descuidos o botanico brazileiro, sem relações com os seus collegas da Europa, sem o exame dos hervarios alli depositados e n'uma épocha em que todo o vasto Imperio do Brazil, então simples colonia portugueza, vedado se achava aos passos dos estrangeiros ? Razoes de tamanha monta deveriam ter, de certo, pezado no animo do illustre naturalista, o Sr. Affonso de Candolle, para soffrear-lhe a ironica assersão com que se refere aos generos indevidamente creados por Velloso. Ao incansavel botanico brazileiro, nem siquer foi permittido o gozo de presidir á impressão do seu trabalho, durante a qual mui provavelmente elle o houvera expungido dos sinões a que acima me referí, e esclarecido e completado muitos pontos deficientes ou obscuros que ahi se notam. Preparado em 1790 todo o manuscripto a termo de poder ser dado ao prélo, aconteceu que sómente em 1825 fosse possivel ao Governo Imperial imprimil-o: 35 annos decorreram, portanto, entre aquella e esta data, e n'estes 35 annos o integro valor do trabalho se havia profundamente modificado. E basta, para isso, advertirmos que o systema lineanno adoptado por Velloso e geralmente acceito quando elle escreveu a *Flora Fluminensis* já estava de ha muito no seu occaso pelo anno em que se imprimiu este manuscripto. Mas não é isto ainda o peior: o maior mal que se deparou ao desventurado botanico está em que o primeiro quarto do presente seculo foi justamente o cyclo do maior numero de viagens, emprehendidas e realisadas por naturalistas europeus nas terras do Brazil e em particular na provincia fluminense e suas limitrophes.

St. Hilaire, Martius, Sellow, Pohl, Mikan, Schott, Raddi, Langsdorff, Gaudichaud e tantos outros botanicos e colleccionadores formaram n'essa quadra

collecção de muitos milhares de especies, innumeras das quaes tinham sido colhidas e determinadas por Velloso.

Os generos por este creados e deficientemente definidos pelas exiguas diagnoses que seu auctor delineou em 1790; as especies, do mesmo modo, mal definidas e pessimamente gravadas, pois que nem siquer foram com esmero copiados os desenhos originaes de que vimos não ha muitos annos alguns magnificos exemplares; todo esse conjuncto de desvantagens, trouxe-o, tanto em texto como em atlas iconographicos, a *Flora Fluminensis* no seu mais que serodio apparecimento. E claro é, pois, que si por todos os inconvenientes a que acima alludi, de fórma e de systema, não podia merecer a obra de Velloso mui grande acceitação no orbe da Sciencia, menos a devia esperar com o haver assim perdido a sua prioridade sobre tantos nomes, por 35 annos occultos no pó do esquecimento e só dados a lume quando cada um d'elles tinha sido substituido por denominação nova. Felizmente em nome dos direitos de prioridade que a Sciencia preconisa e defende, alguns generos, de direito, lhe pertencem e no tocante a estes generos, contamos que justiça se lhe ha-de fazer.

Do texto que ora tem publicidade uma boa parte havia sido dada ao prélo em 1825 por ordem do Imperador D. Pedro I, sob a direcção do naquelle tempo director da Bibliotheca Publica d'esta capital, Fr. Antonio da Arrabida, mais tarde, Bispo da Anemuria. A outra parte até hoje inedita, guardada desde então na mesma Bibliotheca e por ultimo generosamente cedida ás paginas d'estes *Archivos* pelo perspicuo e infatigavel Sr. Dr. Ramiz Galvão, a quem, para tão boa fortuna d'este paiz, está confiada a direcção d'aquella Bibliotheca, esteve a ponto de ser publicada por ordem de alguns ministros e em particular sob formal deli-

beração do sempre lembrado Conselheiro Bellegarde. Circumstancias imprevistas, porém, não lhes permittiram que lograssem fazel-o: coube esta gloria ao Museu Nacional, o paladino de todos os grandes impulsos que entre nós têm recebido neste decenio transacto o estudo e a estima das Sciencias Naturaes; ao Museu Nacional, o expositor e depositario dos thesouros que estas Sciencias ensinam a conhecer.

Seja-lhe mais este emprehendimento novo titulo que o recommende ao Governo e ao publico d'este paiz: Ao Governo, a quem nem sempre occorre ou lembra o que tantas vezes requer o seu bem entendido auxilio; ao publico, para com o qual não póde o Museu Nacional deixar de manifestar a gratidão que lhe deve pelo efficacissimo e nunca assaz louvado apoio em favor de quanto lhe ha pedido nos seus mais urgentes carecimentos.

Museu Nacional, em 8 de Julho de 1881.

Ladislau Netto

Director Geral.

FLORÆ FLUMINENSIS,

SEU

DESCRIPTIONUM PLANTARUM PRÆFECTURA

FLUMINENSI SPONTE NASCENTIUM

LIBER PRIMUS

AD SYSTEMA SEXUALE CONCINNATUS

AUGUSTISSIMÆ DOMINÆ NOSTRÆ

PER MANUS

ILL.MI AC EX.MI

ALOYSII DE VASCONCELLOS & SOUZA

BRASILIÆ PRO-REGIS QUARTI

&c. &c. &c.

SISTIT

FR. JOSEPHUS MARIANUS A CONCEPTIONE VELLOZO

PRÆSB. ORD. S. FRANC. REFORM. PROV. FLUMIN.

1790

FLUMINE JANUARIO

APUD MACHADO & C. VIA GONÇALVES DIAS N. 28

1881

ILLme AC EX.^mo DOMINO

ALOYSIO VASCONCELLIO SOUZA

A SACRAT.
FIDEL. MAJEST. CONSIL. TOTIUS DITIONIS BRASILICÆ TERRÆ, MARIQUE
PRO-REGIS, PRÆTORIQUE GENERALI
&c. &c. &c.

En, Domine Excellentissime, tui mihi impositi præcepti fructus tenuissimi. Plantarum indivi hua mille, et ferme septies centum ordinatione tua observavi, delineare feci; ad Linnæanamque nomenclaturam juxta sexuale Systema reduxi. Optabam igitur, quod per manus Tanti Viri ea Excelsæ Nostræ Reginæ sisterent, Regioque Musæo locarentur. Sed non tam rerum ignarus sum, ut opus meum Tanta Regina dignum existimem, vel me tantâ eruditione in Scientiis Naturalibus præditum arbitrer qui illud ab omni errore facerem immune. Quare amplissima hac provincia eminentioribus relicta ingeniis, Te, Vir Excellentissime, ut hunc exiguum laborem explicata, uti soles, fronte recipias, Dominæque Nostræ offeras, vehementer rogo. Cum enim tuam erga me benevolentiam recogito, simul et honorem; cum facillima, aberrimaque media ad ejus perfectionem a Te suppeditata; cum feracissimum solum ad ditissimam Floram efficiendam; cum ingentes Tuas virtutes, atque mentis acumen quæ per totum istius laboris curriculum sum miratus, ruminor, tota mente, et artubus contremisco: profecto enim cognosco, quod nihil Tuo nomine dignum lucubraverim; dignum nihil Augustissimæ omnium Imperantium Reginæ præsentandum.

Unde meo ausui unum tantum superest solatium, scilicet, has naturæ productiones tam magnis perfectionibus esse præditas, ut possent in eis magnorum Regum nomina inscribi. Fuisse aliquando primitivorum Principum earum contemplationem non alienum oblectamentum neminem latere arbitror: inter tot Imperii maximas curas etiam nunc illorum est Principum, qui in deliciis habent populo suo ingentes comparare

proventus, per omnes Regnorum suorum ditionis plantas investigari indigenas, ut exinde quid in illis utilitatis sit, dignoscatur. Nonne hæc jubere facere, urgere Amabilissimæ Reginæ, Dominæ Nostræ immortalis est gloria? Cæterum cum totius hujus operis totum Tui sit, Vir Excellentissime, nihilque mei nisi ad sexualis Systematis compaginem plantarum relatio, quod tuum est, Tibi jure reddo. Imperfectum quidem opus haud diffitear; cum tamen illud per Te Sublimi Dominæ fuerit oblatum, tunc quidquid laudis solet hujus generis laboribus tribui, obtinebit. Si hunc adeptus sim honorem, maximum mihi præmium pro ingenti ardore, quo omnia a Te imperata fui semper prosequutus. Te Lusitani Regni Columen, Brasiliæque Desiderium, et Gloriam, ac per amabilem Dominum meum sospitem servet D. O. M. Dabam Fluvii Januarii apud D. Antonii Cœnobium, quarto Kalendas Julii anno 1790.

Ill.[me] *ac Ex.*[me] *Domine.*

Ad Tua provolutus genua
Servus devinctissimus

Fr. Josephus Marianus a Conceptione Vellozo.

PETRO

NOMINE AC IMPERIO PRIMO

BRASILIENSIS IMPERII

PERPETUO DEFENSORE, IMO FUNDATORE,

SCIENTIARUM, ARTIUM, LITTERARUMQUE

PATRONO ET CULTORE

JUBENTE,

FLORA FLUMINENSIS

A' FR. JOSEPHO MARIANO A CONCEPTIONE VELLOZO

ORDINIS MINORUM

COLLECTA, DESCRIPTA, ET ELABORATA

ANNO M. D. CC. XC.

EX M. S. COD. IMPERIALIS BIBLIOTHECÆ ERUTA

NUNC PRIMO

EDITUR

FLUMINE JANUARIO

A. D. M. DCCC. XXV

IMPERII IV.

Illustrissimo e Excellentissimo Senhor.

Passando em revista, como convém, a Biblotheca Imperial e Publica de que Sua Magestade o Imperador me fez a honra de encarregar, eu encontrei o Manuscripto da—Flora Fluminense—que no tempo do governo, nesta Provincia, de Luiz de Vasconcellos, depois Conde de Figueiró, por seus conselhos e soccorros, colligio, descreveu, e fez desenhar o Padre Fr. José Mariano da Conceição Vellozo, e a este mesmo illustre Patrono dedicou no anno de 1790. Foi grande em mim o prazer de encontrar este Escripto, que ha muito tempo, e repetidas vezes tinha ouvido citar e elogiar a não poucos Sabios, e apreciadores deste ramo das Sciencias, e que julgava inteiramente perdido. Procurei portanto examinal-o, e para melhor e cabalmente o conseguir, roguei ao meu amigo, o sabio Doutor João da Silveira Caldeira, o quizesse rever, ao que benevolamente se prestou; vindo por este exame a convencer-me, que esta Obra, tal qual existe, formada com saber, precisão, e muito trabalho, completa em quanto ás Estampas, mas falta das ultimas, e poucas descripções, é comtudo digna de apparecer, e utilissimo que se publique: pois que a Empreza da sua impressão augmentará, se é possivel a gloria do Governo de Sua Magestade Imperial, verdadeiramente Fundador; dará a ver a riqueza, neste genero, e nesta pequena parte do Brasil, conhecimento que tantos Sabios estranhos ardentemente buscam, e com tantas fadigas principiam a colher; obstará a que muitos se apropriem da gloria, e dos fructos dos suores alheios, servirá de estimulo, e mesmo de guia a outros, que a um tão bello, como util trabalho se dediquem; mostrará a que gráo o genio Brasileiro póde elevar-se nas Sciencias e nas Artes, quando simplesmente auxiliado; e finalmente ao menos offerecerá um bem, do meio de tantos males, que dessa época se costumam contar.

Tal é o conceito que fórmo d'esta Obra, e que o meu zelo me obriga a expor a V. Ex.ª, para ser levado ao conhecimento de Sua Magestade o Imperador: assegurando que, se Sua Magestade Imperial Se Dignar, como rogo, e espero, Mandar publical-a, convindo que o texto aqui seja impresso, nós nos offerecemos para dirigirmos, e correccionarmos a Impressão, enviando-se a Pariz os desenhos, para serem ahi lythographicamente estampados, na Officina de Lasteyrie, primitiva neste genero, e que ainda não foi excedida por nenhuma: pois seria descredito além de perda, entregar a outrem desenhos tão exacta, como nitidamente feitos, e de uma tal Obra. Deus Guarde a V. Ex.ª muitos annos. Bibliotheca Imperial e Publica, 18 de Abril de 1825.—Illm.mo e Ex.mo Sr. *Estevão Ribeiro de Rezende.*—De V. Ex.ª muito attento Venerador e Subdito

Fr. Antonio d'Arrabida.

Delineatores Iconum Floræ Fluminensis

Fr. Franciscus Solanus Benjamim	Ord. Min. Reformat. Provinciæ Conceptionis alumnus, Sac. Theol.
Franciscus Emmanuel Silvius Mellus	Secundus peditum præfecti Legatus.
Josephus Correa Rangel	Adjutor Machinatorum bellicorum operum.
Josephus Anicetus Rangel	Candidatus Machinatorum bellicorum operum.
Joannes Franciscus Xaverius	Unus ex decurionibus primæ Legionis Fluvii Januarii
Joachimus de Souza Marrocos	Miles a Custodia equestri Domini Pro-Regis.
Firmianus Josephus Amaral	Pictor
Antonius Alvaresius	Pictor.
Josephus Gundisalvus	Pictor.

SENDO presente a Sua Magestade o Imperador a Representação do Bibliothecario da Bibliotheca Imperial e Publica da Côrte, Fr. Antonio d'Arrabida, em que expõe quanto conviria á gloria deste Imperio, e á utilidade e instrucção de seus habitantes a publicação da Flora Fluminense, que colligio, descreveu, e fez desenhar o Padre Fr. José Mariano da Conceição Vellozo, e que existe manuscripta na referida Bibliotheca: O Mesmo Augusto Senhor, Louvando o reconhecido zelo do mencionado Bibliothecario, por tudo quanto possa acreditar o genio Brasileiro; Manda pela Secretaria d'Estado dos Negocios do Imperio, que o texto da sobredita Obra seja aqui impresso debaixo da sua correcção e do Dr. João da Silveira Caldeira: ficando autorisado tambem para enviar os respectivos Desenhos a Pariz, afim de se estamparem lythographicamente na Officina de Lasteyrie, ou em outra de igual perfeição, tomando a seu cargo a direcção destes trabalhos louvaveis, e muito analogos ao seu patriotismo; e apresentando finalmente as Contas da Despeza, que a este respeito se fizer em Pariz, para ser embolçado, ou para se expedir a Ordem precisa para alli se verificar aquelle pagamento: E manda outrosim participar ao referido Bibliothecario que nesta data são expedidas as competentes Ordens á Junta da Typographia Nacional sobre a impressão da mencionada Obra e suas Dedicatorias. Palacio do Rio de Janeiro, em 25 de Abril de 1825.

Estevão Ribeiro de Rezende.

FLORÆ FLUMINENSIS.

CLASSIS I.

MONANDRIA.

MONOGYNIA.

1. Canna.

1. C. *indica*. (Tab. 1.ª T. 1.ª)
2. C. *angustifolia*. (Tab. 2.ª T. 1.)
2. C. *flore luteo*.

OBSERVATIONES.

An varietas? nam ab utraque aliquid insumit, nempe, a C. indica foliationem, et fructificationem, a C. angustifolia caulis elationem, et natale solum inundatum; sed ab utraque colore floris flavescente, et non igneo penitus recedit.

Præter Agrostopolim speciem ultimam nullibi offendi. Reliquæ ubilibet *maritimis*, nempe, vel *mediterraneis* haud infrequenter *habitant*, hoc tantummodo discrimine, quod C. angustifolia *humidum solum*, *locaque depressiora*; *C. indica sicca, elatioraque amat*.

C. indica ab indigenis nomen *Mbeery*; C. ang. vero *Albará* impositum fuit. Ut in prolatione nominis *Mbeery* non hæsites, primam litteram demere, si volueris, poteris, vel secundam *Beery*, vel *Meery* proferendo.

C. ind. utuntur, vel suffimigiis, vel radicis mortario pistillo contusæ, pauxillo aquæ e saccaro stillatitiæ infusæ membrorum paralysi invalidorum frictionibus.

2. Amomum.

1. A. *zinziber*.

OBSERVATIONES.

Exoticum est: non floret, sed frequenter in hortis colitur, ac per radicum stolones affatim propagatur. Cum sit officinis notissimum, in ejus expositione non immoror.

Monandria. Monogynia.

3. Alpinia.

1. A. *racemosa*. A. foliis oblongis. (Tab. 3.ª T. 1.)
2. A. *humilis*. A. foliis lanceolatis. (Tab. 4.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Nullam de A. humili Cl. Lin. mentionem fecit; Cl. Aubletius sub eodem triviali nomine descripsit; sed characterem specificum in multi cauli (si rite recordor) constituere fecit, quod sanæ rationi congruere non videtur, cum racemosa etiam multi caulis sit.

Etsi Cl. Rottboel dicat A. nostram ad Amomi genus pertinêre, cum Amomum nostro climate non floreat, occasionem non habui florem inspiciendi, si idem, ac A. foret. Ideirco hæc quæstio aliis solvenda relicta manet. Certo certius uti in Amomo qualitas acris, etiamque fragans, Alpiniæ humilis radici altius inhæret.

Indigenæ nomen *Pacoseróca* ad distinctionem *Pacó-caatinga* imposuêre, quod hodie aliqua corruptione, id est,—*Pacó-bá* tenet. Fructus ejus contusus cum mali citrei succo permixtus colorem nigrum præbet.

Mensibus calidis floret: *ac maritimis, et mediterraneis habitat: solum humidum amat.*

4. Curcuma.

1. C. *longa*.

OBSERVATIONES.

Nostro climate florêre renuit. Hortis ejusdem cultura haud infrequens est: per radicum stolones propagatur: quamplurimosque usus præbet; hoc est, coquinarii, qui croceo indigent, ea colore croceo dapes inficiunt, quibus quoddam aroma pallato non ingratum addit. Medici celebri suo *qui pro quo* croceo sufficiunt. Tinctorii coria depingunt.

5. Costus.

1. C. *arabicus*. (Tab. 5.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Hujus generis tres varietates extare comperi; C. *flore albo*, nectario flavescente satis odorifero: 2. C. *flore incarnato*, hoc est, dilúte coccineo inodóro: 3. C. caulæ, foliisque vilosis.

Monandria. Monogynia.

Indiginæ nomine *Pacó-caatinga* appellarunt; Lusitani vero *Canna do bréjo*. D. Aubletius æquivocationem passus fuit, cum asseruit Costum nostrum, et *Genipá* dici, et atramentum præbere, cum neutrum sit verum; nam planta, quæ *Genipá* dicitur apud *Indigenas*, toto cœlo a *Costo* differt; quia arborem esse atque ad 5.^{am} Classim pertinêre, itidemque ex cortice ejus contuso *Indigenas* atramentum, quo pinguntur, educere norunt omnes, qui Lin. Systema plantarum legerunt.

Quamquam eadem sit species ac *Costus arabicus*, attamen cum nostri radix, aromate destituatur, illius virtutibus non esse præditam autumo. Vulgo caulis succo exsucto in gonorrhæis utitur. Cayanenses ad Cancros recentes e Venere non ortos curandos adhibent. De quo CL. Prefontænius, ac Bomarius consulendi.

Mensibus calidis floret, *ubique provenit, solum amat aquosum.*

67. Maranta.

1. M. *humilis*. M. foliis plurimis, ovatis, acutis. (Tab. 6.ª T. 1.)
2. M. *bicolor*. M. foliis plurimis, ob-ovatis, obtusis. (Tab. 7.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Bicolor est; nam parte foliorum prona colore violaceo; supina, viridi inficitur; saturatiores eo evadunt, quo magis ad rachim accedunt; ita ut sericum villosum repræsentare videntur. Hæc species a præcedenti foliorum expansione, caulium crassitudine longe differt.

3. M. *pumilla*. M. foliis plurimis, lanceolatis. (Tab. 8.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Folia sicut in immediate præcedenti, coloris varietatem, etsi gradu remissiori, habent. Præterea ei sunt bracteæ patentes, acutæ, coloratæ. M. species supra relatæ, si claritatis gratia aliam subdivisionem admittere debemus, ad depressiores pertinent, sequentes vero ad elatiores, cum caulis altitudo humanam multoties exæquet.

4. M. *clavata*. M. foliis binis, ovato-lanceolatis. (Tab. 9.ª T. 1)

OBSERVATIONES.

Scapi non e centro plantæ, sicut in reliquis, sed e sinu laterali foliorum

Monandria. Monogynia.

prorumpunt. Stipula radicali involuti. Bracteæ comæ sunt obovatæ limbo aliquantulum reflexo; coma supra, infraque coangustata.

5. M. *prolifera*. M. foliis hinc inde solitariis, sinu bina alia prolificantibus basi similiter coadunata. (Tab. 10.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

In aliqua plantarum familia Fluminensis Floræ hanc singularem foliationem non inveni, flores nec vidi, sed ex plantæ habitu ad M. pertinère intuli.

6. M. *monophylla*. M. foliis singularibus, ac ad quodvis folium scapo singulari.. (Tab. 11.ª T. 1)

OBSERVATIONES.

Tot sunt hujus speciei folia, quot scapi eadem longitudine donati. Comarum apices sunt utrinque crenati. Radices vero circulariter Lilii ad instar Stolones progerminant; cæteræ autem longitudinaliter. Quamvis scapos, et comas viderim; flores observare non potui, quia non aderant.

7. M. *mischanta*. M. scapis petiolorum canaliculis incumbentibus. (Tab. 12.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Naturæ Auctor in varietate specierum hujus generis ludere videtur, singulis aliquod singulare attributum præbens; nam huic, ut ab aliis discriminaretur, hæc tribuit; 1.um folia emarginata; 2.um dispositionem foliorum insertione ventilabri muliebris ad instar: 3.um scapos intra petiolorum canaliculos incumbentes, et a membrana vaginante tectos, unde tempestate pluviosa multoties flores lucem non vident. Ex. plantæ habitu M. esse argumentum duxi.

8. M. *tuberosa*. M. scapo brevissimo. (Tab. 13.ª T. 1.)

OBSERVATIO. 1.ª

In hujusmodi specie scapi e sinu duorum petiolorum proprius ad foliorum spansionem proveniunt; unde scapi brevitas, cum in reliquis proprius ad basim oriri solent, sint scapi longiores.

OBSERVATIO. 2.ª

Omnium M. species, de quibus hactenus verba feci, copiose offenduntur *ad radicis Fluminensium Alpium, quas Lusitani Serra do mar, Aborigines Parani-*

piacaba, vocant. Etiam ad radicis alterius montis Jerisinó dicti, qui Parochiis, Campo grande, ac *Marapicú* limitem præscribit.

Stricte loquendo scapi e radicibus nunquam immediate prodeunt; sed e foliorum petiolis basi coadunatis; etsi pro plantæ conditione, vel ad basim, vel ad medium, vel ad apicem coadunentur, in quo stare videtur mirum illud artificium, per quod, cum sint acaules, caulis defectum supplevit natura. Præterea plantæ teneritudini hac coadunatione consuluit, eam tenacitatem præbens, quæ vi haud facile disrumpi, aut secerni, folia possunt, et ad orgyalem altitudinem crescere facit.

Apud nostrates hucusque usus mechanicus, vel medicus illius nullus est. Quidquid de sua M. D. Aubletius dicat. Brasilico nomine caret; *loca umbrosa, et arboribus tecta amat;* Sept., Oct., Novemb. floret.

7. Thalia.

1. T. *geniculata*. T. foliis ovato-oblongis. (Tab. 14.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

R. fibrosa.

C. culmus, erectus, vaginatus, crassus, vix dig. 2., altus org. 1., geniculo singulari ad exortum petiolorum.

R. e geniculo orti, divaricati, etiam geniculo singulari instructi propre spansionem foliorum.

F. caulina, ramea, petiolata, alterna ovato-acuminata, scariosa.

P. teretes, singulari geniculo instructi.

Ped. axillares, paniculati, stipulati (stipula ad quemvis exortum pedicellorum).

2. T. *marantifolia*. T. foliis ellipticis, obtusis; apice contorto. (Tab. 15.ª T. 1).

OBSERVATIONES.

Ex habitu plantæ præcedenti simili Th. existimavi. Flores non vidi.

3. T. *colorata*. T. foliis spathulatis. (Tab. 16.ª T. 1.)

Descriptio.

R. fibrosa.

C. teres, procumbens, annuus, geniculatus, stipulatus; (quos vidi) longi dig. 6. lat. lin. 2.

R. nulli.

Monandria. Monogynia.

P. caulini, vaginati, geniculati (geniculum habent singulare ad expansionem foliorum) canaliculati.

F. caulina, conferta, patentia, petiolata, subspathulata, nervosa, scariosa, persistentia, folia supra violaceo-colorata.

St. ad quodvis geniculum, basi amplexicaules, lanceolatæ, longissimæ, persistentes.

Ped. caulini, teretes, solitarii, oppositi-folii, longi, bracteati, multiflori.

Br. ad quemvis pedicellum (eádem figura, et natura, ac stipulæ).

Infl. racemosa; pedicelli remoti; corolla alba: filamentum staminis est nectarium, petaloideum, ad basim lineare, ad apicem satis ampliatum, trilobatum: lobo intermedio filamentum brevissimum: anthera bilocularis subrotunda: pistillum filiforme, ad apicem aliquantulum ampliatum, quadridentatum, contortum. Fructum non vidi.

4. T. *erecta*. T. foliis ovato-oblongis, acutis. (Tab. 17.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Nec flores, nec fructum vidi. Radix orbiculariter propagatur.

5. T. *tuberosa*. T. foliis lanceolatis. (Tab. 18.ª T. 1.)

Ch. nat. sp.

Radix horizontaliter discurrens ad terræ superficiem, varias radiculas, seu fibras in terram emittens: ad quamvis radiculam tuberculo singulari.

C. nullus, si radicem externe procumbentem non dixeris.

F. bina, petiolata, stipulata, lanceolata.

P. longissimi, erecti, vaginati, teretes, sublineares.

Sc. brevissimi, teretes, multiflori, multibracteati.

Inf. terminalis, fasciculata. Corolla monopetala, quinque-partita, duobus interioribus laciniis amplioribus, ovatis: tribus exterioribus angustioribus, acutis. Nectarium petaloideum, bipartitum, vices gerit filamenti. Nam et stylum teretem, curvum, et stamen planum, trilobatum agit.

OBSERVATIONES.

Folia parte prona violaceo colorata. Florem fimbriatum, seu undulatum a P. Plumierio descriptum, et a Cl. Linæo pro charactere essentiali assignatum in aliqua ex Thaliis a me descriptis non vidi: nec etiam florem instar Lilii egregii, curvati, et ignei coloris, ut scribit Maregravius de flore *àgutìgue póobi*

Monandria. Monogynia.

per Cl. L. ad *Thalias* relatum. Perperam etiam dicitur radices assatas a nostratibus edi. Idem dicendum est de expositione asserente *indigenas* nostros silvarum habitantes ex his tela conficere: 1.° quia repugnat teneritudini caulium; 2.° quia ad manus nostras eorum tela quotidie adducuntur, quæ ex ligno palmæ vulgo dicto *Iri*, vel ex alia materia durissima sunt confecta. *Thaliæ*, quas describo, nomine Brasilico *Caeté* sunt recognitæ. Ad nihil aliud hucusque inserviunt nisi ad obturanda foramina calathorum ex arundine *Brasilica Taquára* confectorum; quibus, vel equorum dorso, vel Æthiopum silvæ Cultores nostri larda, legumina, cæterosque commeatus suos, vel ad domum, vel ad oppida quotidie important. *Silvis maritimis æque ac mediterraneis habitant: loca umbrosa, ac sicca petunt.* Primo-vere florent.

8. Boerhaavia.

1. B. *hirsuta*. B. caule lævi, diffuso, pubescente, foliis ovatis, repandis. (Tab. 19.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caules procumbunt supra terræ superficiem longitudine multo majori, quam pedalis.

Ch. nat. spc.

R. annua, fusiformis.

C. herbaceus, plusquam pedalis, diffusus, procumbens, pubescens.

R. patentes, opposita.

F. caulina, ramea, axillaria, opposita, petiolata, ovata, repanda, subtus albida, villosa.

Inf. racemosa, composita. Corolla sanguinea: stamina duo: stigma, atque antheræ capitata; semina oblonga, aspera, viscosa.

OBSERVATIONES.

Læte, ac undequaque provenit in terris noviter cultis. Rusticani ad varios medicos usus, quos ignoro, adhibent, nomineque *herva tostão* utuntur: vim emeticam, quam Aubletius ei tribuit, habere mihi non constat.

9. Strukeria.

Ch. ess. gener.

Calyx monoph. calcaratus, corollam obvolvens; stamen unum medio fissum.

Monandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

C. Periant. monoph. calcaratum, sursum protensum ad longitudinem pistilli, corollam obvolvens: antice denticulos 3 simulans.

C. (Si perianthii protensionem pro petalo non acceperis) petalatria ad laminas ligulata, ad ungues linearia, subæqualia, conniventia, pistillo breviora.

Nectarium calycinum, posticum, calcaratum longitudine petalorum.

St. filamentum unum, caudatum; cauda in nectarium calycinum intromissa, deinceps in duo divisa ad apicem usque, ubi iterum coalescit: longitudine nectarii calycini, et petalorum: anthera acuminata.

Pist. germen subrotundum: stylus subulatus, longitudine protensionis perianthii (duplam proportionem ad petala, stamenque habet) stigma obtusum.

Per. non vidi.

Sem. nec etiam.

1. S. *oppugnata*. (Tab. 20.ª T. 1.)

Ch. nat. spc.

C. arboreus, erectus, teres, glaber, ramosus.

R. oppositi, patentes.

F. ramea, bina, petiolata, lanceolata, integerrima, acuminata, glabra, persistencia.

Ped. racemosi, foliorum longitudine.

OBSERVATIO. 1.ª

Floret Jul. Aug. *Silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis habitat*. Nomen vulgare mihi ignotum.

OBSERVATIO. 2.ª

Hoc plantæ genus Viollæ nimis affine: si pericarpium observassem, forte ad hoc genus amandassem; quin esse Monandriæ classis mihi obstaret, cum a Cl. Linæo Viollis adnumerari non obstitit Violla Diandria.

Strukeriam dixi in memoriam Cl. Josephi Eduardi Struk Chimiæ, et Medicinæ Professoris Lovainensis, de rebus naturalibus optime instructi.

Monandria Digynia.

10. Callitriche.

1. C. *verna*. C. foliis cuneiformibus, floribus androgynis. (Tab. 21.ª T. 1).

Monandria. Diggnia

OBSERVATIONES.

Hanc plantam, cum in mediterraneis Paratyenses trans Alpes fuissem, quodam lacusculo a pluviis facto, via regia, qua ducitur ad Pagum Cunha, prope prædium vulgo dictum Boavista, semel tantum offendi: delineatoribus traditam, ut delinearetur, amplius non vidi: locum, ubi primum inventa, repetii, ut iterum austeriori examine inspecta fuisset, sed in cassum; quia ramum cum flore vidi nullum. Quo facto, si aliquis post me fuerit, qui per hanc plagam excursiones Botanicas faciat, eam veram esse Callitrichen, vel aliud genus judicabit. Petala, si rite recordor, vidi nulla, si aliqua ex foliolis ultimis ejusdem coloris, naturæ, ac figuræ foliorum communium plantæ, pro petalis non assumantur. Pistilla, et stamen unum inter foliola hæc exserta tantummodo vidi.

FLORÆ FLUMINENSIS.

CLASSIS II

DIANDRIA.

MONOGYNIA.

11. Nyctanthes.

1. N. *arbor-tristis*. N. caule tetragono; foliis ovatis, acuminatis; pericarpiis membranaceis, compressis. (Tab. 22.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Hortis colitur. Asiatica est. Noctu floret, suavissimeque olet. Tubus corollæ flavescens: croceo coquinis sufficitur. Vulgo dicitur *Açafroeira*.

12. Jasminum.

1. J. *fluminense*. J. foliis oppositis, ternatis, lanceolatis. (Tab. 23.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Differt ab J. azorico; 1.° foliolis lanceolatis: 2.° corolla septem partita: 3. flore inodoro. Floret Oct. Nov. Dec. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis*.

2. *J. officinale*.

OBSERVATIONES.

Colitur in hortis, tum mediterraneis, tum maritimis.

13. Veronica.

1. *V. litoralis*. V. pedunculis spicatis; terminalibus. (Tab. 24.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. suffructicosus, erectus, teres, ramosus.

R. oppositi, patentes.

F. caulina, opposita, deflexa, petiolata, lanceolata, integerrima, acuminata.

Diandria. Monogynia.

Ped. terminales, solitarii, multiflori, bracteati, mediocres.

Infl. spicata. Corolla tubulosa, ore ampliato, quadrifido: laciniæ lineares, reflexæ: tubus calyce longior: stamina filamentis filiformibus, corolla longioribus; antheræ erectæ, lanceolatæ, biloculares. Pistillum germine sobrotundo ad basim coangustato: stylo filiformi. Pericarpium subrotundum, compressum, pedicellatum, biloculare. Semen unum in quovis loco, compressum, rotundum.

OBSERVATIONES.

Silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis prope litus, ad loca arenosa habitat. Floret mensibus Aug. Sept. Nomine vulgari, ac usu caret.

Etsi in omnibus Veronicæ caracter adimpleri non videatur, attamen Veronicarum varietas ansam mihi præbuit earum familiam hac specie augendi.

2. V. *fluminensis.* V. caule herbaceo, corolla quinque partita. (Tab. 25ª., T. 1.)

Ch. nat. spec.

R. fibrosa, annua.

C. teres, erectus crassitudine lineare, pillosus.

Ram. pauci, patentissimi.

Fol. subsessilia, opposita, pillosa, lanceolata.

Fl. sessiles, solitarii, axillares.

Cor. dilute violacea, quinque partita: calyx quinque partitus, brevis. Filamenta tubo connata. Antheræ duæ biloculares, lanceolatæ: duo alia rudimenta staminum habet. Pistillum stylo filiformi, stigmate emarginato. Pericarpium oblongum, compressum, pedicellatum, ad medium coangustatum, unde quadriloculare forte dici potest, nam quatuor semina habet solitaria binis utrinque receptaculis.

Abunde provenit locis umbrosis ad vias maritimas Regii Prædii Sanctæ Crucis. Floret Aug. Sept; mensibusque callidis. Nec usum, nec nomen vulgare scio.

14. Dianthera.

1. D. *brasiliensis.* D. spicis solitariis, compositis. (Tab. 26.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. herbaceus, linearis, teres, erectus.

F. petiolata, lanceolata, integerrima, patentissima, longissima.

Ped. terminales, breves, compositi.

Infl. spicata. Corolla ringens, bilabiata: labio superiori ovato, acuto, in-

Diandria. Monogynia.

feriori trilobato; lobo intermedio subrotundo. Perianthium quinque dentatum. Bractea singularis, obovata ad quemvis florem.

Offendi florentem Aug. *silvis Regii Prædii Sanctæ Crucis, ad ripas fluvii, vulgo dicti Taquay.*

2. D. *comata*. D. spicis comosis. (Tab. 27.ª T. 1).

Ch. nat. spec.

C. herbaceus, pedalis, hirtus, crassitie pennæ anserinæ, sub-ramosus.

F. sicut in præcedenti, aliquantulum latiuscula.

Ped. terminales, aliquando axillares.

Infl. perianthium quinque partitum, laciniis subulatis. Bracteæ magnæ, verticilariter positæ, subcordatæ comam efficientes, laxæ.

Floret Sept. Oct. *Habitat campis apricis trans-alpinis.* Corolla externe alba, intus purpurascens.

3. D. *spicata*. D. spicis terminalibus, strictis, bracteis minimis deciduis. (Tab. 28.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. subscandens, geniculatus, striatus.

F. decidua.

Infl. spica stricta, bracteis minimis.

Floret Aug. *Habitat silvis maritimis propre Taguayenses Alpes.*

4. D. *serrata*. D. spicis terminalibus, axillaribusque; foliis remote serratis. (Tab. 29.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. herbaceus, erectus, simplicissimus.

F. sicut in præcedentibus, sed serrata dentibus remotis.

Ped. axillares, terminalesque: bracteis magnis, ovatis.

Nulla ex Diantheris vulgo est denominata, usuque aliquo recepta.

5. D. *arvensis*. (Tab. 30.ª T. 1.)

Descriptione in authographo caret.

13. Justicia.

1. J. *geniculata*. J. foliis ovatis, caule herbaceo, bracteis cuneiformibus. (Tab. 31.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

R. annua, fibrosa.

Diandria. Monogynia.

C. herbaceus, pedalis, crassitudine duarum linearum; geniculatus, teres, glaber, simplex.

F. caulina, petiolata, opposita, integerrima, ovato-acuminata, lævia.

Ped. terminales, breves, bracteati.

Br. tres ad quemvis florem, cuneiformes, integerrimæ.

Infl. spicata, terminalis. Calyx hexaphyllus: foliolis brevissimis, lanceolatis. Stamina ad faucem corollæ inserta; stigma truncatum.

2. J. *dianthera*. J. fruticosa labio corollæ inferiori revoluto, antheris bilamelatis. (Tab. 32.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. fruticosus, erectus, teres, cubitalis.

R. sparsi, patentes, plurimi.

F. ramea, petiolata, opposita, lanceolata, deorsum tendentia, integerrima, nitida, decidua.

Ped. terminales, bracteati.

Brac. ad basim pedunculi plurimæ, dein ad quemvis florem duæ lanceolatæ.

Infl. spicata, corolla tubulosa, bilabiata, labio superiore fornicato, inferiore convoluto.

St. corolla longiora. Antheræ bilamelatæ. Pistillum staminibus longius. Stigma subrotundum. Perianthium pentaphyllum: foliolis lanceolatis. Color corollæ vel est purpureus, vel coccineus.

Neutrius semina vidi. *Incolæ haud infrequentes sunt silvarum nondum cultarum, cum maritimarum, tum mediterranearum. Solum umbrosum, arenosum, etiamque humidum non renuunt.*

16. Salvia.

1. S. *clausa*. S. ore corollæ clauso. (Tab. 33.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. herbaceus, tetragonus, suberectus, inanis.

R. oppositi, patentes.

F. petiolata, ovata, serrata, opposita, subreticulata.

Ped. terminales.

Infl. racemosa, verticilata. Corolla tubulosa, ore clauso, foraminulo excepto, per quod pistillum exit. Calyx monophyllus, bilabiatus, altero labio

Diandria. Monogynia.

productiore. Stigma bifissum. Stamina Salviarum propria. Color corollæ coccineus.

OBSERVATIONES.

Nec nomen vulgare, nec usum scio. *Accola est camporum apricorum mediterraneorum.*

Dec. Jan. Feb. floret.

2. S. *silvestris*. S. foliis lanceolatis, caule quadrangulari, floribus solitariis. (Tab. 34.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. herbaceus, quadrangularis, subscandens.

R. decussati.

F. petiolata, opposita, lanceolata, serrata.

Fl. axillares, solitarii, pedicellati. Calyx bilobatus; lobi subæquales. Corolla tubulosa, calyce multo longior, ad faucem coangustata, bilabiata, utroque labio fornicato, sed labio superiori longiore, sub quo stamina, et pistillum: rictus oris patens. Stamina exserta. Pistillum corolla longius ad apicem villosum; stigmate diviso. Semina quatuor ovalia. Color corollæ coccineus.

OBSERVATIONES.

Supra ramos silvarum mediterranearum recumbit, quibus opus est ob gracilitatem caulis. Floret Jul. Aug. Sept. *Eam offendi silvis mediterraneis prope Ædiculam Dominæ Nostræ ab Exilio ad Pagum Boavista.*

3. S. *agrestis*. S. foliis lanceolatis, caule herbaceo, floribus racemosis. (Tab. 35.ª T. 1)

Ch. nat. spec.

C. herbaceus, pedalis, teres, striatus, ascendens, subramosus.

F. petiolata, opposita, lanceolata, serrata, villosa.

Ped. axillares, racemosi, pedicellis oppositis.

Infl. racemosa: perianthium villosum, striatum, monophyllum, quinque dentatum: ore ampliato, laxo. Corolla tubulosa, bilabiata, labiis fornicatis, inferiore productiore. Pistillum longitudine corollæ, stigmate subdiviso, adunco.

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis. Eam offendi prope prædium derelictum vulgo Parição via Regia, qua ad oppidum Cuba ducitur.

Diandria. Monogynia.

17. Gratiola.

1 G. *monieria*. G. foliis ovali-oblongis, pedunculis unifloris, caule repente: (Tab. 36.ª T. 1.)

Ch. nat. espec.

C. teres, repens.

R. teretes, repentes.

F. exobovato-oblonga, obtusa, integerrima, glabra, crassiuscula, brevissime petiolata, plana, opposita.

Ped. axillares, solitarii, foliis plus minus longitudine.

Fl. perianthium pentaphyllum persistens, foliolis acutis, erectis; horum tria ovalia, plana, apice patula, quorum unum duplo latius opponitur binis reliquis. Alia duo lanceolato-linearia, concava, cum priorum foliolo latiori, binisque aliis cruciatim ponuntur; quorum singulorum ad dorsum adstat bractea similis, at duplo fere brevior, latiorque, tandem decidua.

Corolla monopetala. Tubus infundibiliformis, erectus, calycem vix superans. Limbus quinquefidus: laciniis oblongis, obtusis, planis, tubum fere æquantibus, patentissimis; quarum duæ, quæ folioli calycini latioris latus claudunt, pauxillo sunt angustiores.

Stam. filam. 4. subulata, orta tubo corollæ, quorum duo inflexa utrinque ad latus laciniæ corollæ superioris, tubum superant. Reliquis 2. erectis, brevibus, ante lacinias corollæ angustiores positis. Antheræ oblongæ incumbentes.

Pistillum. Germen ovatum calyce duplo brevius: stylus filiformis, corolla paulo brevior, inclinatus versus filamenta breviora. Stigma capitatum, obtusum.

Per. capsula exoblongo-ovata, bilocularis, bivalvis. Semina plurima, oblonga, minima.

OBSERVATIONES.

Maritimis ubique provenit, etiam locis, quæ a mari distant. Quam descripsi, et depingere feci, offendi pascuis *Molendini Sachariferi vulgo dicti Sacopêma* ab hinc 5 leucis. Floret Apr. May. Jun. Colorem corollæ cum Cl. Sloaneo ex albo cæruleum esse dico. Nec. aliquem usum, nec aliud nomen scio.

18. Verbena.

1. V. *jamaicensis*. V. diandra: spicis longissimis, carnosis, nudis, foliis spathulato-ovatis, serratis, caule hirto. (Tab. 37.ª T. 1.)

Diandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Undequaque, præsipue ad vias, provenit. Apud incolas tam urbicos, quam agrestes frequentissimi est usus, quem Materiæ Medicæ Auctoribus relinquo. Duo stamina castrata habet.

2. V. *fluminensis.* V. tetrandra; spicis longissimis, foliis lanceolatis, remote serratis. (Tab. 38.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Hujus speciei flores sunt præcedenti multo maiores, sicuti etiam limbi laciniæ inæqualiores; nam duo lobi inferiores angustiores, et breviores. Stamina 4. antheræ sub-rotundæ. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis ad viam austrum versus.* Floret Sept. Oct. Nov.

3. V. *quadrangularis.* V. tetrandra: spicis congestis; limbo corollæ quinque partito, æquali; laciniis rotundis. (Tab. 39.ª T. 1.)

Ch. nat. sp.

C. herbaceus, tetragonus, orgyalis, fistulosus, ciliatus.

R. patentes, oppositi, axillares.

F. subpetiolata, hirsuta, lanceolata, a dimidio ad apicem serrata, acuta.

Ped. terminales, brevissimi, bracteati.

Infl. flores minimi; limbi laciniis quinque æqualibus.

OBSERVATIONES.

Habitat campis maritimis. Floret Jan. Feb.

4. V. *brasiliensis.* V. tetandra: foliis lanceolatis, caule quadrangulari, limbo corollæ quadri-partito. (Tab. 40.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Hæc species tantummodo corollà á præcedenti differt; nam lacinias 4 habet, quarum una est latior, et crenata. Duo semina habet oblonga.

5. V. *cuneha.* V. tetrandra: spicis solitariis, corollis fasciculatis, foliis subcordatis, inciso-lobatis. (Tab. 41.ª T. 1.)

Diandria. Monogynia.

Ch. nat. spec.

R. annua, fasciculata.
C. erectus, teres, sub-hispidus.
R. axillares.
F. opposita, petiolata, sub-cordata, sub-lobata, inciso-lobata, pilosa.
Sp. terminales, solitariæ, pedunculatæ, floribus fasciculatis ad apicem.
Br. propriæ, lineares, minimæ.
C. monophyllus, linearis, substriatus, 5-dentatus, dentibus acutis.
Cor. monopetala. Tubus filiformis, calyce duplo longior. Limbus planus sub-5-partitus, sub-æqualis: laciniis oblongis ad latus utrimque crenatis, emarginatis, obtusis, sanguineis. Stamina didynama: 2 in fauce; 2 intra tubum. Stylus filiformis: stigma crassiusculum, bifidum: lacinia inferiori acuta.

OBSERVATIONES.

Sponte nascitur campis apricis mediterraneis. Eam offendi Prædio derelicto Parição denominato, Via Regia, qua ducitur ad oppidum Cunha.

6. V. *buchnera*. V. tetrandra: spicis foliatis, pedicellis tri-floris. (Tab. 42.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Omnia ut in præcedenti, si præter notam specificam exceperis, etiam et stigma simplex, et crenæ lateralis defectum, quæ antecedens habet.

7. V. *lobata*. V. tetrandra: foliis subcordatis, inciso-serratis, caule quadrangulari, floribus spicato-umbellatis. (Tab. 43.ª T. 1).

19. Utricularia.

1. U. *vulgaris*. U. caule natante: nectario conico: scapo paucifloro. (Tab. 44.ª T. 1).

2. U. *aphylla*. U. caule erecto, *aphyllo*. (Tab. 45.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Quas descripsi in Regii Prædii Sanctæ Crucis fossis aquam fluentibus, iterumque rivulo quodam vulgo de Faleiros ad Parochiam suburbicam Inhaúma dictam offendi.

Diandria. Monogynia.

20. Obentonia.

Ch. esse. gen.

Cor. monop. Quinque nectaria subulata ad faucem corollæ: peric. monospermo.

Ch. nat. gener.

C. periant. monoph. 5 dent. erectum.

C. monopet. infundibilif: limbo 5 partito; laciniis ligulatis; tubo calyce longiore.

Nectaria 5 subulata, exserta, stamina simulantia, ad fauces corollæ.

St. 2 filamenta brevissima, intra tubum corollæ inserta. Anth. acuminatæ, erectæ, longitudine filamentis æquales, biloculares.

Pist. germen sub-rotundum, torulosum. Stylus brevissimus, incrassatus, longitudine staminum. Stigma obtusum.

Peric. bacca monosperma.

Sem. unicum, ovale.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Obenton Botanici Galli.

1. O. *castrata.* (Tab. 46.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. fruticosus, simplicissimus.

F. petiolata, caulina, integerrima, nervosa, glabra, longissima, geniculata, ad caulis apicem congesta.

Pet. basi, et apice striis transversis callosi, incurvati.

Ped. axillares, teretes, foliorum longitudinæ, foliati, pauci-flori.

Infl. spicata. Flores pedicellis brevissimis, ex albo-sanguinei.

OBSERVATIONES.

Floret Aug. Sept. *Habitat silvis umbrosis Regii Prædii Sanctæ Crucis.*

21. Minutia.

Ch. esse. gener.

Petala 4 subulata, stylus nullus, stigma sub-peltatum.

Diandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

C. perianthium monophyllum, quadri-partitum, laciniis lanceolatis.
Cor. petala 4 subulata, desinentia in setam, laxa.
St. filamenta 2 brevissima. Antheræ globosæ.
Pist. Germen piriforme: stylus nullus; stigma peltatum.
Per. ***
Sem. ***

1. *Min. trichotoma.* (Tab. 47.ª T. 1.)

Ch. nat. gener.

C. scandens, teres.
F. petiolata, opposita, lanceolata, integerrima.
Ped. axillares, teretes, trichotomi. Pedicelli uniflori

In memoriam Reverendissimi Patris Theophili Minuti Ordinis Minimorum, plantarum studio instructi. Vide Plum. Gener. plant. pag. 35.

22. Costa.

Ch. esse. gen.

Corolla monop. septem staminibus, quinque castratis, duobus antheriferis.

Ch. nat. gener.

Cal. Per. monophyllum, quinque partitum, brevissimum, laxum, laciniis lanceolatis.

Cor. Monop. infundibiliformis. Tubus brevis, calyce longior. Limbus laciniis quinque lanceolatis, petalis tubo longioribus.

St. Filamenta septem linearia, tubi ad faucem inserta, laciniis petalorum æqualia, quinque castrata, duo antherifera. Antheræ duæ oblongæ, erectæ.

Pist. Germen ovatum, torulosum, superum. Stylus simplex, filiformis. Stigma simplex.

Per. ***.

Sem. ***.

1. C. *aromatica.* (Tab. 48.ª T. 1.)

Diandria. Monogynia.

Ch. nat. spec.

C. arboreus.

R. sparsi, patentes.

F. sparsa, composita, ternata: foliolis lanceolatis, integerrimis, lævibus.

Pet. ad basim, et apicem incrassati, foliorum longitudine æquales, aliquoties superantes.

Ped. terminales, sparsi, attenuati.

Infl. racemosa, composita. Corolla alba.

OBSERVATIONES.

Floret Junio. *Eam offendi silvis maritimis ad Oppidum, seu Phanum D. Antonii vulgó Joary. Arenoso solo gaudet.*

23. Ravenia.

Ch. esse. gener.

Nectaria 5 petaloïdea; intermedio bipartito, cujus lacinia unaquæque anthera ad apicem gaudet.

Ch. nat. gener.

Cal. Perianthium pentaphyllum, inferum, magnum, laxum: intus foliolis duobus, exterius tribus ovatis, obtusis, inæqualibus, integerrimis.

Cor. monopetala, infundibiliformis: limbo quinque fido: laciniis obtusis.

Stam. Nectaria filamentorum vices gerunt. Nectaria 5 duo brevissima; 3 longitudine corollæ, quorum intermedium bicornutum; et in quovis cornu anthera incumbens bilocularis, sub-rotunda; reliqua indivisa, acuminata: omnia sunt petaloidea, seu ligulato-subulata.

Pist. germen sphæroideum. Stylus filiformis longitudine corollæ. Stigma incrassatum.

Per. ***

Sem. ***

1. R. *infelix*. (Tab. 49.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.

Ram. dichotomi, patentes.

Fol. ramea, opposita, integerrima, lanceolata, approximata.

Infl. terminalis, racemosa.

Diandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis. Florentem et Dec., et April. vidi, 1.um *ad littora maris Regii Prædii, deinde prope Ædiculam D. Annæ Episcopalis Prædii,* sed hactenus fructum observare non potui.

Raveniam dixi in memoriam Joannis Francisci Ravin, Galli Chirurgiæ Professoris, ac Botanici Tournefortiani, qui postquam Brasilienses mediterraneas Præfecturas penetravit, plantas rariores collegit, descripsitque; in Africam navigans Municipio Lusitano Banguella dicto diem supremum clausit; ejusdemque fato manuscripta perière.

24. Bonamica.

Ch. ess. gener.

Petala 4, linearia.

Ch. nat. gen.

Cal. perianth. monophyllum, breve, inferum, 4 dentatum.

Cor. petala 4-linearia.

St. filamenta 2 brevissima, receptaculo inserta. Anth. 2, filamentorum longitudine, erectæ, biloculares.

Pist. germen ovatum. Stylus filiformis.

Per. ***.

Sem. ***.

1. B. *filiformis.* (Tab. 50.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, erectus, teres.

F. petiolata, opposita, lanceolata, integerrima, acuta.

Ped. filiformes, racemosi, paniculati, axillares. Pedicellis tribus unifloris ad apices.

Peric. ***.

Sem. ***.

OBSERVATIONES.

Silvis maritimis ad radicem Alpium Paratyensium habitat. Floret Jul. Aug. In memoriam D. Bonami Galli Botanici.

Diandria. Monogynia.

25. Mathæa.

Ch. ess. gener.

Corol. tubulosa, limbi laciniis plicatis, capsula polisperma, quinque-valvis.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monoph; quinque-dentatum: denticulis subulatis, inferum.

Cor. monopet. tubulosa, multo calyce longior: limbo quinquefido, laciniis subulatis, plicatis, patulis.

St. filamenta 2. filiformia, tubi medio orta. Antheræ oblongæ, incumbentes, exsertæ.

Pist. germen conicum. Stylus filiformis, tubo, atque staminibus longior. Stigma obtusum.

Per. conicum, 5-valve, biloculare.

Sem. plurima, subrotunda.

OBSERVATIONES.

Mathæam dixi in honorem Reverendissimi Fr. Mathæi a D. Josepho Ordinis Carmelitarum Discalceatorum tum ad Maronitas, tum ad Indos Viri Apostolici, Botanicique acerrimi judicii, qui a Reéd electus fuit, ut auctor esset Horti Malabarici. Vide Montium in præf. Operum Zanonii.

1. M. *apostolica*. (Tab. 51.ª T. 1.)

Ch. nat. specif.

Rad. annua, fasciculata.

C. herbaceus, erectus, teres, villosus.

Ram. patentes, alterni.

Fol. petiolata, alterna, lanceolata, integerrima, acuta.

Fl. breviter petiolati, axillares, solitarii, alterni.

OBSERVATIONES.

Toto fere anno floret. *Communissima planta camporum haud pinguium hujus continentis, passimque obvia ad quasvis vias Regias, sed hucusque innominata, et inusitata.*

26. Pinarda.

Ch. ess. gener.

Corol. monopet. Stigma trifidum. Capsula unilocularis. Semina plurima.

Diandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum: foliolis lanceolatis, erectis.
Cor. monopetala; tubus brevis, limbo 5-fido.
Stam. filamenta 2, tubo corollæ inserta. Antheræ sub-rotundæ.
Pist. germen globosum, stylus brevissimus, stigma trifidum.
Peric. capsula subrotunda, unilocularis.
Sem. plurima, minutissima.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Pinardi Botan. Galli.
1. *P. repens.* (Tab. 52.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. herbaceus, repens, filiformis.
Ram. ejusdem naturæ, ac longitudinis.
Fl. sessiles, seu breviter petiolati, oppositi, solitarii, foliis multo breviores, axillares.
Fol. sessilia, decussata, sub-rotunda, revoluta.

OBSERVATIONES.

Apud molendinum sacchariferum Sacelli D. Antonii de Joary dicti, silvis mense Junio offendi. Nec nomen, nec usum habet.

27. Serjania.

Ch. ess. gener.

Corol. tubulosa, bilabiata, labiis æqualibus.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium bifidum, laciniis æqualibus.
Cor. monopet. tubulosa, ore bifido, seu labiato, labiis æqualibus.
Sta. filamenta duo brevissima, corollæ tubo inserta. Antheræ.
Pist ***.
Peric. ***.
Sem. ***.

Diandria. Trigynia.

OBSERVATIONES.

In memoriam Reverendissimi Patris Philippi Serjeant Caletani Ordinis Minimorum Botanices periti dixi. Vide Plumier. pag. 34.

1. S. *aquatica*. (Tab. 53.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Rad. fibrosa. fasciculata, annua.

Caul. herbaceus, tetragonus, repens, aculeatus ad angulos.

Ram. ejusdem naturæ, ac quantitatis.

Fol. breviter petiolata, ex-ovato-lanceolata, nervis ad dorsum aculeatis, opposita, integerrima.

Pedunc. terminales, floribus capitatis.

DIANDRIA.
TRIGYNIA.

28. Piper.

1. Pip. *umbellatum*. P. foliis cordatis sub-rotundis, acutis, venosis, spici. umbellatis. (Tab. 54.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Vulgó vel *Caapéba*, vel *Periparóba* dicitur. Marcg. perperam asserit hoc piper a Lusitanis *Guaxima* denominari: Lusitanorum *Guaxima* ad Malvacearum genus pertinet.

Vim. aperitivam habet radix hujus speciei, ideo usu medico tristissima. *Ad ripas rivulorum, locaque humida lætanter vegetat; tum mediterraneis, tum maritimis habitat.*

2. Pip. *Jaborandì*. P. foliis lanceolatis; spicis, floribus pedicellatis. (Tab 55.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Hoc. piper ob acrimoniam cœteris celebrius hucusque (ni fallor) non fuit descriptum, etsi aliud sufficére, hoc est, piper reticulatum, seu, ut vulgó dicitur Nhandì, cujus folia sunt cordata, ac 7-nervia; P. Jaborandì veró, ut supra dixi, et icon patefecit, lanceolata sunt.

Diandria. Trigynia.

Multi-caulis: silvas nondum cultas habitat: loca sicca, sed umbrosa amat: nunquam, seu raró crassitudinem pennæ anserinæ excedit.

Radix acrimonia pyrethro æmulatur. *Undequaque habitat, hoc est, marit. ac medit.*

3. Pip. *silvestre.* P. foliis sub-cordato-ovatis. (Tab. 56.ª T. 1).

OBSERVATIONES.

Locis umbrosis ad radices montium frequenter offenditur.

4. Pip. *truncatum.* P. foliis cordato-oblongis, altera ala truncata. (Tab. 57.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Disparitatem alterius alæ, quam truncatam dixi, pro discrimine ab aliis ejusdem generis exhibeo. *Hanc speciem 1.° ad ripas fluvii dicti. Pirahy ad mediterranea offendi; postea silvis maritimis iterum mihi fuit obvia.*

5. Pip. *cernuum.* P. foliis cordatis, maximis, altera ala truncata, spica longissima, cernua. (Tab. 58.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Differt a P. truncato, quod illius folia sint angustiora; quod spica sit brevis, et erecta.

Hanc speciem offendi silvis, quæ sunt trans saltum maritimum, seu Cautes vulgó dictas Cairosú via austrum versus, qua e Pharmacopoli pergitur ad Oppidum vulgó dictum Ubatúba,

6. Pip. *crassum.* P. foliis crassis, ovato-lanceolatis, spica brevissima, conica. (Tab. 59.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Vulgó dicitur *Bettle: amat solum aquis stagnans.* Vi medica in adustionibus adhibetur.

7. Pip. *aduncum.* P. foliis ovato-lanceolatis; nervis alternis, spicis uncinatis. (Tab. 60.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Huic piperi populi usus cum nomine *Apertarúdõ* vim adeo adstringentem, ut mulierem corruptam virginem reddat, perperam adscribit; vim aromaticam, et acrem habet. *Loca sicca, et arenosa amat. Ubique offenditur.*

Diandria. Trigynia.

Obiter moneo hanc speciem, et immediate describendam inter omnes hujus familiæ species ad majorem molem tam crassitudine, quam altitudine pervenire.

8. Pip. *reticulatum*. P. foliis cordatis quinque nerviis reticulatis. (Tab. 61.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Huic piperi nomen. *Jaborandì, cum* sit *Nhandì*, perperam adscriptum fuit. *Ubique provenit.*

9. Pip. *quadrifolium*. P. foliis quaternis, ellipticis, sessilibus, spicis terminalibus. (Tab. 62.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica. *Silvis propre Oppidum Cunha habitat*; (aliquando 5-6 folia).

10. Pip. *monostachion*. P. foliis alternis, sub-cordatis, septem nerviis spica terminali.(Tab. 63.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica.

11. Pip. *Stellatum*. P. foliis senis verticillatis, ob-ovatis, spica terminali adunca.(Tab. 64.ª T. 1.)

Parasitica lapidum. *Cautibus supra fluvium vulgó dictum Paraty offendi.*

12. Pip. *tetraphyllum*. P. foliis quaternis, cunei-formibus, emarginatis. (Tab. 65.ª T. 1.)

OBSERVATIONES

Arborum parasitica. Fructificationem non vidi; sed plantæ habitus ad piper pertinêre docuit.

DIANDRIA.
PENTAGYNIA.

29. Dangervilla.

Ch. ess. gener.

Stamina quinque, duo antherifera, tria castrata.

Diandria. Pentagynia.

Ch. nat. gener.

C. perianthium monophyllum, quinque-dentatum : dentibus brevibus, acutis.

Cor. monopetala tubulosa. Limbus quinque fidus: laciniis patulis, acutis.

St. filamenta quinque, linearia, antheris breviora, duo antherifera, tria castrata, quæ sunt filiformia. Antheræ duæ biloculares, oblongæ, erectæ.

Pist. germen sub-rotundum, superum. Styli quinque, filiformes.

Per. drupa sub-orbicularis, ab utroque latere compressa.

Sem. unicum.

1. D. *spinosa*. (Tab. 66.ª T. 1.)

Caul. fruticosus, erectus, teres, simplicissimus.

Fol. maxima, petiolata, ex-ob-ovato lanceolata, subalterna, integerrima.

Ped. axillares, racemosi, longitudine foliorum: pedicellis alternis, spinosis.

Infl. racemosa, pedicellis spicatis, hoc est, floribus sessilibus.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis. Florentem, atque fructum facientem Aug. vidi.

In memoriam D. Dangervil Galli Botanici dixi.

TRIANDRIA.
MONOGYNIA.

30. Valerianna.

1. V. *scandens*. V. floribus triandris, foliis ternatis, caule scandente. (Tab. 67.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Hanc in perreptatione Alpium Paratyensium offendi. Floret Jul. Aug. Hucusque usu, atque nomine vulgari caret.

Triandria Monogynia.

2. V. *alpina*. V. floribus triandris, foliis cordatis, sub-crenatis novem nerviis. (Tab. 68.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Forte eadem cum præcedenti. Multoties extrema folia a primis differunt, et speciem alterum repræsentare videntur. *Hanc ad ripas cujusdam rivuli Sancti Rochi dicti prope Oppidam Pharmacopolim Boream versus Jul. legi.*

31. Melothria.

1. M. *pendula*. M. pedunculis longissimis, laxis, fructu ovali. (Tab. 69.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. scandens, filiformis.

F. petiolata, cordato-angulata, angulis sub-obtusis, solitaria, alterna, plana, scabriuscula.

Pet. laxi, ad insertionem contorti, foliis breviores, longe dissiti.

Cir. duo ad basim foliorum exorti, indivisi, filiformes convoluti.

Ped. singuli, vel bini, foliis longiores, filiformes, penduli, triflori.

OBSERVATIONES.

Fructus sapore, ac odore cucumeris valde similis; figura veró ac magnitudine oleæ fructui assimilatur. Hortis coli quam dignissima planta. *Silvis maritimis prope Oppidum Pharmacopolis abunde crescit, itidemque Silvis Regii Prædii Sanctæ Crucis, sed rarius.*

Non eadem mihi videtur ac a Cl. Lin. descripta. Sapientiores judicent. Toto fere anno floret.

2. M. *Cucumis*. M. foliis cordato-angulatis, angulis sinuatis. (Tab. 70.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Fructus gallinæ ovum magnitudine adæquat. Inedulis est. *Dechviis, ac radicibus Paratyensium Alpium habitat.* Aug. Sept. floret.

32. Xyris.

1. X. *indica*. X. foliis gladiatis. (Tab. 71.ª T. 1.)

Triandria. Monogynia

OBSERVATIONES.

Ab Indigenis dicitur, *Jupicái*, a Lusitanis *herva de impingem*, quia impetigini medetur, partem affectam tota planta recenti contusa fortiter fricando *Pascuis irriguis habitat inter gramina*. Tempestate pluviarum floret.

2. X. *aphylla*. X. foliis nullis. (Tab. 72.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Hæc species summis montium camporum mediterraneorum solo siccissimo habitat. Jan. Feb. floret. Suspicor hanc speciem a D. Pauli Præfecturæ incolis verum rheubarbarum vocari, ob præclaram vim emeticam, et catharticam ejus radici inhærentem. Forte alicujus sissirinchii species erit. Rheubarbarum non esse, qui rei Botanicæ operam navant, sciunt omnes.

33. Clercia.

Ch. esse. gen.

Corolla pentapetala : antheræ incumbentes.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium minimum, inferum pentaphyllum, foliolis subrotundis.

Cor. petala 5 minima, obovata, patentia.

St. filamenta tria, cylindrica, brevissima. Antheræ oblongæ, incumbentes (malleum repræsentant.)

Pist. germen minimum superum. Stylus pyramidatus: stigma simplex.

Per. bacca drupacea, unilocularis, ovalis, maxima.

Sem. haud plurima, ex sobrotundo compressa, aliqua pulpa sub-arillata.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Cler. Botanici Galli dixi.

1 Cl. *ovata*. C. foliis lanceolatis, serratis. (Tab. 73.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. teres, declinatus.

Ram. alterni.

Triandria. Monogynia.

Fol. ramea, breviter petiolata, lanceolata, serrata, levia.
Ped. brevissimi, biflori, axillares.
Infl. solitaria, axillaris. Corolla ex-luteo-viridis.

OBSERVATIONES.

Silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis habitat. Aug. floret. Etsi pulpa dulcis sit, non editur. Usu, atque nomine caret.

2. Cl. *passiflora.* C. foliis ob-ovatis, integerrimis, decussatis. (Tab. 74.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Fructus maximus passifloræ maliformis instar.

Silvis maritimis ad ripas fluvii Taguay dicti habitat. Florem non vidi, sed similitudine ductus Clert. existimavi. Jul. fructum ferebat. Non defuit, qui nomine *Sapotáaçu* salutavit. Si ita fuerit ad Hexandriam pertinebit.

34. Commelina.

1. C. *communis.* C. corollis inæqualibus, foliis ovato-lanceolatis, acutis, caule repente, glabro. (Tab. 75.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Nulla planta communior, nec usitatior ob potentissimam suam refrigerantem qualitatem. Nomine vulgari *Trapoeiraba* vocicatur. Vagina, petiolique ciliati.

2. C. *singularis.* C. corollis petalis tribus, calycem simulantibus. (Tab. 76.ª T. 1.

OBSERVATIONES.

Stamina sex, quorum tria nectaria mentiuntur. *Aquis stagnantibus, et confluentibus habitat.* Corolla alba lineis purpureis radiata.

35. Rossenia.

Ch. esse. gener.

Corolla tubulosa; stamen unum castratum.

Triandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, quadridentatum, inferum, breve, deciduum.

Cor. monopetala, sub-campanulata. Limbus quinque-fidus, laciniis acutis, reflexis.

St. filamenta 3 vix apparentia. Antheræ ovatæ, biloculares, ad faucem corollæ sub- sessiles. Præterea filamentum unum sine anthera.

Pist. germen sub-rotundum, stylus subulatus. Stigma simplex.

Per. capsula ob-ovata, intus compressa, exterius convexa bivalvis, hirta.

Sem. singulare, externe globosum, intus compressum.

1. R. *pentaphylla*. (Tab. 77.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. arboreus.

Fol. composito-digitata; foliolis lanceolatis, glabris, integerrimis.

Pet. longissimi, filiformes, ad basim, et apicem incrassati, alterni,

Ped. longissimi, teretes, racemosi: pedunculis partialibus alternis, quinque-floris, verticillatis, sessillibus ad apicem.

Infl. racemosa. Corolla alba.

OBSERVATIONES.

Silvis maritimis Regii Prædii habitat. In memoriam D. Roussin Botanici Galle dixi.

36. Dulacia.

Ch. ess. gener.

Corolla hexapetala, trium petalorum singulis, nectaria bina. 3 us aliis tria stamina.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium, minimum, truncatum.

Cor. petala sex, sublinearia, sub-campanulata, erecta.

Nectaria sex ad quodvis petalum duo, stamina simulantia, apice bifissa, villosa.

St. filamenta tria, linearia, tomentosa, nectariis breviora.

Antheræ sub-rotundæ, biloculares.

Triandria. Monogynia.

Pist. germen superum, ovatum. Stylus filiformis: stigma trifidum, crucis instar.

Peric. ***.

Sem. ***.

1. D. *singularis*. (Tab. 78.ª T. 1).

Ch. nat. spec.

C. arboreus.

Ram. alterni, patentes.

Fol. breviter petiolata, lanceolata, integerrima, acuminata.

Ped. brevissimi, sub-racemosi, axillares, tri, vel quadriflori.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Regii Prædii. Nov. floret. In memoriam D. Dulac Galli Botanici dixi.

37. Coletia.

Ch. ess. gener.

Calyx triphyllus, corolla tripetala.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium triphyllum, breve, lanceolatum, patulum, inferum.

Cor. petala tria, ob-ovata, patentissima.

St. filamenta tria brevissima. Antheræ ob-ovatæ, filamentis longiores.

Pist. germen conicum, stylus filiformis. Stigma.

Peric. ***.

Sem. ***.

1. C. *madida*. (Tab. 79.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Rad. fasciculata, fibrosa.

Caul. ascendens, herbaceus, minimus (unius digiti altitudinem non superat) multicaulis, simplicissimus.

Fol. sessilia, subulata, verticilata, imbricata.

Ped. terminales, filiformes, caulis longitudine, solitarii, uniflori.

OBSERVATIONES.

Campis apricis, sed madidis mediterraneis habitat. Quam describi apud ripas cujusdam rivuli prædii derelicti Pariçio vulgo dicti offendi. Sept. Oct. florebat.

In memoriam D. Colet Botanici Galli dixi.

Triandria. Monogynia.

38. Buch'osia

Ch. esse. gener.

Corolla monopetala, sex-partita. Stamen intermedium, longius. Capsula quadrilocularis.

Ch. nat. gener.

Per. spatha, si bracteam non dixeris.

Cor. monopetala, tubulosa; limbus 6-partitus: laciniis linearibus, patulis, longitudine tubi.

Stam. filamenta tria, intermedium longius, tubi ad os inserta. Antheræ sub-rotundæ.

Pist. germen superum, sub-conicum. Stylus filiformis, brevissimus. Stigma.

Per. capsula conica, quadrilocularis, quadrivalvis. Dissepimentum pulposum habet intermedium.

Sem. plurima, minutissima.

1. B. *aquatica*. (Tab. 80.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Rad. *capillaris*.

Caul. repens, teres, carnosus, crassitie unius lineæ.

Fol. petiolata, peltata, reniformia, integerrima: hydrocotili assimilatur.

Pet. teretes, longissimi, filiformes, cernui.

Stip. subulatæ, petiolos, atque pedicellos vaginantes.

Infl. subspicata, bracteata, axillaris. Corolla alba.

OBSERVATIONES.

Pascuis irriguis Molendini Sacchariferi vulgo Bananal dicti Pharmacopolitanum prope Oppidum habitat. Florentem vidi Nov. ac. Dec.

In memoriam D. Buch'oz Præclarissimi Galliæ Botanici, qui multa opera Botanica edidit.

39. Pereskia.

Ch. ess. gener.

Corolla sub-campanulata, quinque-partita. Calyx monophyllus, quinque-dentatus.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, campanulatum, quinque-dentatum.

Triandria. Monogynia.

Cor. campanulata, quinque-fida. Laciniæ erectæ.

Stam. filamenta tria filiformia, petalo breviora, receptaculo inserta; antheræ subrotundæ.

Pist. germen ovatum, superum. Stylus vix apparens. Stigma obtusum.

Peric. ***.

Sem. ***.

1. P. *paniculata*. (Tab. 81.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. teres, scandens.

Fol. breviter petiolata, ovato-lanceolata, integerrima, acuminata, lævia.

Ped. longissimi, axillares, subdivisi.

Infl. racemosa, composita. Corolla lutescens.

40. Iris.

1. I. *silvestris*. I. corollis imberbibus, petalis interioribus, patentibus. (Tab. 82.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Folia sunt falciformia. Scapi e medio foliorum prodeunt, brevissimi, sed foliis vestiti e radice. *Locis aquosis, atque umbrosis crescit.*

41. Scirpus.

1. S. *depressus*. S culmo tereti, nudo, geniculo singulari, spica terminali, ovata. (Tab. 83.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Crescit locis Cespitosis, uliginosis.

2. S. *humilis*. S. culmo foliato; scapis nudis, longioribus, capitulis terminalibus. (Tab. 84.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Locis cespitosis, uliginosis, maritimis crescit. Folia sunt ancipitia, carinata, graminea; culmi teretes.

Capitula etsi imbricata, laxiora præcedenti sunt. Pistillus est bifidus.

Triandria. Trigynia.

TRIANDRIA.
TRIGYNIA.

42. Dupatya

Ch. ess. gener.

Calyx communis, polyphyllus; corolla monopetala; pistilli 3-bifidi.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium commune, polyphyllum, patentissimum: foliolis ovatis, imbricatis.

Perianthium proprium monophyllum, campanulatum, laxum, quadrifidum.

Cor. composita, capitata. Propria sub-campanulata, limbo quadrifido, laciniis æqualibus.

Stam. filamenta tria, filiformia, corolla longiora. Antheræ sub-rotundæ, exsertæ.

Pist. germen sub-rotundum, torulosum. Styli tres, filiformes. Stigmata bifissa.

Per. ***.

Sem. ***.

In memoriam Dupaty Botanici Gallici.

1. D. *æqualis*. D.scapis, foliis æqualibus, basi vaginatis. (Tab. 85.ª T. 1.)

Ch. nat. gener.

R. fasciculata, sub-divisa.

Caul. nullus.

Fol. radicalia, congesta, subulata, carinata, hirta, ancipitia

Sc. filiformes longitudine foliorum; ad basim tubo foliaceo-vaginati 2 dig. longo, capitati.

Infl. capitata; corolla composita.

OBSERVATIONES.

Summis cacuminibus montium apricórum, sive camporum crescit. Loca sicca,

Tetrandria. Monogynia.

argillacea amat. Offendi campis apricis mediterraneis ultra Paratyenses Alpes prope Prædium derelictum Parição.

2. D. *ligulata*. D. scapis longissimis, foliis latis (Tab. 86.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Folia sicut in præcedenti sunt ancipitia, sed latiora. Vagina scapum tegens foliorum longitudine. Scapi quinquies longitudinem foliorum exsuperant. *Hanc offendi loco supra citato, sed solo aqua madido ad ripam cujusdam riculi.*

3. D. *hirsuta*. D. scapo longissimo, foliis hirsutis. (Tab. 87.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Differt a præcedenti hirsutie foliorum, et foliis prima, seu Dupatya æquali latiusculis.

TETRANDRIA.
MONOGYNIA.

43. Ægiphila.

1. *Æ. racemosa*. Æ. pedunculis racemosis, terminalibus, foliis ovato-lanceolatis, stigmate indiviso. (Tab. 88.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Racemi sunt subtrichotomi, pedunculus partialis in tres pedicellos uniflores subdividitur. Caulis fruticosus. Rami brachiati. *Silvis Pharmacopolitanis Sept. Oct. florentem legi. Fructum non vidi.*

2. Æ. *umbellata*. Æ. pedunculis umbellatis, terminalibus, pedicellis bifloris, foliis lanceolato-oblongis. (Tab. 89.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Pedicelli umbelliferi, in alios duos subdividuntur, et ad quemvis flores duo sessiles. Pedicelli sunt incrassati. Involucra partialia, hexaphylla: foliolis ovalibus minimis. Calyx nullus. Corolla limbo quinque-fido: laciniis lanceolatis. Stamino exserta; antheris incumbentibus. Stigma bifidum. *Campis apricis mediterraneis habitat.*

Tetrandria. Monogynia.

3. Æ. *stipulata.* Æ. pedunculis terminalibus, racemosis, foliis lanceolato-ovatis: caule stipulato. (Tab. 90.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus: ad quemvis foliorum exortum hinc, et illinc. Stipulæ solitariæ, maximæ, subulatæ, laciniæ corollæ sub-rotundæ. Stamina exserta: Antheræ vel biloculares, vel binæ, globosæ. *Crescit silvis regii Prædii Sanctæ Crucis. Fructum non vidi.*

4. Æ. *verticillata.* Æ. floribus verticillatis, caule quadrangulari. (Tab. 91.ª T. 1.)

OBSERVATIONES

Rami brachiati. Folia lato-lanceolata. Calyx quadridentatus. Laciniæ corollæ obtusæ: antheræ orbiculatæ. Inflorescentia axillaris, sessilis, verticillata.

5. Æ. *serrata.* Æ. pedunculis terminalibus, racemosis, foliis lanceolato-serratis. (Tab. 92.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Folia e basi usque ad apicem serrata. Laciniæ corollæ lingulatæ, laxæ, inflexæ. Stamina exserta. Antheræ globosæ. *Silvis maritimis Sanctæ Crucis, et Pharmacopolis habitat.*

6. Æ. *brachiata.* Æ. pedunculis racemosis, axillaribus, caule quadrangulari; foliis e medio ad apicem serratis. (Tab. 93.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis quadrangularis. Rami brachiati. Folia decussata, lato-lanceolata, a dimidia spansione ad apicem serrata. *Silvis Pharmacopolitanis habitat.*

7. Æ. *mediterranea.* Æ. pedunculis cymosis, axillaribus; foliis lanceolatis. (Tab. 94.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis subscandens. Folia subtus pilosa. Capsula quadrilocularis. Calyx quadridentatus. *Abunde crescit silvis maritimis.*

8. Æ. *fluminensis.* Æ. pedunculis terminalibus, floribus cymosis, pedunculis involucratis. (Tab. 95.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

A præcedenti differt; 1. quod sint racemi terminales; 2. quod pedunculi

Tetrandria. Monogynia.

sint longi; 3. quod inflorescentia sit cimosa; 6. vel. 8. bracteis involucrata. Bracteæ sunt lanceolatæ. *Silvis maritimis, æqueac mediterraneis habitat.* Jul. Aug. floret.

9. .E. *inflexa.* .E. pedunculis terminalibus, racemosis, cymosis; laciniis corollæ inflexis, os obturantibus. (Tab. 96.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis stipulatus stipulis lanceolatis. Folia decussata, lato-lanceolata, integerrima. Laciniæ corollæ inflexæ, sed stamina per laciniarum fissuras exserta, corolla valde longiora. Antheræ biloculares, sub-rotundæ. Pistilli stylus cylindricus, ad apicem attenuatus. Stigma vix divisum. *Silvis maritimis habitat.* Aug. Sept. floret.

10. *.E. Obducta.* .E. pedunculis terminalibus, lateralibusque; capsula calyce obducta, cucullataque. (Tab. 97.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis subscandens, striatus, villosus. Folia lanceolata villosa, reticulata. Pedunculi terminales, foliati; pedicellis oppositis, floribus fastigiatis, seu cymosis. In hac specie singulare est, quod post decidentiam corollæ calyx protenditur, fructum obducit, et in cucullum elongatum desinit.

41. Cissus.

1. C. *epidendrica.* C. foliis composito-ternatis: foliolis lanceolatis, serratis. (Tab. 98.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis prope molendium Sacchariferum vulgo dictum Joary. Martio fructum ferebat: florentem non vidi. Ab Epidendro aphyllo, quod ei inhærebat, triviale nomen indidi, nec cirrhos, nec stipulas vidi.

2. C. *stipulata.* C. foliis composito-ternatis: foliolis lato-lanceolatis, posticis obtuse angulatis, serratis. (Tab. 99.ª T. 1).

OBSERVATIONES.

Stipulæ ad genicula cordatæ, hinc inde solitariæ. Cirrhus solitarius, oppositi-folius, filiformis, convolutus, longissimus, bifidus. Inflorescentia axillaris, cymosa, semen turbinatum. *Habitat silvis Pharmacopolitanis, et Regii Prædii Sanctæ Crucis.* Floret Jan. Febr.

Tetrandria. Monogynia.

3. C. *nitida*. C. foliis ovatis, glabris, integerrimis. (Tab. 100.ª T. 1.)
Undequaque crescit. Floret Jan. Febr.

OBSERVATIONES.

4. C. *pulcherrima*. C. foliis tripinnatis cum impari: foliolis sub-sessilibus, sub-cordatis, serratis. (Tab. 101.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Compositio foliorum hujus speciei hoc modo ordinatur: petiolus communis, seu rachis tres alios ad latera opposite emittit. Imus ter alios impari pinnatos profert, scilicet duo ad latera, et petiolum terminalem: intermedius est indivisus, quadrijugus cum impari. Supremus indivisus, bijugus cum impari. Apex petioli communis foliationem absolvit trijugam cum impari. Superiora folia gradatim decrescunt, excepto impari, quod semper est magnum. Inflorescentia est racemosa, cum pedicellis dichotomis. *Habitat Silvis Regii Prædii Sanctæ Crucis*, et fructum et florem fert Jan. Febr.

5. C. *paullini-folia*. C. foliis decompositis, remote serratis: foliolis lanceolato-ovatis. (Tab. 102.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Decompositio foliorum in eo stat, quod ter habeat folia quinata. Huit speciei vim artrithidem sanandi tribuunt: quam ob rem ab aliquis ex Lusitanis nomine *Sipó da gotta* salutatur. *Undequaque crescit*; mensibus supra laudatis floret.

6. C. *ennaphylla*. C. foliis biternatis, serratis, foliolis lanceolatis. (Tab. 103.ª T. 1.)

OBSERVATIO 1.ª

Hujus speciei semina sunt striata. *Ubique pronascitur*.

OBSERVATIO 2.ª

Omnes Cissorum species sunt scandentes, sub-grave-olentes.

43. Buddleia.

1. B. *australis*. B. foliis connatis. (Tab. 104.ª T. 1.)

Tetrandria. Monogynia.

Ch. nat. spec.

Caul. herbaceus, quadrangularis, villosissimus.
F. connata, lanceolata, serrata.
Pedunc. axillares; flores sessiles, umbellati.

OBSERVATIONES.

Ob aliquam similitudinem, quam cum verbasco habet, Lusitani Brasiliæ inquilini *Verbasco* denominant. Indigenæ verò *tonhò aemrambeova*, quod interpretatur *Calsas de Velha*. *Mediterraneis habitat*. Mensibus calidis floret.

46. Dicneckeria.

Ch. ess. gener.

Antheræ quatuor apicibus perianthii. Perianthium tetraphyllum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium tetraphyllum: foliolis linearibus, ad apicem ampliatis, reflexis.
Cor. nulla.
Stam. filamenta nulla: antheræ acuminatæ, sessiles, biloculares, ampliatiōne apicis perianthii positæ.
Pist. germen superum, sub-rotundum: stylus cylindricus, calycis foliolis aliquantulum brevior, inflexus. Stigma sub-rotundum.
Per. ***.
Sem. ***.
1. D. *legalis*. (Tab. 105.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. truncus arboreus.
Ram. sparsi, patentes.
Fol. composita, abrupte pinnata: foliolis ovatis, remote serratis.
Pedunc. sparsi, rami brevioris, attenuati: pedicellis uni, vel bifloris.
Infl. racemosa, simplicissima.

OBSERVATIONES.

Materiariis lignum ad opus fabrile conficiendum præstat opportunum.

Tetrandria. Monogynia.

Ab illis nomine *Cuticaém* est cognita. Floret Jul. Aug. *Tum maritimis, cum mediterraneis habitat.* In memoriam D. Dienecker dixi.

47. Chomelia.

Ch. ess. gener.

Petala quatuor, calyx quadridentatus. Semina quatuor, plano-convexa.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, brevissimum, quadridentatum, inferum, persistens.

Cor. petala quatuor, brevia, sub-rotunda, patentissima, reflexa.

Stam. filamenta quatuor, longitudine petalorum, filiformia, petalis alternantia. Antheræ sub-rotundæ.

Pist. germen calyce immersum, stylus filiformis, brevissimus. Stygma ***.

Per. bacca sicca, unilocularis.

1. Ch. *amara.* (Tab. 106.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.
Ram. sparsi, patentes.
Fol. petiolata, sparsa, lanceolata, glabra, serrata.
Pedunc. axillares, brevissimi.
Infl. racemosa.

OBSERVATIONES.

Hæc est illa per quam celebris planta in Europa *Theæ Paraguáy* nomine cognita; in Brasilia vero *Congonha.* Duæ dantur species, quarum, hæc amarior est, sed alia usitatior. Botanici aliqui ad genus Cassini referre perperam existimarunt, cum Tetranda sit.

Hispani foliis tostis, et in frustrula redactis, in aquam calidam cum saccharo injectis per modum sorbilationis frequentissime utuntur. Eis placuit *Máte* dicere. Qui ripas Paraguáy incolunt, magna copia legunt; ad Potossy, cæteraque Ditionis Hispanicæ oppida exportant. Quæ hic consumitur, a Campis Præfecturæ Paulopolitanæ dictis Curitiba importatur.

Tetrandria Monogynia.

48. Plantago.

1. P. *virginica*. P. foliis lanceolato-ovatis, pubescentibus, sub-denticulatis, spicis, floribus remotis, scapo-tereti. (Tab. 107.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Undequaque progignitur sine exceptione alicujus loci, vel soli.

49. Galium.

1. G. *ciliatum*. G. foliis quaternis, subulato-lanceolatis, caule declinato. (Tab. 108.ª T. 1.)

2. G. *brasiliense*. G. foliis quaternis, subulatis, declinatis, caule scandenti. (Tab. 109.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Floret Sep. Oct. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Inflorescentia racemosa, axillaris, terminalisque. Racemi foliati ad pedicellorum exortum.

3. G. *fluminense*. G. foliis quaternis, lanceolatis, floribus binis, vel solitariis; pedicellis unifloris. (Tab. 110.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens. Corolla lutea. Fructus ruber. Ad quamvis axillam 2 vel 3 pedicelli uniflori. Floret Sept. Oct. *Habitat silvis mediter. æque ac marit.*

4. G. *apricum*. G. foliis quaternis, hirsutis, caule erecto, floribus solitariis. Tab. 111.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis, pedalis, striata, hirsuta. Ad axillam unicus flos. *Habitat ad cacumina montium camporum medit. Jan.* Febr. florentem offendi.

5. G. *paratyense*. G. foliis quaternis, trinerviis, pilosis, ob-ovatis caule declinato. (Tab. 112.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Nec florem, nec fructum vidi, sed ex plantæ habitu ad Galia pertinere existimavi. *Campis apricis transalpinis habitat.*

Galia apud nostrates nomine *Ruivinha* cognoscuntur, atque radice cujus-

dam speciei ex supra relatis ad coria colore rubro inficienda utuntur. Forte eadem est, ac Europæorum Rubia tinctorum sativa. Si sit, ut Europæa, aperitiva, nec ne? Medici dicant. At e pharmacopolis remedia accipere assuefacti, materiam Medicam Patrioticam flocci pendunt. Forte si in hoc, ut par erat, insudarent, in plantis nostratibus qualitatem Medicam nostris malis invenirent, applicarent. De his supersedeo, ne extra Chorum canere videar.

30. Asperula.

1. A. *cyanea*. A. foliis, ternis verticillatis, adpressis. (Tab. 113.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, teres, spithamæus. Folia breviter petiolata, integerrima, lanceolata, adpressa, scabra. Pedunculi axillares, terminales. Inflorescentia umbellata.

2. A. *cruciata*. A. foliis decussatis, pedunculis racemosis, terminalibus. (Tab. 114.ª T. 1).

OBSERVATIONES.

Semina non vidi. Timeo ne sit aliud genus. Si tempus, et occasio mihi adfuissent ad examen iterum revocarem. *Campis apricis transalpinis habitat. Prope pagum Cunha offendi.*

31. Guagnebina.

Ch. ess. gener.

Corolla tubulosa, quadri-partita. Capsula didyma, disperma.

Ch. nat. gener.

Cal. perianth. superum, quadri-partitum: foliolis lanceolatis, laxis, integerrimis, persistentibus.

Cor. monopetala, tubulosa: limbus quadri-partitus: laciniis lanceolatis, patentibus. Tubus longissimus vel ad basim, vel ad fauces ampliatus.

Stam. filamenta quatuor, brevissima, ad fauces tubi inserta, vel nulla. Antheræ vel sessiles, vel filamentis oblongæ, biloculares.

Pist. germen ob-ovatum, inferum. Stylus corolla longior. Stigma bifidum.

Tetrandria. Monogynia.

Per. capsula didyma, ob-ovata, bilocularis, bivalvis.
Sem. solitaria, oblonga.
1. G. *ignita*. G. floribus solitariis (Tab. 115.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

C. herbaceus, teres, volubilis.
Fol. petiolata, ovato-oblonga, opposita, integerrima.
Infl. solitaria, axillaris, opposita, uniflora.

OBSERVATIONES.

Hujus speciei corollæ tubus ad os est ampliatus; laciniæ reflexæ, acutæ. Stamina exserta. Stigma vix divisum. Color ignescens. Semina parva. *Habitat silvis quondam cultis tum marit., cum mediterraneis.*

2. G. *lutescens*. G. floribus binis. (Tab. 116.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Corollæ tubus in hac specie ad basim ampliatus. Inflorescentia axillaris, vel pedicellis singularibus sine pedunculo communi, vel cum pedunculo, et tunc per modum umbellæ. Antheræ sessiles. Pericarpium coronatum. Stigma indivisum.

3. G. *suavis*. G. floribus cymosis, axillaribus. (Tab. 117.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Corolla intus pilosa. Antheræ sessiles: stigma divisum. Capsula oblonga. Semina ob-ovata. Pedicelli umbellularum lateralium triflori, intermedius uniflorus. Involucrum hinc inde monophyllum.

4. G. *mitis*. G. floribus racemosis, foliatis, terminalibus. (Tab. 118.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Laciniæ calycis reflexæ, Corollæ tubus ad basim crassatus, ad fauces attenuatus: corolla intus pillosa. Antheræ sessiles, oblongæ. Stylus corolla longior. Stigma exsertum, divisum. Pericarpium didymum, sub-rotundum, coronatum. Semina cicatricula notata. Inflorescentia racemosa ad quemvis pedicellum duobus foliolis. *Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Jul. Aug.

5. G. *axillares*. G. floribus confertis, staminibus exsertis, antheris incumbentibus. (Tab. 119.ª T. 1.)

Tetrandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Corolla pilosa. Pistillus corolla brevior.

5. G. *congesta*. G. floribus axillaribus, confertis, pistillo exserto, corolla valde longiori, antheris tubo corollæ sessilibus. (Tab. 120.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Utriusque semina non vidi.

7. G. *luteo-rubra*. G. floribus solitariis, antheris sessilibus, stigmate exserto, indiviso. (Tab. 121.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Corolla tubulosa, extús rubra, et pilis referta, intús lævis, et flavescens.

Ad aliquod Lin. genus has plantas referre haud potui; quam ob rem novum genus constituere coactus fui. Aubletium consului, ut alicui ex suis generibus, si potuissem, accomodarem, sed incassum. Quo posito, in memoriam D. Guagnebini Galli Botanici novum genus dixi.

32. Hilleria.

Ch. ess. gener.

Perianthium monophyllum, bilabiatum. Corolla nulla. Semen operculatum, unicum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium labio superiori integerrimo, inferiori tripartito; laciniis æqualibus sub-rotundis: inferum, persistens.

Cor. nulla.

St. filamenta 4. longitudine perianthii. Antheræ acuminatæ, biloculares.

Pist. germen sub-rotundum. Stylus nullus. Stigma sessile.

Per. nullum. Si quoddam operculum elastice resiliens non dixeris.

Sem. solitarium, sub-rotundum, tectum, quodam operculo elastico.

1. H. *elastica*. (Tab. 122.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Rad. annua.

Caul. herbaceus, teres, ramosus, erectus, glaber.

R. patentes, sparsi.

Pet. filiformes.

Fol. petiolata, cordato-ovata, integerrima, glabra.

Pedunc. terminales, longissimi.

Infl. racemosa, stricta.

Tetrandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis excultis Regii Prædii S. Crucis. Mensibus calidis floret. In memoriam Mathæi Hilleri Hierophitici Auctoris dixi.

53. Scoparia.

1. S. *dulcis.* S. foliis ternis, floribus pedunculatis. (Tab. 123.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Ab indigenis nomine *Tupixava*, a Lusitanis *vassourinha* cognoscitur. In materia Medica Brasilica locum occupat; nam in tenesmo, hæmorrhoidibus, ani inflamationibus, vel doloribus ut præsentaneum remedium adhibetur. *Ubique, præcipue ad vias, silvasque recenter cultas progignitur.* Mensibus calidis floret.

54. Horta.

Ch. ess. gener.

Corolla monopetala, rotata, drupa unilocularis; semina quinque.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 4-partitum, superum: laciniis ob-ovatis.

Cor. monopetala, rotata. Tubus brevissimus. Limbus quadri-partitus: laciniis sub-rotundis, planis, patulis, incisis.

Stam. filamentum nullum: antheræ quatuor, sessiles, sub-rotundæ.

Pist. germen calyce immersum. Stylus cylindricus, brevis. Stigma didymum sub-rotundum.

Per. bacca unilocularis, sub-rotunda, depressa.

Sem. 5, ovata, verticillariter columnæ intermediæ adhærentia.

OBSERVATIONES.

In memoriam Garciæ ab Horto Medicinæ Professoris Lusitani Pro-Regis Indiæ Archiatri, Historiæ aromaticæ Auctoris.

1. H. *spinosa.* (Tab. 124.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, teres, simplicissimus.

Tetrandria. Monogynia

Ram. nulli.

Fol. breviter petiolata, frondosa, (seu ad apicem conferta,) verticillata, lanceolato-ob-ovata serrato-aculeata

Pedunc. axillares filiformes, nutantes, longissimi.

Infl. racemosa, pedicellis remotis, alternis, unifloris. Corolla, et fructus flavescentes.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis. Floret Aug. Sept.

335 Labatia

Ch. ess. gener.

Perianthium monophyllum, petala 4., germen conicum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianth. monophyllum, 4-dentatum, denticulis minimis.
Cor. petala 4., ovata, obtusa, brevia, patentia.
Stam. filamenta 4. longitudine petalorum, cum illis alternantia.
Antheræ sub-rotundæ.
Pist. germen conicum, obtusum. Stylus nullus. Stigma *.
Per ***.
Sem ***.

OBSERVATIONES.

In memoriam admodum R. Patris Labat Ordinis S. Dominici Galli de Rebus naturalibus Insularum Americæ scribentis dixi.

1. L. *conica*. (Tab. 125.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.
Ram. patentes, sparsi.
Fol. breviter petiolata, glabra, integerrima, lanceolato-oblonga, sparsa.
Ped. axillares, fasciculati, breves.

OBSERVATIONES.

Nec stylum, nec stigma inspicere potui in flore explicato. *Habitat silvis maritimis, mediterraneisque.*

Tetrandria. Monogynia.

56. Spermacoce.

1. S. *verticillata*. S. scabra, foliis lanceolatis, verticillis globosis. (Tab. 126.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis subscandens, obtuse quadrangularis. Stipulæ amplexicaules, multidentatæ. Inflorescentia verticillata. Perianthium laxum. Stamina exserta. Pericarpium, vel semina non sunt aristata. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret mensibus calidis.

2. S. *capitata*. S. hirta, foliis lineari-subulatis, verticillo terminali. (Tab. 127.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, obtuse tetragonus, hirtus. Stipulæ cordatæ, amplexicaules, setaceæ. Stigma indivisum. *Habitat campis apricis trans-alpinis prope Prædium vulgó dictum Boavista.*

3. S. *aquatica*. S. glabra, foliis ob-ovatis, floribus solitariis. (Tab. 128.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis procumbens, carnosus. Stipulæ 4. vel 5-dentatæ, capsula bicornis. *Rivulorum ripis solisque humentibus tam mediterraneis quam maritimis abunde nascitur.* Floret Aug. Sept.

4. S. *polyphylla*. S. foliis lanceolato-subulatis, plurimis, verticillatis, caule quadrangulari. (Tab. 129.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, simplicissimus, quadrangularis. Folia plurima lineari-lanceolata. Inflorescentia terminalis, cymosa. Stypulæ 4 vel 5-dentatæ. *Habitat campis apricis trans-alpinis.* Floret mensibus calidis.

5. S. *decurrens*. S. scabra, foliis lanceolatis, decurrentibusque, floribus terminalibus, dichotomis. (Tab. 130.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi terminales, racemosi, dichotomi. Pedicelli uniflori. Caules sub-repentes. Rami erecti. *Habitat campis apricis.*

Tetrandria. Monogynia.

6. S. *pauciflora*. S. scabra, foliis lanceolato-oblongis, floribus axillaribus, solitariis. (Tab. 131.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus; teres, stipulatus, sub-geniculatus, sub-procumbens. Stipulæ sessiles, fissæ. Flores axillares, solitarii. Mensibus calidis floret. *Silvis recenter cultis, et excultis habitat.*

7. S. *terminalis*. S. glabra, foliis lanceolatis, verticillo terminali magno. (Tab. 132.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis simplicissimus, teres, erectus. Verticillum terminale, magnum, foliatum. Stamina exserta. Antheræ decumbentes Stigma simplex. *Habitat campis apricis trans-alpinis.* Mensibus calidis floret.

8. S. *tomentosa*. S. scabra, foliis lineari-subulatis, summis quaternis, verticillo terminali. (Tab. 133.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres, tomento rufo tectus. Stipulæ setaceæ. Folia lineari-subulata. Calyces tomentosi. Verticillum terminale, magnum, nudum. *Habitat campis apricis trans-alpinis.* Floret mensibus calidis.

37. Peckia.

Ch. ess. gener.

Corolla monopetala, rotata, quadri-partita. Antheræ, et stigma sessilia. Fructus monospermus.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium parvum, quadri-partitum, laciniis acuminatis.

Cor. monopetala, rotata, plana. Limbus quadri-partitus, laciniis subulatis, patulis.

Stam. filamentum nullum. Antheræ sessiles, laciniis corollæ, sub-rotundæ.

Pist. germen superum. Stylus nullus. Stigma sessile.

Per. bacca sicca, monosperma.

Sem. unicum.

Tetrandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Peck, Botanici Galli.

1. P. *verticillata*. (Tab. 134.ª T. 1.)

Ch. ess. spec.

Foliis verticillatis.

Ch. nat. spec.

Caul. fructicosus, erectus, teres.

Fol. breviter petiolata, lanceolata, integerrima, verticillata.

Pedunc. filiformes, nutantes, spicati, axillares, conferti.

Infl. spicata.

2. P. *megaphylla*. P. foliis sparsis. (Tab. 135.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Hujus speciei folia sunt valde longiora præcedenti, ad apicem multo latiora, insertione sparsa. *Utraque habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis*. Sept. Oct. floret.

58. Rivina.

1. R. *humilis*. R. racemis simplicibus, floribus tetrandris, foliis pubescentibus. (Tab. 136.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Hanc speciem offendi ad sepes Regii Prædii S. Crucis.

59. Dorstenia.

1. D. *cayápiá*. D. scapis radicatis, foliis cordatis, obtuse serratis, receptaculo sub-rotundo. (Tab. 137.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Qualitas alexipharmaca hujus speciei, et forte aliarum jamdudum in Materia Medica eam fecit celeberrimam. Solo arboribus tecto gaudet. *Abunde progignitur Parochiis vulgó dictis Guaratyba, Campo grande.* Ab indigenis *Cayápiá*, hoc est, simiæ pudendum, ob similitudinem vocitatur. Lusitani *contra-herva, Figueira terrestre*, saporem propter, atque odorem dicunt.

Obiter lectorem monitum esse volo, aliam in mediterraneis dari Dorste-

Tetrandria. Monogynia.

niam, qua ob egregiam suam vim Medicam Rusticani quotidie utuntur; hæc tamen ab ista procul dubio discriminatur: 1.° brevitate radicis: 2.° foliis bullatis, crispis: solo sicco, aprico. Quam describo, radicalem scapum longum habet. Insuper folia nitida macula alba parte supina peripheriam circumeunte. *Solum humidum, tectum amat.*

2. D. *ficus*. D. scapis radicatis, foliis cordato-hastatis, obtuse crenatis, receptaculis linearibus, bi-furcatis, laciniatis. (Tab. 138.ª T. 1.)

OBSERVATIONES

Hanc speciem offendi ad ripas rivuli vulgó dicti da Prata e Cacumine Alpium Jerissinó dictarum decurrentis, quæ Parochiis Campo-Grande, Marapicú limitem Præscribunt. Itidem ad radices alterius montis Itacurússá dicti ad ripas maris insulæ magnæ.

3. D. *drakena*. D. scapis radicatis, foliis pinnato-fido-palmatis, crenatis, receptaculis ovalibus, apicibus truncatis, emarginatis. (Tab. 139.ª T. 1.)

4. D. *cyperus*. D. scapis radicatis, foliis cordatis, obtuse angulatis, receptaculis ob-ovatis, emarginatis. (Tab. 140.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Utramque speciem ad montes Parochiæ vulgó dictæ Guaratiba offendi.

5. D. *caulescens*. D. pedunculis caulinis, caule stipulato, foliis lanceolatis. (Tab. 141.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Habitat ad radicis montium Itacurússá dictorum.

6. D. *erecta*. D. pedunculis caulinis, caule glabro (Tab. 142.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Folia sunt ad basim coangustata, et aliquo modo sub-cordata. Utriusque caules plus ad caules decumbentes, quam ad erectos accedunt.

Receptacula sub-rotunda habent. *Hanc ultimam ad Paratyensium radices offendi.*

60. Oldenlandia.

1. O. *cordata*. O. pedunculis umbellatis, foliis cordatis, caule sub-repente. (Tab. 143.ª T. 1.)

Tetrandria. Monogynia.

2. O. *hirsuta*. O. perianthio, corollaque quinque-partita, stigmate trifido. Tab. 144.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Capsulam non vidi: corolla, et perianthium quinque-partitum timere me cogunt, ne aliud sit genus. Caulis sub-repens, hirsutus. Folia ovata, hirsuta, breviter petiolata. Stipulæ 2, hinc inde solitariæ. Pedunculi umbellati, axillares.

61. Catesbæa.

1. C. *parahybensis*. C. foliis oppositis, lanceolato-ovatis, pedunculis solitariis (Tab. 145.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, teres. Aculei axillares, oppositi, patentes, solitarii: abeunt in gemmas. Folia lanceolato-ovata, integerrima, acuminata. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori. Corolla 4-partita: laciniis latis, patulis. Filamenta brevissima, pone antheras, ad medium inserta. Stigma divisum. Baccam non vidi; idcirco de genere dubito, ne aliud sit. *Florentem vidi Sept. ad ripas fluvii vulgó dicti Parahyba prope locum* 15 *Ilhas denominatum.*

62. Romana.

Ch. ess. gener.

Corolla tubulosa, capsula unilocularis, semina plurima.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 4-dentatum, superum.

Cor. monopetala, sub-campani-formis. Limbus erectus, 4-crenatus.

Stam. filamenta 4, vix apparentia, ore corollæ inserta. Antheræ ovatæ, filamentis longiores.

Pist. germen calyce immersum, stylus filiformis, corolla brevior. Stigma simplex.

Per. sub-rotundum, inferum.

Sem. plurima, minutissima.

Tetrandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Romani B. Galli dixi.

1. R. *campestris*. R. foliis lanceolatis, serratis, floribus umbellatis. (Tab. 146.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, erectus, teres; crassitie digitali, tricubitalis.
Ram. oppositi, patentes, foliati.
Fol. petiolata, caulina, ramea, lanceolato-oblonga, serrata, pilosa.
Pedunc. terminales, umbellati, bracteati.
Infl. racemosa, terminalis, pedicellis umbellatis.

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis prope Pagum Cunha. Floret Sept. Oct. Nov.

2. R. *crenata*. R. foliis lanceolatis, crenatis, floribus sub-fasciculatis. (Tab. 147.ª T. 1.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, pilosus. Folia opposita, crenata. *Habitat loco supra citato.*

3. R. *integerrima*. R. foliis lanceolatis, integerrimis, floribus terminalibus, racemosis, bracteatis. (Tab. 148.ª T. 1.)

63. Silvia.

Ch. ess. gener.

Corolla monopetala, infundibiliformis, perianthium campanulatum, laxum, longum, limbo 5-dentato. Anthera sagittatæ. Stigma uncinatum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, campanulatum, laxum, longum, limbo 5-dentato.

Cor. monopetala, infundibiliformis. Tubus longissimus: limbus ampliatus, magnus, 5-partitus; laciniis sub-rotundis.

Stam. filamenta, corollæ dimidio breviora, medio tubi inserta. Antheræ sagittatæ, acutæ intra tubum.

Tetrandria Monogynia.

Pist. germen ovatum. Stylus cylindricus, corollà paulo longior. Stigma uncinatum.

Per. ***.

Sem. ***.

OBSERVATIONES.

In memoriam Bartholomæi da Silva Lisboa Doctoris in utroque Jure, et in Historia Naturali Auctoris cujusdam Libelli de progressu Historiæ Naturalis in Lusitania; nunc veró Judicis Forensis, et Præsidis Senatus Fluminensis locum occupantis, et de Rebus Naturalibus Brasiliæ scribentis dixi.

1. S. *curialis.* (Tab. 149.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Rad. annua, fasciculata.

Caul. herbaceus, teres, erectus, scaber, simplicissimus.

Fol. caulina, brevissime petiolata, seu sub-sessilia, lanceolato-ovata, decussata, patentia, crassa, scabra, serrata, acuta, marginibus sub-conniventibus.

Pedunc. brevissimi, axillares, bracteati, oppositi, solitarii, uniflori.

Bract. brevissimæ, duæ, hinc inde ad quemvis pedicellum, solitariæ.

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis. Eam offendi prope Pagum vulgó dictum Boavista. Floret Oct. Nov.

64. Enydria.

Ch. ess. gener.

Perianthium tetraphyllum. Corolla 4 petala. Pistillum nullus.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium foliolis 4 sub-rotundis.

Corol. petala 4 ob-ovata, minima.

Stam. filamenta 4 brevissima. Antheræ acuminatæ.

Pist. germen sub-rotundum. Stylus nullus. Stigma. *

Per.***.

Sem. ***.

Tetrandria. Monogynia.

1. E. *aquatica.* (Tab. 150.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Rad. tuberosa in radiculas capillaceas abiens.
Caul. herbaceus, repens, linearis, carnosus.
Ram. plurimi, laterales, teretes, carnosi, foliati.
Fol. opposita, composito-pinnata, foliolis filiformibus, seu capillaceis.
Infl. sessilis, axillaris, solitaria.

OBSERVATIONES.

Hæc planta nasturtium primo intuitu sub aquis simulabat, extra veró quantum potui, examinavi, sed exilitas partium fructificationis de Classe (An monoica? cum nec stigma, nec stylum viderim) atque ergo de genere etiam hæsitantem me reliquit. *Offendi rivulo quodam ad fluvium Taguahy confluentem sub aquis.*

63. Thevetia.

Ch. ess. gener.

Germen torulosum. Stigma 4-fidum.

Ch. nat. gener.

Caul. perianthium monophyllum 4-dentatum, denticulis acutis, inferum.
Cor petala 4, minima, lanceolata.
Stam. filamenta nulla. Antheræ subulatæ, sessiles.
Pist. germen quadrangulare, torulosum. Stylus filiformis, 4-fidum, reflexumque stigma.
Per.***.
Sem.***.
In memoriam R. Patris Thevetii de rebus naturalibus Fluminensibus scribentis dixi.

1. T. *pinnata.* (Tab. 151.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus, teres.
Ram. sparsi, patentes.
Fol. composito-pinnata, 5 vel 6 juga cum impari, foliolis ovato-lanceolatis, serratis, acutis.
Pedunc. axillares, sub-racemosi.

Tetrandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis. Floret Aug. Sept.

66. Æschrion.

Ch. ess. gener.

Nectaria quatuor, ovalia. Staminas nectariis inhærentia. Antheræ didymæ.

Ch. nat. gener.

Cal perianthium tetraphyllum; foliolis subulatis, patulis.

Corol. petala quatuor, ovalia, patentia. Nectaria quatuor, plana, ovalia, ciliata.

Stam. filamenta quatuor, nectariis inhærentia, brevissima. Antheræ vel didymæ, vel biloculares, sub-rotundæ.

Pist. germen rotundum, compressum. Stigma sessile.

Per.***.

Sem.***.

OBSERVATIONES.

In memoriam Æschrion Græci.

1. Æ. *crenata*. (Tab. 152.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.

Ram. sparsi.

Fol. composito-pinnata cum impari, foliolis lanceolatis, crenatis, lævibus.

Infl. axillaris, racemosa, composita.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis.

TETRANDRIA.

POLYGYNIA.

67. Mapa.

Ch. ess. gener.

Antheræ barbatæ. Germen emarginatum.

Tetrandria. Polygynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium tetraphyllum; foliolis quatuor, linearibus, inflexis, persistentibus, inferis.

Cor. nulla.

Stam. filamenta quatuor longitudine perianthii. Antheræ ovales, infra, supraque barbatæ.

Pist. germen planum, emarginatum. Styli plurimi (10) reflexi. Stigmata***.

Per. capsula plana, superne emarginata.

Sem. unicum.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Map. Botanici Galli.

1. M. *graveolens*. (Tab. 153.ª T. 1.)

Ch. nat. spec.

Rad. fibrosa, annua.

Caul. herbaceus, erectus, ramosus, crassitudine pennæ anserinæ, altitudine cubitali.

Fol. breviter petiolata, lanceolata, alterna integerrima, lævia.

Pedunc. terminales, longissimi, nudi, verbenæ instar.

Infl. spicata.

OBSERVATIONES.

Est graveolens, præcipue radix: quapropter apud Rusticanos, præcipue Æthiopes usu medico non caret. Nomine vulgari *Pipì est cognita. Habitat silvis maritimis. Continuo floret.*

PENTANDRIA

MONOGYNIA.

68. Capsicum.

1. C. *silvestre*. C. caule fruticoso, lævi, bacca sub-rotunda. (Tab. 1.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolata. Perianthium multi-dentatum. Bacca dulcis. *Habitat ad declivia Alpium Fluminensium.* Floret Sept. Oct.

Pentandria. Monogynia.

2. C. *comarim*. C. caule fruticoso, lævi, pedunculis sub-racemosis. (Tab. 2ª. T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis frutescens, sed annuus. Folia ovata, lanceolata. Baccæ minimæ, ovales, rubræ. Est ocre. Rusticani inflamationibus faucium, et ani, ut præstantissimum remedium hanc speciem adhibent. Colitur hortis, et sponte undequaque crescit. *Vulgó* dicitur *pimenta comary*, a corruptione vocabuli Brasilici *Quecimerim*. Mensibus calidis floret.

3. C. *baccatum*. C. caule fruticoso, lævi, pedunculis geminis. (Tab. 3.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Fructus conicus, seu pyramidalis. Antecedenti longitudine præstat. Vulgó dicitur *Pica de Macaco*, ob similitudinem cum Simiæ genitalibus. *Sponte crescit, et colitur hortis.*

4. C. *torulosum*. C. foliis oppositis, serratis, pedunculis spicatis, terminalibus. (Tab. 4.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia lanceolato-oblonga. Pedunculi racemosi, terminales, breves, simplices. Corollæ rotatæ. Antheræ sessiles, coloratæ, sub-ovatæ, conniventes. Bacca exsúca, sub-rotunda, triangularis, trivalvis. Perianthium, et pistillum persistentia. Videtur speciem esse mediam Solanum inter et Capsicum. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret mensibus calidis.

5. C. *inæquale*. C. caule fruticoso, foliis oppositis, inæqualibus, pedicellis ternis. (Tab. 5.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia opposita, dimidio breviora, lanceolata. Pedunculi axillares, tribus, vel quatuor pedicellis. Florem non vidi, sed propter baccam exsucam quoadusque melius cognoscatur genus Capsicis addere mihi placuit. Perianthium magnum, pentaphyllum, hirtum, persistens. *Habitat fruticetis mediterraneis.*

6. C. *axi*. C. caule herbaceo quadrangulari, foliis alternis, floribus axillaribus, bacca magna, quadrangulari. (Tab. 6.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis, aceto conditur. Vulgó dicitur *Pimentão*. Forte C. grossum Linæi ?

Pentandria. Monogynia.

7. C. *umbilicatum*. C. caule tereti, foliis ovatis, bacca umbilicata. (Tab. 7.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Bacca obtuse trigona, sub-torulosa, apice inferne ampliato, superne depresso, ad medium acutiusculo. Condimentis inservit. Vulgó dicitur *fundo de lima*. Colitur hortis.

8. C. *odoriferum*. C. caule herbaceo, foliis ovatis, bacca lanceolata. (Tab 8.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Vulgó dicitur *Pimenta de xeiro*. Colitur hortis.

9. C. *dichotomum*. C. caule dichotomo, foliis ovatis, baccis productioribus, conicis. (Tab. 9.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis. Ad eosdem usus, quibus pracedentia inserviunt, adhibetur.

69. Coffea.

1. C. *arabica*. C. floribus 5-fidis, baccis dispermis. (Tab. 10.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Quamquam exotica sit, climate nostro adeo est delectata, ut quotannis naves onerariæ plura centena millia librarum in Africam, Europamque important. Cum planta si notissima, plura de ea loqui supervacaneum puto. Colitur hortis.

2. C. *porophylla*. C. glandula pertusa ad Costam exordio nervorum foliorum. (Tab. 11.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, sex-angularis. Folia ob-ovato-lanceolata. Pedunculi terminales, racemosi. Semen ovale ab altero latere striatum. *Habitat silvis maritimis prope Pharmacopolim*. Floret Aug. Sept.

3. C. *occidentalis*. C. foliis lanceolatis, pedunculo terminali, cymoso. (Tab. 12.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Flores satis odoriferi. Stipulæ solitariæ, subulatæ. Semen ovale. Fructus calyce coronatus. Habitat campis apricis mediterraneis. *Offendi prope Prædium vulgó dictum Boavista.* Floret Nov. Decemb.

4. C. *australis*. C. foliis lanceolatis, pedunculis cyaneo-coloratis, stipulis latis. (Tab. 13.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi, corolla, fructus sunt coloreto-cyanei; coronatos non vidi. Pedunculi cymosi, dichotomi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

5. C. *meridionalis*. C. pedunculis racemosis, terminalibus. (Tab. 14.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia lato-lanceolata, maxima. Stipulæ subulatæ. Semen unicum, striatum. *Silvis Regii Prædii S. Crucis ad ripas fluvii Taguahy dicit Sept. florem, ac fructum ferentem vidi.*

6. C. *truncata*. C. pedunculis terminalibus, racemoso-cymosis, pedicellis trifloris. (Tab. 15.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Hujus fructum non vidi: calyx truncatus. Tubus corollæ valde longior, sicuti corollæ laciniæ, quæ etiam sunt cæterarum longiores, subulatæque.

7. C. *biflora*. C. floribus 2 sessilibus, terminalibus. (Tab. 16.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

A cæteris differt stigmate indiviso. Flores, ac fructus inter duas bracteas sunt, a quibus teguntur.

8. C. *stipulata*. C. floribus racemoso-compositis, terminalibus, caule stipulato, angulato. (Tab. 17.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Perianthium 4-dentatum, dentibus obtusis: laciniæ corollæ sub-rotundæ. Antheræ biloculares. Stigma divisum. Germen inferum. Caulis angulatus. Stipulæ maximæ, ovato-lanceolatæ. Folia lanceolata. Racemi compositi. Pedicelli multiflori. Flores sessiles.

9. C. *verticillata*. C. floribus verticillatis, sessilibus. (Tab. 18.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Folia ovata,aliquando lanceolato-ovata. Flores sessiles ad foliorum axillas. Antheræ sessiles. Stigma indivisum. Fructus angulatus, coronatus, calyce laciniato.

10. C. *umbellata.* C. pedunculis umbellatis, fasciculatis. (Tab. 19.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Stipulæ cordato-subulatæ. Stigma indivisum.

11. C. *sessilis.* C. floribus sessilibus ad axillas. (Tab. 20.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, pilosus, uti etiam corollæ fauces. Folia lanceolata. *Habitat campis maritimis apricis.* Floret Sept.

70. Psychotria.

1. P. *herbacea.* P. caule herbaceo, repente, foliis cordatis, petiolatis. (Tab. 21.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis maritimis, et mediterraneis.

Fructus ruber, laciniis calycis coronatus.

2. P. *emetica.* P. foliis lanceolatis, glabris, stipulis extra foliaceis, subulatis, capitulis axillaribus, pedunculatis, paucifloris. (Tab. 22.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

De charactere naturali specifico hujus speciei consulendus est Cl. Lin. filius in Supplementis plantarum. Bracteæ, quæ secundum ejus descripsionem, inflorescentia vix manifestæ sunt, in fructificatione sunt satis sensibiles. Insuper caules, foliaque sunt aliquo tomento adspersa.

Planta sat nota Pharmacopolis ob eximias ejus virtutes, hodieque Botanicis etiam post Cl. Mutis herborisationes in America, ut de ea amplius loquar. *Silvis maritimis, præcipue illis, quæ ad radices Alpium Fluminensium sunt, nascitur. Dicunt etiam silvis mediterraneis trans-alpinis, præcipue ad ripas fluvii Parahybæ adnasci.* Certe scio magna copia, et pretio ex hac Urbe quotidie evehi in Europam. Loca aprica renuit, umbrosa amat. Floret. Nov. Dec. Coli in hortis dignissima si nobis cordi esset plantas patrias, utiles colere.

Pentandria. Monogynia.

3. P. *procumbens*. P. caule procumbente, floribus terminalibus, solitariis. (Tab. 23.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Stipulis caret. Folia opposita, sed non decussata, sicut in Ps. emetica. Inflorescentia sessilis, terminalis, quo differt a præcedenti, quæ est capitata, pedunculata. Fructus pulposus, cæruleus. Semina minima. *Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis ad ripas fluvii Taguahy*. Floret Julio, Aug.

4. P. *terminalis*. P. caule fruticoso, floribus sessilibus, terminalibus, perianthio laxo, membranaceo. (Tab. 24.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Flores sessiles. Calyx campanulatus, membranaceus, coloratus, 5-dentatus, fructum eodem modo coronans. Corolla multo longior, crassa, limbo ampliato, laciniis erectis. Stamina intra tubum corollæ. Stipulæ latæ, acuminatæ, brevissimæ. *Silvis maritimis Pharmacopolitanis habitat*.

5. P. *coronata*. P. foliis lanceolato-ovatis, floribus racemoso-cymosis, terminalibus, trifloris pedunculis. (Tab. 25.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Pedunculus albo-coloratus, ad apicem incrassatus, bis sub-divisus, flores tres sessiles Perianthium 5-dentatum, vix denticulis fructum coronans. Corolla paulo longior, laciniis reflexis. Stigma exsertum. Stamina sessilia ad corollæ fauces. Fructus sphæroideus. *Silvis Pharmacopolitanis habitat*. Julio floret.

6. P. *sessilis*. P. pedunculo brevi, incrassato, floribus sessilibus, staminibus exsertis. (Tab. 26.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Discriminatur a Ps. terminali 1.° pedunculo: 2.° perianthio, corollàque breviori: 3.° staminibus exsertis: 4.° laciniis corollæ reflexis. Baccam non vidi. *Silvis maritimis Pharmacopolitanis habitat*.

7. P. *lanceolata*. P. pedunculis solitariis, axillaribus, floribus sessilibus. (Tab. 27.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia ad apicem ampliora sunt, quam ad basim. Florem non vidi. Baccæ quamquam terminales videantur, axillares esse existimo, cum interponatur

Pentandria. Monogynia.

gemmatio. Calyx coronans, minimus. *Campis apricis mediterraneis habitat.* Oct. fructum ferebat.

8. P. *laciniata.* P. floribus binis, sessilibus, maximis, terminalibus, perianthio longissimo, laciniis corollæ linearibus per calycis dentes interjectis. (Tab. 28.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Calyx duplex; primus brevissimus, 4-dentatus. Secundus infundibiliformis, membranaceus, coloratus, corollæ tubo longior, ex luteo-viridis, ore ampliato, 5.-dentato: laciniis erectis, lanceolatis. Corollæ laciniæ lineares, per calycis dentes interjectæ. Staminum filamenta tubo corollæ adnata. Baccam non vidi. *Junio via, qua e Pharmacopoli ad Oppidum Ubatúba ducitur, offendi.*

9. P. *brasiliensis.* P. floribus sessilibus, terminalibus, calyce duplici, corolla maxima, antheris sessilibus. (Tab. 29.ª T. 2.)

OBSERVATIONES

Calyx ut in præcedenti duplex, alius minimus, 4-dentatus alter longior, rubro-coloratus, campanulatus, 5-dentatus, dentibus erectis, latis, baccam coronans. Corolla maxima, hoc est, calyce valde longior, crassa, flavescens. Antheræ intra tubum sessiles, oblongæ, bi-dentatæ. *Silvis nondum cultis, quæ Pharmacopolim inter, et Oppidum Ubatúba adsunt, Jul. offendi.*

10. P. *fluminensis.* P. pedunculis terminalibus, racemosis, pauci-flores, tubo longo baccam coronante. (Tab. 30.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Florem non vidi. Nec mihi aliud discrimen pro charactere specifico assignandum, nisi tubus longus ore ampliato, dentato, præter pedunculum racemosum, pauci-florum, qui variare potest. *Silvis sterilibus mediterraneis habitat. Prope Prædium Boavista Sept. cum fructu sine flore comperui.*

11. P. *stipulata.* P. pedunculis longissimis, racemosis, foliis sub-amplexicaulibus, stipulis maximis. (Tab. 31.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Florem non vidi. Bacca vix coronata. Folia longissima, adproximata. Stipulæ lanceolatæ, longissimæ. *Silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis Jul. Aug. offendi.*

Pentandria. Monogynia.

12. P. *axillaris*. P. pedunculis solitariis, axillaribus, sub-spicatis. (Tab. 32.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Baccam non vidi, quam ob rem speciei definitio valitura, in quantum aliud non constest. *Silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis habitat.*

13. P. *villosa*. P. pedunculis umbellatis, terminalibus; bracteis trilobatis, corolla intus pilosa. (Tab. 33.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Inflorescentia terminalis. Pedunculus brevissimus. Bracteæ 4 trilobatæ, purpureo-coloratæ. Corolla bracteis paulo longior hypocrateri formis, intus pilosa, 5-partita; laciniis patulis. Filamenta staminum brevia. Antheræ exsertæ, acuminatæ. Pistillus tubo vix longior. Stigma bifidum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Oct. Nov. floret. Baccam non vidi.

14. P. *decidua*. P. pedunculis racemosis, compositis, terminalibus; pistillo corolla longiore. (Tab. 34.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Timeo ne aliud sit genus. Antheræ sessiles intra tubum corollæ. Pistillus longissimus; laciniæ corollæ lineares. Baccam non vidi.

15. P. *umbellata*. P. pedunculis terminalibus, umbellatis; floribus pedicellatis; calyce duplici. (Tab. 35.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Perianthium duplex; aliud minimum, alterum corolla longius, membranaceum, tubulosum: ore 5-partito, laciniis linearibus reflexis. Filamenta staminum brevissima, tubo corollæ adnata. Pistillus non exsertus. *Habitat silvis maritimis S. Crucis.* Floret Aug.

16. P. *cyanea*. P. pedunculis cymosis, terminalibus, axillaribusque (Tab. 36.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis. Floret Aug. Sept.

17. P. *tubulosa*. P. pedunculis terminalibus, cymosis; corolla tubulosa, tomentosa, colorato-varia. (Tab. 37.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Pedunculi crassi. Pedicelli breves, incrassati. Calyx minimus, vix manifestus Corolla longa, limbo 5-dentato, denticulis erectis. Stamina filamentis tubo adnatis. Antheris linearibus, bilocularibus, longioribus intra corollæ tubum. Corolla lutea, rubro-punctata. Bacca vix coronata. Floret Oct. Nov. *Habitat campis apricis mediterraneis prope pagum Cunha.*

18. P. *porophylla*. P. pedunculis racemosis, terminalibus; foliis ad costam exordio nervorum porosis (Tab. 38.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis ad littora maris. Color baccæ est croceus. Floret Aug. Sept.

71 Heliotropium.

1. H. *indicum*. H. foliis cordato-ovatis, acutis, scrabriusculis, spicis solitariis, fructibus bifidis. (Tab. 39.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Indigenæ *Aguaraquiunha-açú* vocitarunt. Folia sunt bullata. Caulis pilosus, punctulis notatus. H. parvi-florum forte dicerem, si hujus corolla non fuisset alba. Qualitate abstergente, et mundificante gaudet. *Ubique crescit*. Jan. Febr. cæterisque mensibus cal[i]dis floret.

2. H. *transalpinum*. H. foliis lanceolatis, spicis solitariis, caule, foliisque pilosis. (Tab. 46.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Campis apricis transalpinis habitat. Prope Pagum Boavista offendi. Febr. Mart. floret.

3. H. *scandens*. H. foliis ovatis, caule scandenti, spicis unilateralibus. (Tab. 41.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis. Folia ovato-acuminata.

4. H. *erectum*. H. foliis lanceolatis, spicis unilateralibus, terminalibus, antheris sessilibus. (Tab. 42.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

72. Datura.

1. D. *stramonium*. D. pericarpiis spinosis, erectis, ovatis, foliis ovatis, glabris. (Tab. 43.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Pharmacopoli crescit. Folia serrato-angulata.

2. D. *arborea*. D. pericarpiis glabris, inermibus, nutantibus. (Tab. 44.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Frequentissima ad ripas rivulorum tum mediterraneis, tum maritimis locis. Vulgó dicitur *Assucena do brêjo*. Corolla maxima. Fructus oblongus. Noctu suavissimè olet.

3. D. *scandens*. D. caule scandente, pericarpio glabro, sphærico, apice acutiusculo. (Tab. 45.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Hæc planta (ni fallor) hucusque nondum cognita, unde species nova. Caulis teres, scandens,etsi parum flexilis. Rami quam plurimi ejusdem naturæ et figuræ caulis. Folia ob-ovato lanceolata,lævia, integerrima, decidua, approximata. Pedunculi axillares, solitarii, brevissimi. Calyx màximus, laxissimus, 5-fidus, erectus, persistens. Corolla infundibiliformis. Tubus angustus linearis. Os amplissimum, campanulatum, 5-fidum. Laciniis sub-rotundis, erectis. Filamenta staminum faucibus inserta,attenuata. Antheræ biloculares, lineares. Pistillus corollâ paulo longior, uncinatus. Stigma obtusum. Bacca sphærico-acuminata, 4-locularis. Semina plurima, minutissima, ovalia. Corolla ex veridi-lutea. *Habitat silvis maritimis. Offendi prope Pagum indigenarum vulgó dictum Mangaratiba; etiam ad quandam insulam anphractus Pharmacopolis sinu insulæ magnæ*. Decemb. floret.

4. D. *crinacea*. D. pericarpio spinoso. (Tab. 46.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Forte aliud genus? cum a charactere essentiali Daturæ aliquantulum recedat. Semel a me comperta in prima herborisatione iterum non offendi, ut iterum examinarem. En quod vidi. Caulis arboreus, ramosus, teres. Rami patentes. Folia lanceolata, sub-fasciculata. Inflorescentia terminalis, fasciculata,

Pentandria. Monogynia.

vel solitaria. Calyx 5-partitus, linearis, parvus. Corolla infundibiliformis limbo 5-partito, mediocris, flavescens. Staminum filamenta brevissima ad fauces corollæ. Antheræ acuminatæ, biloculares. Pistillus corollà multo brevior. Stigma clavatum. Pericarpium aculeatum sicut in D. feroci. Incuria mea nec semina, nec loculamenta interna observavi. Mense Oct. florem, et fructum ferebat. *Offendi silvis, quæ sunt trans Cautes Cairuassû dictas.*

73. Convolvulus.

1. C. *limphaticus*. C. foliis digitatis, integerrimis. (Tab. 47.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Corolla violacea. Antheræ acuminatæ, biloculares. *Habitat maritimis ad ripas fluvii Taguahy.* Floret Januario.

2. C. *contortus*. C. foliis digitatis, glabris, antheris contorto-plicatis (Tab. 48.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Corolla albissima. *Habitat silvis maritimis.* Floret Jan. Febr.

3. C. *divisus*. C. foliis cordatis, antheris ovalibus, tomentosis, ad basim incrassatis. (Tab. 49.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Corolla ex albo-violacea. Antheræ erectæ, ovales, tomentosæ. Filamenta ad bassim incrassata. Pistillus bifidus, tomentosus. Stigmata capitata, cernua. *Habitat silvis maritimis.*

4. C. *indivisus*. C. foliis cordatis; stigmate indiviso; floris perianthio monophyllo. (Tab. 50.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Ipomœam dicerem, si non obstaret capsula 4-partita. Corollæ limbus integerrimus. Antheræ horizontales.

5. C. *agrostopolis*. C. foliis sub-cordato-ovatis; pedunculis racemosis. (Tab. 51.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia subtus tomentoso-sericea. Corolla sub-campanulata; limbo inte-

Pentandria. Monogynia.

gerrimo, ex albo-violacea. Stylus semibifidus. Stigmata 2 rotunda. Capsula conica, longissima, intus, pilosissima, quæ segnitiâ pictorum delineata non fuit. *Habitat silvis arenosis maritimis ad Agrostopolim. Floret Jun. Jul.*

6. C. *bifidus*. C. foliis cordatis; pedunculis longissimis, ad apicem bifidis; floribus sub-cymosis, parvis. (Tab. 52.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Perianthium pentaphyllum, tribus exterioribus cordatis, duobus interioribus subulatis corollæ longitudine. Corolla parva limbo 5-angulato, exalbo-violacea. Staminum filamenta ad basim unguiculis nectariferis. Antheræ sub-rotundæ, biloculares. Stylus staminibus longior, bilamelatus. Capsula 4-locularis, quadrangularis. Pedunculi cymosi, bifidi. *Silvis habitat maritimis ad rivulorum ripas.* Floret. Feb. Mart.

7. C. *triquetrus*. C. foliis cordatis, peltatis; stigmate indiviso, tomentoso; caule triquetro. (Tab. 53.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Staminum filamenta ad basim clavata seu incrassata, tomentosa. Antheræ oblongæ, biloculares, stigma capitatum, indivisum, tomentosum. Capsulam non vidi. *Habitat silvis tum maritimis, cum mediterraneis.* Floret Feb. Mart. Corolla purpurascens. Super altissimas arbores scandit.

8. C. *pulcherrimus*. C. pedunculis, corollisque longissimis, quam-plurimis glandulis infra axillaribus. (Tab. 54.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia cordata. Perianthii foliola sub-rotunda, ad apicem corniculata. Tubus corollæ longissimus, linearis. Limbus amplissimus, plicatilis. Filamenta staminum partim tubo adnata, exserta. Antheræ lineares, acuminatæ. Pistillus corolla valde longior. Stigmata 2 sub-rotunda, tomentosa, connata. Floret Jun. Jul. *Habitat silvis maritimis ad planities aqua irriguas.*

9. C. *edulis*. C. foliis cordatis, 5-lobatis, antheris sub-sagittatis, radice tuberosa. (Tab. 55.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Pertinet ad convolvulum Batatas, quo Cl. Lin. quæstioni: an hujus plures species distinctæ? positive respondeo. Radix est tuberosa, et edulis. Colitur hortis. Floret Jan.

Pentandria. Monogynia.

10. C. *ipomœa*. C. foliis cordatis, 3-vel 5-lobatis, lobis posticis, obsoletis. (Tab. 56.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis et folia pilosa. Pedunculi cymosi. Stigma indivisum. Capsula 4-locularis vetat esse ipomœam. *Habitat silvis maritimis.*

11. C. *tuberosus*. C. foliis cordatis, sub-angulatis, pedicellís solitariis. (Tab. 57.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa, edulis. Filamenta staminum ad basim crassata, pilosa. Stigmata connata. Convolvuli, quorum radices comeduntur, nomine generico Brasilico *Jetûca* dicuntur. *Colitur hortis.* Floret Dec.

12. C. *esculentus*. C. foliis cordatis, subhastatis. (Tab. 58.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Nomen specificum horti Clifortiani, foliis cordatis, angulatis, radice tuberosa, rectius cohæret. *Colitur hortis.* Floret Decemb.

13. C. *batata*. C. foliis cordatis, hastatis, 5-nerviis, caule repente, hispido, tuberifero. (Tab. 59.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis. A me descriptus solum trinervis erat. Carebat flore Decemb. *Habitat maritimis, ac mediterraneis.*

14. C. *cordatifolius*. C. foliis cordatis, obtuse angulatis. (Tab. 60.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis.

15. C. *varius*. C. foliis cordatis, variis, hoc est, vel cordato-angulatis, vel cordato-hastatis. (Tab 61.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis.

16. C. *brasiliensis*. C. foliis emarginatis, basi bi-glandulosis, pedunculis trifloris. (Tab. 62.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Litoribus habitat. Vulgó dicitur propter radices longissimas, smilácis *Zarça*

Pentandria. Monogynia.

instar, Salça da praya. Alii dicunt *Soldanella.* Pater Plumier ei vim catharticam tribuit. Caulis est lactescens. Floret Jan.

17. C. *philomega.* C. foliis cordatis, pedunculis racemosis, antheris sagittatis, filamentis ad basim incrassatis. (Tab. 63.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis. Floret Jan.

18. C. *truncatus.* C. foliis cordatis, oblongis, apice obtuso, angulis posticis truncatis. (Tab. 64.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia subtus pilosa, sicut et caulis. Floret Jan. Febr. *Habitat campis apricis transalpinis.*

19. C. *tomentosus.* C. foliis cordatis, trilobatis, sinuatis, pilosis. (Tab. 65ª. T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis, folia, perianthium, pilis sunt referta. Laciniæ calycis sunt longissimæ, lineares. Corolla est cyanea. *Habitat silvis excultis maritimis.*

20. C. *campestris.* C. foliis sub-cordatis, tri, vel quinque-lobatis, caule procumbente. (Tab. 66.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis, folia, et perianthium sunt pilis referta. Corolla purpurascens. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Pagum Cunha.* Floret mensibus calidis.

74. Cedrela.

1. C. *odorata.* C. floribus paniculatis. (Tab. 67.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, folia composito-pinnata, multijuga, foliolis ovatis, integerrimis. *Habitat silvis tam maritimis, quam mediterraneis.*

2. C. *fissilis.* C. floribus racemosis, compositis, foliis subtus pilosis. (Tab. 68.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Utraque materiariis lignum præbet præstantissimum; *ea molis excrescunt,*

Pentandria. Monogynia.

quód apud Insulam Divi Sebastiani Cedrelam stare dicunt, ex qua schœdia confici potest 11 *palmos lata.* Hoc ut sit verum, necesse est trunci circumferentiam habere 44 palmos.

75. Mirabilis.

1 M. *jalápa.* M. floribus congestis, terminalibus, erectis. (Tab. 69.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Variat flore luteo, purpureo, et albo. Radices sunt tuberosæ, sed apud nostrates vi cathartica caret. *Crescit tum mediterraneis, cum maritimis circa rustica prædia, locaque ruderata.* Corolla ad horas crepusculares explicatur.

76. Menyanthes.

1. Men. *brasilica.* M. foliis cordato-subrotundis, petiolis floriferis; floribus interne pilosis; stigmate 3-fido. (Tab. 70.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia radicalia, subtus pilosa. Petioli longissimi, prope spansionem foliorum, pedicellos plurimos proferentes. Pedicelli fasciculati, longi, e petiolo orti, uniflori. Corollæ limbus infra medium 5-fidus. Stigma 3-fidum. Capsulam non observavi. *Habitat pascuis irriguis, maritimis, fossulisque aquam fluentibus.* Floret mensibus calidis, pluviosis.

77. Nicotiana.

1. N. *tabaccum.* N. foliis lanceolato-ovatis, sessilibus, decurrentibus, floribus acutis. (Tab. 71.ª T. 2)

OBSERVATIONES.

Planta notissima, ut de ea aliquid dicam. *Sponte crescit silvis tum maritimis, tum mediterraneis recenter cultis.* Colitur in hortis. Quæ hic consumitur a Præfecturis D. Pauli. Aurifodinarumque universalium importatur.

2. N. *ruralis.* N. foliis lanceolatis, sub-amplexicaulibus, floribus obtusis. (Tab. 72.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Limbus corollæ integerrimus. Anthera biloculares Folia tomentosa, sed non vicida. *Hanc speciem ni fallor, novam ad prædium derelictum vulgò Parição Paratyenses trans Alpes via, qua ad Oppidum Cunha ducitur, Jan. offendi.*

78. Vigieria.

Ch. ess. gener.

Petala 5, semina 4, stigma peltatum. Capsula infera.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monoph., 5-fissum, superum, laciniis subulatis.

Cor. petala 5, ob-ovata, patentia.

Stam. filamenta 5, linearia, corollæ longitudine. Antheræ erectæ, biloculares, acuminatæ.

Pist. germen inferum. Stylus cylindricus, staminibus longior. Stigma peltatum.

Per. ovato-truncatum, 4-loculare.

Sem. 4, solitaria.

In memoriam Cl. Joannis Vigierii Auctoris Operis de plantis Lusitaniæ conscripti.

Ch. ess. spec.

1. V. *hispida*. V. caule hispido, foliis cunei-formibus. (Tab. 73.ª T. 2.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, erectus, teres, hispidus, sub-ramosus.

Ram patentes.

Fol. caulina, sub-petiolata, sparsa, sub-adpressa, cunei-formia, scabra, serrata.

Infl. terminalis. Flores fasciculati. Corolla ex albo-coccinea.

2. V. *lævis*. V. foliis ob-ovato-lanceolatis, lævibus, serratis. (Tab. 74.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Utraque crescit ad petrarum, montiumque cacumina campis mediterraneis. Floret Jan. Prope Prædium Boavista offendi.

Pentandria. Monogynia.

79. Hedera.

1. H. *unifolia*. H. foliis cordatis, serratisque. (Tab. 75.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Umbella 5-fida. Radii bis dichotomi, ultimi 3-flori.

2. H. *quinque-folia*. H. foliis quinatis, lanceolato-serratis. (Tab. 76.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Umbella bifida. Radii semel dichotomi, ultimi 3-flori. Utraque Tetrandra est. Pedunculi umbellarum utriusque oppositi-folii. *Habitat silvis, campisque maritimis, et mediterraneis.*

80. Sauvagesia.

1. S. *erecta*. (Tab. 77.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus. Folia alterna, ovato-lanceolata, obtuse-serrata. Pedunculi laterales, uniflori: floriferi, erecti; fructiferi, deflexi. Flores albi. Stipulæ ciliatæ. *Habitat campis apricis hujus continentis Austrum versus, seu ad viam Regiam, qua ex hac Urbe ad Præfecturam D. Pauli ducitur, præcipue Parochia Campo-grande.*

81. Lisianthus.

1. L. *ophiorriza*. L. foliis sparsis, lanceolatis, floribus solitariis. (Tab. 78.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Stigma est indivisum. Perianthium persistens. Capsula longissima, conica apice obtuso, bifido, bilocularis. *Habitat silvis Regii Præd. S. Crucis.* Floret Nov. Dec. Jan.

2. L. *ovatifolius*. L. caule 4-angulari, foliis sessilibus, decussatis, floribus terminalibus. (Tab. 79.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia sessilia, ovata, trinervia, integerrima, sub-adpressa. Pedunculi terminales vel solitarii, vel plurimi. Filamenta staminum ad basim sub-incrassata.

Pentandria. Monogynia.

Antheræ biloculares, cernuæ. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis via Regia, qua ad Oppidum Cunha ducitur.* Floret Jan. Febr.

3. L. *aphyllus.* L. caule erecto, minimo, stipulis subulatis, alternis, adpressis (Tab. 80.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, palmaris, nudus (quasdam habet stipulas, folia simulantes.) Pedunculi terminales unicum, vel binos flores habentes. Corolla cyanea, monopetala, 5-partita. Stigma 3-fidum. *Campis apricis mediterraneis habitat.* Floret Nov. Dec.

Sapientiores judicabunt ad quod genus istiusmodi plantæ, quas sub L. genere hic impossui, vere referri debent.

82. Chiococca.

1. Ch. *racemosa.* C. foliis oppositis. (Tab. 81.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis sarmentosus, tenuissimus, scandens. Racemi axillares, laxi. Flores oppositi, penduli, flavescentes. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Jan.

83. Hamellia.

1. H. *patens.* H. racemis patentibus. (Tab. 82.ª T. 2.)

OBSERVATIONES

Quærit Cl. Lin. an plures sint species? Quid dicam, nescio. Quam describo, nec filamenta subulata, nec bacca sulcata, nec germen apice conico ei sunt, quamquam cætera omnia implere videatur. *Silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis habitat.* Mensibus calidis floret. Corollæ color ex luteo est ignescens.

84. Ehretia.

1. E. *lanceolata.* E. foliis lanceolatis, glandulis duabus ad basim. (Tab. 83.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, teres. Rami oppositi, patentes. Folia lanceolata, integerrima, glandulis 2 ad basim, decussata. Pedunculi sub-spicati, subsecundi. Filamenta filiformia, corolla breviora. Antheræ sagittatæ. Bacca unilocularis, subrotunda. Semina bina, hinc plana, illinc convexa. Illud, quo a congeneribus recedit, exhibui. Forte aliud genus. Vulgó dicitur *Taroman*. Baccæ a columbis eduntur. Folia, cum senescunt, colore ex luteo-rubro inficiuntur. *Silvis tum maritimis, tum mediterraneis habitat.* Veris initio floret.

85. Varronia.

1. V. *globosa*. V. foliis ovatis, venoso-rugosis, spicis globosis. (Tab. 84.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Timeo ne alia sit species, cum folia non sint perfecte ovata, nec rugosa; bene veró hirta. Caulis subscandens. Corolla alba. Fructus ruber. *Habitat silvis excultis mediterraneis, maritimisque.*

2. V. *curassavica*. V. foliis lanceolatis, spicis oblongis. (Tab. 58.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis hirtus, erectus. Folia serrata, bullata, Salviæ instar, gavre-olentia. *Frequentissime habitat campis suburbics.*

86. Andicus.

Ch. ess. gener.

Corolla petala 5, stigma semitrifidum, drupa bilocularis.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 5-dentatum denticulis minimis, inferum.

Cor. petala 5, ob-ovata, calyce longiora.

Stam. filamenta 5, brevissima, receptaculo inserta. Antheræ versatiles, malei-formes.

Pist. germen superum, oblongum. Stylus cylindricus, semitrifidus. Stigmata 3.ia incumbentia.

Per. drupa cordiformis, externe carinata, cicatricula notata, bilocularis.

Pentandria. Monogynia.

Sem. 2, ovata.

1. A. *pentaphyllus.* A. foliis digitato-quinatis. (Tab. 86.ª T. 2.)

Ch. nat. spec.

Caul. arbor.

Ram. patentes.

Fol. sparsa, petiolata, composito digitata, seu quinata, foliolis ovatis, lævibus, integerrimis, acutis.

Infl. axillaris.

Pedunc. racemoso-compositi.

OBSERVATIONES.

Qualitatem emeticam, ac catharticam habet, leniter purgat, qui unum, vel duo grana edit, vel per emulsionis modum sumit. *Solummodo silvis maritimis duntaxat habitat.* Notissima, et usitatissima apud Rusticanos, non veró apud Medicos.

87. Pometia.

Ch. ess. gener.

Corolla rotata. Perianthium pentaphyllum. Bacca monosperma.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum, foliolis subulatis, inferum, deciduum.

Cor. monopetala, rotata; laciniis patentibus.

Stam. filamenta 5, petalorum laminis inserta, corolla longiora: antheræ acuminatæ.

Pist. germen cylindricum. Stylus brevis. Stigma simplex.

Peric. bacca unilocularis.

Sem. singulare sub-reniforme.

OBSERVATIONES.

In memoriam Petri Pomet Historiæ medicamentorum simplicium Auctoris.

1. P. *lactescens.* (Tab. 87.ª T. 2.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.

Ram. patentes, sparsi.

Pentandria. Monogynia.

Fol. lanceolata, petiolata, integerrima, sparsa.
Infl. fasciculata ad corticem trunci. Pedicelli solitarii.

OBSERVATIONES.

Vulgò dicitur *casca d'Anta*, quod nomen commune est omnibus arboribus, quæ a quodam animali vulgò dicto *Anta* eduntur. Confundi non debet cum alia, quæ etiam ab eodem editur, (Drimis Winteri est) corticem acrem habent. *Crescit campis, et silvis maritimis.* Floret Mart., April.

88. Solanum.

1. S. *lycopersicum*. S. caule inermi, herbaceo, foliis pinnatis incisis, racemis simplicibus. (Tab. 88.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Sponte undequaque nascitur.

2. S. *tabacci-folium*. S. Caule inermi, fruticoso, foliis lanceolatis tomentosis, integerrimis, racemis compositis. (Tab. 89.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Vulgò dicitur *Caá*, vel *Fumo bravo*. Avide editur ab animalibus quadrupedibus. Flores sunt cærulei. *Maritimis æque, ac mediterraneis præcipue silvis recenter excultis crescit.* Sept. Oct. floret.

3. S. *congestum*. S. caule inermi, fructicoso, foliis, atque floribus congestis. (Tab. 90.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Baccam non vidi. Stigma didymum. *Campis apricis habitat.*

3. S. *gnaphalocarpus*. S. caule inermi, floribus fasciculatis, axillaribus, bacca tomentosa. (Tab. 91.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Tota planta tomentosa. *Crescit campis apricis mediterraneis.* Semina ad corticem baccæ solummodo circumferentur. Stigma simplex. Nov. Oct. floret.

5. S. *coronatum*. S. caule lævi, inermi, arboreo, racemis terminalibus, bacca calyce coronata. (Tab. 92.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Offendi campis apricis mediterraneis ad viam, qua ducitur ad oppidum Cunha. Floret Oct. Nov.

6. S. *lacteum*. S. caule inermi, lævi, floribus fasciculatis, axillaribus, baccis nutantibus carinatis. (Tab. 93.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Color albescens totius plantæ triviale nomen dedit.

Silvis nondum cultis ad rivulos, vel stagna crescit. Floret Jan. Febr.

7. S. *havanense*. S. caule arboreo, inermi, foliis lanceolatis, nitidis, integerrimis; pedunculis sub-bifloris. (Tab. 94.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Forte alia species; nam pedunculi hujus dichotomi videntur. *Silvis maritimis Pharmacopolitanis crescit.*

8 S. *elegans*. S. caule piloso, foliis cordatis, racemis axillaribus, pendulis, sub-secundis. (Tab. 95.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Flos variegatus ex cæruleo, et rubro. Racemus potius dici potest unilateralis, quam secundus, quia unica serie pedicellorum gaudet. Pedicelli sunt flexiles, funis instar. Bacca ovalis duas habet concamerationes. *Habitat tum mediterraneis, cum maritimis. Floret Jan. Jul.*

9. S. *conicum*. S. caule tomentoso, foliis cordatis, racemis, atque pedicellis nutantibus, ziczac efformantibus, bacca ovali, stigmate peltato. (Tab. 96.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

In hac specie fructificatio singularissima mihi videtur; nam pedunculi, et pedicelli, funis instar, sunt laxi, et penduli. Corolla rotato-campanulata. Scutellum stigmatis antherarum apices tegit. Bacca oblonga, apice acuta. *Habitat campis apricis mediterraneis ad Prædium derelictum vulgò dictum Parição.* Floret Jul. Aug.

10. S. *sericeum*. S. caule fruticoso, lævi; foliolis sericeis, pedunculis terminalibus, racemosis, dichotomis. (Tab. 97.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Folia sunt lanceolata, pilis albissimis tecta, tactu lenissima. *Habitat campis mediterraneis.*

11. S. *diffusum*. S. Caule inermi, frutescente, pedunculis sparsis, solitariis; pedicellis fasciculatis, unifloris. (Tab. 98.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis.

12. S. *diantherum*. S. caule frutescente, foliis sericeis, pedunculis racemosis, terminalibus, staminibus diantheris. (Tab. 99.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Antheris linearibus aliæ sub-rotundæ ad apices insident. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

13. S. *ellipticum*. S. caule fruticoso, sericeis, pedunculis racemosis, bacca elliptica, seu ovali. (Tab. 100.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Habitat eodem loco, quo præcedens.

14. S. *terminale*. S. caule herbaceo, foliis pilosis, pedunculis terminalibus. (Tab. 101.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caules et folia sunt pilosa. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Pagum Cunha.*

15. S. *diflorum*. S. caule frutescente, floribus binis, vel solitariis, axillaribus. (Tab. 102.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caules, folia, et calyces brevissimis pilis sunt tecti. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Prædium Boavista.* Floret Feb. Mart.

16. S. *cernuum*. S. caule fruticoso, foliis amplissimis, bullatis, pedunculo terminali, cernuo, hirsuto. (Tab. 103.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Gemmæ, et pedunculi sunt hirsutissimi: sicuti etiam calyx. Antheris li-

Pentandria. Monogynia.

nearibus aliæ insident biloculares, sub-rotundæ. *Habitat silvis, et campis maritimis, et mediterraneis, præcipue excultis.*

17. S. *bullatum*. S. foliis venosis, bullatis, caule fruticoso, pedunculis erectis terminalibus, racemoso-cymosis. (Tab. 104.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia subtus sunt mollissimis pilis tecta, quibus etiam caulis perianthium, et pedunculus vestiuntur. *Habitat silvis maritimis.*

18. S. *sub-umbellatum*. S. caule herbaceo, pedunculis terminalibus, sub-umbellatis. (Tab. 105.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caules, et folia sunt pilosa. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

19. S. *fasciculatum*. S. caule fruticoso, pedicellis axillaribus, fasciculatis. (Tab. 106.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Antheræ sunt sub-rotundæ, et non connivent, quo a Solanis differre videntur, ob-defectum conniventiæ. Baccam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Feb. Mart.

20. S. *inodorum*. S. caule sub-scandenti, racemis terminalibus, axillaribusque. (Tab. 107.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Perianthium persistens diversum a sequenti me dicere cogit. *Habitat ad radices Alpium Paratyensium.* Floret Febr.

21. S. *odoriferum*. S. caule scandente, racemis terminalibus, perianthio deciduo, bacca ad altero latere carinata (Tab. 108.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Corolla alba, odoratissima, qua propter hortis coli dignum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Feb. Mart.

22. S. *nigrum*. S. caule herbaceo, ramis angulatis, dentatis, foliis repandis, glabris. (Tab. 109.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Ab indigenis *Caaxixá* dicitur; a Lusitanis *herva-moira*. *Undequaque nascitur.*

Pentandria. Monogynia.

23. S. *cæruleum.* S. caule fruticoso, foliis oblongis, racemis axillaribus. (Tab. 110.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Antheræ oblongæ, biloculares. Filamenta valde breviora. Bacca cærulea ovalis. *Habitat silvis excultis mediterraneis.*

24. S. *bifissum.* S. caule sub-herbaceo, foliis lanceolatis, pedunculis terminalibus, bifissis, sub-cymosis. (Tab. 111.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Tota planta hirsutissima. Petala sunt sinuata. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

25. S. *caavuràna.* S. caule arboreo, foliis lanceolatis, lævibus, nitidis, pedunculis racemosis. (Tab. 112.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Ab indigenis dicitur *caavuràna*, quod interpretatur planta, quæ inferiorem azureum colorem præbet. Qualitate refrigeranti pollet; idcirco ad balnea, clysteriaque adhibetur: etiam saponacea, nam cum illa lintea dealbantur. *Undequaque crescit, precipue silvis excultis.* Floret mensibus calidis.

26. S. *cormanthum.* S. caule sub-arboreo, lævi, pedunculis multifloris, axillaribus. (Tab. 113.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi brevissimi, multis pedicellis per modum umbellæ, non solum axillis, sed etiam ad cicatriculas foliorum deciduorum. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Aug. Sept.

27. S. *uniflorum.* S. caule herbaceo, pedicellis solitariis, unifloris. (Tab. 114.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Tota planta lævis. *Habitat campis mediterraneis prope prædium Boavista.* Floret Sept. Oct.

28. S. *flaccidum.* S. caule lævi, sub-cirrhoso, racemis terminalibus, compositis, staminibus inæqualibus. (Tab. 115.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis est subscandens. Stamina inæqualia, hoc est, 3 longiora, 2 bre-

Pentandria. Monogynia.

viora. Cirrhi sunt infra axillares, crassi, contorti. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolim.* Febr. Mart. floret.

29. S. *inæquale.* Caule erecto, lævi, racemis terminalibus, staminibus inæqualibus. (Tab. 116.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Stamina sicut in præcedenti sunt inæqualia.

Habitat silvis maritimis ad ripas fluvii vulgo dicti Taguahy. Floret Aug. Sept.

30. S. *stipulatum.* S. caule sub-fruticoso, pedicellis solitariis, axillaribus, unifloris. (Tab. 117.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis. Floret Feb.

31. S. *perianthomega.* S. caule hirsutissimo, foliis sub-ovatis, floribus solitariis, axillaribus, perianthio magno. (Tab. 118.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Perianthium baccæ valde excrescit, Physalis instar. Stamina non connivent, immo patentia sunt. Antheræ sub-rotundæ, biloculares. Stigma connatum. Forte Physalis species? *Silvis maritimis crescit.*

32. S. *cylindricum.* S. caule erecto, lævi, pedunculis axillaribus, solitariis, sub-umbellatis, 3-vel 4-floris; bacca sub-cylindrica. (Tab. 119.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolato-oblonga. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct. Nov.

33. S. *triphyllum.* S. caule procumbente, foliis ternatis, racemosis terminalibus. (Tab. 120.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia ternata; foliolis ovatis, acuminatis supremo petiolato ampliore. Filamenta antheris longiora. Baccam non adspexi. *Habitat campis mediterraneis trans-alpinis. Offendi ad viam prope ædiculam Præ ii vulgo dicti Boavista.*

34. S. *edule.* S. caule aculeato, foliis pinnatifidis, racemis terminalibus, axillaribusque. (Tab. 121.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Foliorum costæ, nervi, et perianthia aculeata. *Maritimis raro crescit mediterraneis frequentissime, præsertim silvis recenter excultis.* Impune editur magna copia. Colore cerasa imitantur. *Joá* vulgó dicitur. Floret mensibus calidis.

35. S. *hexandrum*. S. caule aculeato, foliis lanceolatis, angulatis, corollis hexapetalis, hexandrisque. (Tab. 122.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, spinæ rubro-igneæ. Foliorum costæ, atque nervi aculeati: etiam perianthia. Pedunculi axillares, racemosi. Corolla amplissima, violacea, 6. laciniata. Antheræ 6 sessiles. Pistillus antheris valde longior. *Habitat silvis nondum cultis.*

36. S. *repandum*. S. caule aculeato, hirto, foliis lanceolato-ovatis, racemis terminalibus. (Tab. 123ª. T. 2.)

OBSERVATIONES.

Solummodo caulis aliquibus aculeis fulcitur. Folia sunt repanda, pilis referta. *Habitat campis apricis.*

37. S. *jubeba*. S. caule aculeato, aculeis uncinatis, etiam foliorum costis, foliis ovato-lanceolatis, pedunculis terminalibus. (Tab. 124.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi sunt racemosi. Pistillus staminibus valde longior. *Habitat campis mediterraneis apricis.*

38. S. *oleraceum*. S. caule scandente aculeato, foliis alternepinnatis, pedunculis racemosis, solitariis, extra axillaribus. (Tab. 125.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Aliquo modo S. dulcamaræ assimilatur. Caulis teres, aculeatus, scandens. Folia alterna, impari pinnata, foliolis lanceolatis, alternis. Oleraceum dixi, quia indigenæ, Lusitanique gemmis foliaceis ad comedendum utuntur. Ideirco in mediterraneis hortis colitur. *Juquerióba* (quod interpretatur *planta spinosa, edulis*) dicitur. Inservit etiam ad gargarismata conficienda inflamatio-

Pentandria. Monogynia.

nibus epiglottidis adhibenda. *Silvis nondum cultis, tum maritimis, tam mediterraneis habitat.*

39. S. *decurrens.* S. caule 5-angulari, aculeato, foliis impari-pinnatis, decurrentibus. (Tab. 126.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, procumbens, 5-angularis (angulis membranaceis) aculeatus. Folia opposita, impari-pinnata, 4-juga, foliolis lanceolatis, immis minimis dein sensim excrescentibus, petiolis, alatis. Pedunculi infra-axillares, 3-flori, nutantes. Bacca lanceolato-oblonga. *Offendi ad quemdam rivulum in silvis Pharmacopolitanis etiam ad ripas fluvii Taguahy silvis Regii Præd. S. Crucis.* Usu caret. Floret Aug.

40. S. *arrebenta.* S. foliis cordatis, 5-lobatis, pedicellis axillaribus 1, 2, 3-floris. (Tab. 127.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, aculeatus, diffusus. Folia cordata, 5 aliquando 7-lobata, costis, nervisque aculeatis. Aculei ex luteo-ignescentes; cum planta recens, confertissimi, cum senescit, rariores. Sunt recti, oblique inserti. Vulgó dicitur *Joá arrebenta cavallo.* Bacca est coccinea.

41. S. *sub-scandens.* S. caule scandente, aculeato, foliis cordato-ovatis, multi-angulatis; aculeis recurvis, racemis supra axillaribus (Tab. 128.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Dantur aliquæ solanorum species, quæ fructu gaudent breviori, etsi plantæ sint suffructicosæ, a vulgo ob id Jurepéba denominatæ, quarum hæc est una. Omnibus vim medicam tribuunt, decoctum radicis sumendo pro gonorrhæis sanandis. *Habitat silvis maritimis, et mediterraneis.* Rami, petioli, folia, perianthia pilosa.

42. S. *bifissum.* S. foliis cordato-ovatis, 9-lobatis, pedunculis infra-axillaribus, bifissis, aculeis triquetris. (Tab. 129.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Aculeis triquetris, rectis, pedunculis infra-axillaribus, caules que erecto a præcedenti differt, cum sit una ex iis, quæ etiam *Jubeba*, seu *Jurepéba* dicitur. *Crescit tum maritimis tum mediterraneis.*

Pentandria. Monogynia.

43. S. *paratyense*. S. caule scandente, aculeato, hirto, foliis cordatis, integerrimis. (Tab. 130.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Offendi ad littora Pitanguaba dicta trans cautes Cairusú tractu Pharmacopolitano. Fructum, atque florem ferebat Oct. Cacumen mali aurantii arboris, super quam scandebat, adæquabat.

44. S. *ambrosiacum*. S. caule herbaceo, aculeato, foliis ovatis, lobatis, aculeatis. (Tab. 131.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Fructus flavescens, odoratissimus. Clysteribus rusticani frequenter utuntur. *Joá amarello* nomine gaudet. *Pascuis inter gramina Regii Prædii S. Crucis crescit*.

45. S. *sinuatifolium*. S. caule diffuso, aculeato; foliis cordato-lobato-sinuato-angulatis, floribus vagis. (Tab. 132.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Bacca coccinea Solani *arrebenta* similis. *Habitat mediterraneis et maritimis*. Floret calidis mensibus.

46. S. *multi-angulatum*. S. foliis cordatis, multi-angulatis, floribus racemosis, axillaribus. (Tab. 133.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Folia ampla. Corolla alba. *Habitat silvis maritimis et mediterraneis*.

89. Mangifera.

1. M. *indica*. (Tab. 134.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis Fluminensibus. Florem fert Sept. Arbor frondosa. Folia petiolata, lanceolata, oblonga, alterna. Racemi terminales, compositi. Flores brevissimi. Si menses September, et October fuerint ventibus, vel pluviis agitati, flores ob exilitatem, tunc decidunt, vel emissiones pollinis impediunt, quo Dec., et mensibus sequentibus nullus fructus.

Pentandria. Monogynia.

90. Hirtella.

1. H. *americana*. H. floribus pentandris. (Tab. 135.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami alterni. Folia lanceolata, integerrima, breviter petiolata, hinc, et inde ad pedicellum stipulis subulatis. Pedunculi racemosi, bracteati. Racemi simplices. Petala ob-ovata.

2. H. *Cliffortia*. H. floribus triandris. (Tab. 136.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caule, foliis, cæterisque conveniunt. Una tantum ab altera differt staminibus, petalis emarginatis. Cui tempus fuerit hoc examen prosequi debet. Quod feci eodem dubio, quo Cl. Lin. laboravit Pisonis herbarii vivi, atque Cliffortii adspectu, involutum me reliquit. *Copiosi crescit silvis suburbicis, præcipue Regii Prædii S. Crucis.* Existimo toto anno florere.

91. Celastrus.

1. C. *umbellatus*. C. caule scandente, foliis cordatis, serratis, umbellis axillaribus. (Tab. 137.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens. Folia alterna. Petioli mediocres. Cirrhi ad medium pedunculorum convoluti. Pedunculi communes foliati, opposito-folii. Pedunculi partiales, axillares, umbellati. Folia pedunculi communis pro involucris. Umbella pedicellata, sub-bifissa. *Habitat silvis maritimis, ac mediterraneis.*

2. C. *spicatus*. C. caule sarmentoso, declinato, foliis cordatis, serratis, pedunculis spicatis e petiolis, cirrho oppositi-folio. (Tab. 138.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis sarmentosus, teres. Folia ovata, sub-cordata, remote denticulis incisa, sub-9-nervia, reticulata. Petioli alterni ultra medium, ad spansionem foliorum propius, divisi in proprium petiolum, pedunculum spicæ, et cirrhum.

Pentandria. Monogynia.

Cirrhus oppositus petiolo partiali folii eadem Longitudine, convulutus, indivisus. Spica pedicellata. Bacca subtriangularis. *Habitat silvis excultis Parochiæ Campo grande.*

92. Benjamina.

Ch. ess. gener.

Nectaria 5 petala simulantia, e quorum apice stamina.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum, foliolis lanceolatis.

Cor. petala 5, ovalia, quodam filo ad apicem, et ad basim, patentia.

Nectaria 5, ob-ovata, pilosa, petala mentientia, conniventia, e quorum apice staminum filamenta.

St. filamenta 5, filiformia, ex apice nectariorum, eadem longitudine.

Antheræ sub-rotundæ, binæ, connatæ.

Pist. germen conicum, apice truncato. Stylus, stigma nullum.

Per.***

Sem.***

OBSERVATIONES.

In memoriam Fr. Francisci Solani Benjamin Botanici delineatoris consocii mei.

1. B. *alata*. (Tab. 139.ª T. 2.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.

Ram. patentes, sparsi.

Fol. alterna, pinnata, multi-juga: foliolis lanceolatis, alatis, integerrimis.

Pedunc. racemosi, terminales, compositi, paniculati. Corolla lutea.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis prope Agrostopolim.

93. Braddleya.

Ch. ess. gener.

Petala 5, 4 cuneiformia, æqualia, 5um amplius emarginatum.

Pentandria. Monogynia.

Stamina brevissima receptaculo.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 5-dentatum.

Cor. petala 5, 4 æqualia, similia, cuneiformia; 5um lamina ampliata, emarginata. Petala omnia e basi ad medium adeo coadunantur, ut corollam monopetalam basi ventricosam mentiantur.

Stam. filamenta 4 vix aparentia. Antheræ acuminatæ.

Pist. germen sub-rotundum. Stylus staminibus longior.

Per.***

Sem.***

OBSERVATIONES.

In memoriam Cl. Braddley Dictionarii Botanici Auctoris.

1. B. *legalis*. (Tab. 140.ª T. 2.)

Ch. nat. spec.

Cal. truncus arboreus.

Ram. sparsi, patentes.

Fol. breviter petiolata, remote serrata, sparsa, lanceolato-oblonga.

Pedunc. axillares, racemosi. Corolla ex luteo-alba.

OBSERVATIONES.

Materiariis inservit. *Canella de veado* Lusitane dicitur. *Ad ripas fluvii Taguahy silvis habitat maritimis.* Aug. floret.

94. Genipá.

1. G. *americana*. G. foliis imis pinnati-fidis, supremis lanceolatis, caule arboreo. (Tab. 141.ª T. 2.)

2. G. *humilis*. G. foliis ovato-lanceolatis, caule fruticoso. (Tab. 142.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Genipæ Americanæ truncus arboreus altissimus; humilis veró fruticosus; prima materiariis lignum præbet; indigenis veró atramentum, quo se se, et tela inficiunt. *Silvis habitat maritimis.*

Pentandria. Monogynia.

95. Mussænda.

1. M. *spinosa.* M. corollis hypocrateri-formibus. (Tab. 143.ª T. 2.)

2. M. *odorifera.* M. corollis infundibili-formibus. (Tab. 144.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Mussænda spinosa habitat campis apricis suburbicis. Ramuli ultimi habent spinas quaternas cruciatim positas: præterea quatuor flores terminales, sed meæ corolla differt a Linnæana; nam est hypocrateri-formis.

M. odoriferæ corolla est infundibili-formis, crassa, ex albo-lutea, suavem spirans odorem, solitaria, pedunculata, inter 4 spinas cruciatas posita. Neutrius duplex stigma observavi, bene veró stylum incrassatum, seu clavatum. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.* Floret Feb. Mart.

96. Spigelia.

1. Sp. *anthelmia.* S. caule herbaceo, foliis summis quaternis. (Tab. 145.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Statim ac ab Excellentissimo Domino Pro-Rege Vasconcellio Botanices spartham accepi, per quam celebrem hanc Spigeliam silvis Regii Prædii S. Crucis offendi, quod Præstantissimo Domino illicó notum feci. Quatuor post annos, quidam Pharmacopola ab uno ex meis commilitonibus semina accipiens, ejus plantationem hac in Urbe propagavit; sed hucusque si de ejus vi medica periculum fecerunt Practici, mihi non innotescit. Floret Januario.

97. Desfontæna.

Ch. ess. gener.

Stamina semitrifida. Stylus semitrifidus. Stigma bifida.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum, foliolis lanceolatis, patulis.
Cor. petala 5 perianthio longiora.

Pentandria. Monogynia.

Stam. filamenta 5 semi-trifida longitudine corollæ.
Pist. germen rotundum. Stylus trifidus, stygmata bifida.
Per. capsula tricocca, unilocularis.
Sem. solitarium, rotundum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Desfontænes Botanici Galli.
1. D. *tricocca*. (Tab. 146.ª T. 2.)

Ch. nat. gener.

Caul. herbaceus, teres, sub-ramosus.
Fol. lanceolata, breviter petiolata, serrata, alterna.
Pedunc. axillares, breves, racemosi, pauci-flori.

OBSERVATIONES.

Habitat ad Alpium Fluminensium declivia. Sept. floret.

98. Rhamnus.

1. R. *iguaneus*. R. aculeis geminatis, altero patente, racemis axillaribus, monoicis, foliis nudis. (Tab. 147.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Vulgatissima planta nomine Lusitano *Colinos de gallo*, brasilico *Vará apiá* nota. *Habitat undequaque maritimis, et mediterraneis*. Floret Aug. Sept.

2. R. *ruffus*. R. aculeis geminatis, racemis terminalibus, androgynis, foliis nudis. (Tab. 148.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis. Quam describo, collecta fuit ad *ripas fluvii Tagiuahy*. Bacca trisperma. Caulis color ruffus. Supra arbores altissimas scandit. Sept. floret.

99. Cordia.

1. C. *ecalyculata*. C. foliis lanceolatis, glabris, floribus racemosis, calyce deciduo. (Tab. 149.ª T. 2.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Caulis truncus arboreus. Florem non vidi. Drupa apice acuto. Aug. fructum ferebat. *Habitat ad radices Fluminensium Alpium Regii Prædii.*

2. C. *obliqua*. C. foliis oblongis, sparsis, glabris, pedunculis terminalibus, calyce persistente. (Tab. 150.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Nec hujus florem vidi. Drupa sphæroidea, sed nucleus acutus, apice contorto. *Loco, et mense supra citato fuit comperta.*

3. C. *sebestena*. C. foliis oblongo-ovatis, repandis, scabris. (Tab. 151.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. In aliquibus differre videtur a vera Sebestena Asiatica, hoc est, figura corollæ, et colore, quia nostræ enim est albissima,et non fulvolutea; tubus corollæ amplissimus, et non augustus, ut est tubus corollæ mirabilis; cæteris veró non videtur multum dissentire, quia folia etiam variant figura, vel serrata, vel non, vel ovata, vel lanceolata. *Vulgo dicitur Muricì. Habitat campis, silvisque excultis maritimis.* Toto fere anno florem, et fructum profert. Calyx, et pistillus persistentes. Spica unilateralis.

4. C. *macrophylla*. C. foliis ovato-lanceolatis, pilosis, sesquipedalibus, bullatis. (Tab. 152.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia bullata, congesta. Racemi terminales, sub-dichotomi, sub-cimosi, sub-unilaterales, sub-congesti. Corolla parva, lutea. Drupa unilocularis, flavescens. Calyx persistens, 5-partitus. *Habitat campis apricis Reg. Prædii S. Crucis.*

5. C. *digynia*. C. foliis ob-ovato-lanceolatis, bullatis, nitidis. (Tab. 153.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Discriminatur ab aliis pistillis 2.bus sed dichotomis, cæteris perfecte cohæret. Folia nitidissima. Corolla parva laciniis reflexis. Drupa rotunda, exluteo-rubra. *Habitat campis Parochiæ vulgò dictæ Irajá prope Molendinum Sacchariferum Sacopêma denominatum.* Apr. May floret.

Pentandria. Monogynia.

6. C. *taguahyensis*. C. foliis oblongo-lanceolatis, nitidis; racemis terminalibus; drupa sub-rotunda. (Tab. 154.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Corolla candida, C. Sebestenæ, etsi multó minor, instar. Drupa sub-rotunda, candida. *Habitat silvis excultis ad ripas Fluvii dicti Taguahy.* Floret Jul. Aug.

7. C. *candida*. C. foliis lanceolatis, racemis axillaribus, corolla rugosa, drupa ad extremitates coangustata. (Tab. 155.ª T. 2.)

OBSERVATIONES.

Corolla rugosa. Tubo angusto; drupa alba, ad extrema coangustata. *Silvis Parochiæ dictæ Campo grande habitat.* Toto fere anno floret.

100. Cordiada.

Ch. ess. gener.

Perianthium monophyllum, stigmata 6, stylus terbifissus.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 5-dentatum, strictum, angulatum.

Cor. monopetala infundibili-formis. Tubus longitudine calycis. Limbus 5-partitus, laciniis patentibus.

Stam. filamenta 5, corolla longiora. Antheræ incumbentes.

Pist. germen superum. Stylus staminibus longior ter-bifidus, stigmata 6 incumbentia.

Per. bacca.

Sem. solitarium, calyce obvolutum, conico-truncatum.

1. C. *trichotoma*. (Tab. 156.ª T. 2.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.

Ram. patentes, sparsi.

Fol. petiolata, lanceolata, integerrima, sparsa.

Pedunc. terminales, racemosi.

Infl. racemosa.

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Vulgò dicitur *Louro batata*, ob similitudinem, quam cum Lauro habet vulgó dicta *Canella*; *batata* veró propter inferioritatem ligni, quo non obstante, operibus adhibetur. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis.* Cordiada a me dicta ob similitudinem cum cordiis. Floret Jul. Aug.

101. Cerbera.

1. C. *thevetia*. C. foliis linearibus, longissimis, confertis. (Tab. 1.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Mensibus calidis floret. *Frequentissime ad maris littora locis inundatis habitat.* Arbor lactescens. Fructus venenatus.

102. Leretia.

Ch. ess. gener.

Perianthium monophyllum, bifissum. Corolla 5-petala, pericarpium monospermum, semen cordatum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, bifidum.

Cor. petala 5, lanceolata, patentia, pilosa.

Stam. filamenta 5, corolla paulo longiora, filiformia. Antheræ acuminatæ, oblique incumbentes.

Pist. germen conicum. Stylus brevissimus. Stigma obtusum.

Per. bacca sub-rotunda.

Sem. solitarium, cordiforme.

OBSERVATIONES.

In memoriam Joannis Leretii, qui de rebus naturalibus Fluminensibus aliqua scripsit. D. Villagaillon comes fuit.

1. L. *cordata*. (Tab. 2.ª T. 3.)

Ch. nat. spec.

Caul. truncus arboreus.

Pentandria. Monogynia.

Ram. patentes, sparsi.
Fol. breviter petiolata, ovato-lanceolata, integerrima.
Pedunc. axillares, racemosi.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis ad ripas Fluvii Taguahy.
Floret Aug.

103. Verbascum.

1. V. *blataria*. V. foliis amplexi-caulibus, oblongis, glabris, pedunculis solitariis. (Tab. 3.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis.

104 Ivonia.

Ch. ess. gener.

Corolla tubulosa, antheræ sagittatæ, stigma bifissum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 5-partitum.
Cor. tubulosa, calyce longior, 5-crenata, erecta.
Stam. filamenta 5, corollæ insertæ, antheræ sagittatæ.
Pist. germen superum. Stylus filiformis longitudine corollæ. Stygma bifidum.
Per. ***.
Sem. ***.

OBSERVATIONES.

In memoriam Fr. Ivonis Descalceati summi Botanici apud Pometium.
1. I. *amplexi-caulis*. (Tab. 4.ª T. 3.)

Ch. nat. spec.

Rad. annua.
Caul. herbaceus, triqueter-pedalis, simplex.

Pentandria. Monogynia.

Fol. lanceolata, amplexi-caulia, alterna, integerrima.
Pedunc. terminales, racemosi.

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis. Floret Jan. Febr.

103. Cestrum.

1. C. *stipulatum.* C. floribus pedunculatis, caule stipulato, foliis lanceolatis. (Tab. 5.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis biorgyalis, teres, tomentosus, fragilis. Folia lanceolato-ovata, subtus tomentosa. Pedunculi axillares, longissimi. Stipulæ cordatæ, amplexi-caules, hinc inde solitariæ. Flores ad summum apicem pedunculorum vel sessiles, vel pedicellati. Bracteæ lanceolatæ ad quemvis florem. Bacca cylindrica; cum matura fit, nigressit. Est grave-olens, sed noctu flores suavem odorem spirant. *Habitat silvis maritimis, ac mediterraneis.* Floret mensibus calidis.

2. C. *axillare.* C. pedunculis brevissimis, floribus sessilibus, congestis. (Tab. 6.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Filamenta staminum brevissima. Antheræ biloculares. Stigma emarginatum. Caret stipulis. *Habitat campis mediterraneis.*

3. C. *arvense.* C. pedunculis axillaribus, corollis ad fauces, et ad basim ventricosis. (Tab. 7.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolato-oblonga. Corolla lutea. Caulis herbaceus. Etsi præcedentium corollæ ad fauces coangustentur, attamen hujus ad fauces, et ad basim sub-rotunde ampliatur, seu ventricosa fit. *Habitat campis apricis transalpinis, prope Prædium Boavista.* Floret Jan. Febr.

4. C. *sub-sessile.* C. pedicellis brevissimis, floribus congestis nutantibus, foliis lanceolato-ovatis. (Tab. 8.ª T. 3.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Folia cæterarum foliis ampliora. Pedunculi vix apparentes, brevissimi. Pedicelli congesti. *Habitat silvis maritimis, aliquando ad Prædiorum sepes.* Floret mensibus calidis.

106. Gardenia.

1. G. *suave-olens.* G. foliis ovalibus oppositis, floribus terminalibus, tubo corollæ longissimo. (Tab. 9.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami oppositi. Folia decussata, ovalia, glabra. Stipulæ lanceolatæ. Infl. terminalis. Pedunculi sicut et petiolis. Pedunculi sicut et petioli, brevissimi. Calyx 5-dentatus denticulis erectis. Tubus corollæ longissimus, spithamæus, linearis. Limbus contortus, 5-partitus; laciniis ovalibus ad apicem fornicatis, patentibus, reflexis. Filamenta staminum brevissima ad faucem corollæ. Antheræ oblongæ, sub-uncinatæ. Suavissime olent flores. Bacca ovalis calycis denticulis coronata, lutea. Semina ovalia. *Habitat campis, silvisque maritimis.* Floret Dec. Vulgó dicitur *Assucena do mato.*

2. G. *trinervis.* G. foliis lanceolatis, 3-nerviis, racemis terminalibus; floribus pilosis, fructu magno, rotundo. (Tab. 10ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis subscandens. Folia ovato-lanceolata, 3-nervia, integerrima, opposita. Racemi compositi. Corolla tubulosa, hirta, limbo 5-fido, patente. Antheræ sessiles ad fauces. Stylus filiformis longitudine tubi. Bacca drupacea. Semina plana, orbiculata hinc inde crenis oppositis, pertusa. Forte aliud genus? *Silvis habitat marinis ad ripas Taguahy.* Floret Aug. Sept. Eodem tempore fructum fert.

3. G. *sessilis.* G. floribus sessilibus, brevibus, antheris longis, sessilibus. (Tab. 11.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-arboreus. Rami oppositi. Folia ovato-lanceolata, integerrima, opposita. Flores congesti, sessiles, terminales, brevissimi. Antheræ corolla bre-

viores, basi sessiles. Stigma clavatum. Baccam non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

4. G. *bullata.* G. foliis ovatis, acutis, bullatis, floribus terminalibus, sessilibus, tubo corollæ longissimo. (Tab. 12.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-arboreus, hirtus. Rami oppositi. Folia amplissima, ovata, bullata, pilosa, opposita. Stipulæ oppositæ, subulatæ. Flores terminales. Tubi cernui lineares, spithamæi, ad spansionem laciniarum contorti. Limbus 5-partitus, amplus, laciniis amplissimis, patentissimis, contortis. Antheræ oblongæ, acutæ, sessiles, ad laciniarum sissuras. Stylus corolla paulo longior, bi-lamellatus. Corolla ex luteo-alba. Bacca sub-rotunda, quadri-locularis, calyce coronata, cortice lignoso, flavescens. Semina plurima, sub-rotunda, nidulantia. Floret Dec. *Offendi ad Insulam vulgó dictam Sande, sinu Insulæ magnæ.*

5. G. *ferrea.* G. foliis lanceolatis, floribus terminalibus, cymosis, bacca multi-angulata. (Tab. 13.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami, foliaque opposita. Corollæ parvæ 5-partitæ, laciniis contortis, sub-rotundis, patentibus. Antheræ sessiles, lineares ad fauces corollæ. Pistillus corolla brevior, filiformis. Stigma clavatum. Bacca calyce coronata, sphæroidea multi-angularis, 4-locularis. Semina plurima, ovata. *Habitat silvis, campisque Regii Prædii S. Crucis.* Floret Febr. Mart.

6. G. *parviflora.* G. foliis ovalibus, floribus terminalibus, sub-solitariis. (Tab. 14.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Corolla parva. Antheræ lineares, sessiles intra tubum corollæ. Stigma simplex. Bacca unilocularis, coronata. Semina majuscula, ovata. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Jan. Ingenue fateor has G. species inter sese multam habere convenientiam, aliquibus tamen differre: quæ tamen differentia mihi non satis persuasum habuit, vel ut aliud genus quærerem, vel ut novum constituerem; quod mihi odiosum. Consulendi sunt characteres naturales gen. apud Lin. filium. Si recte, Sapientiores judicent.

Pentandria. Monogynia.

107. Plumbago.

1. P. *scandens.* P. foliis petiolatis, ovatis, glabris, caule flexuoso, scandente. (Tab. 15.ª T. 3.)

Ca-apomonga, brasilicé dicitur. Cl. Murrayus, vel quisquis sit Auctor notæ ad calcem plumbaginis scandentis positæ, refert calycem a D. Jacquino missum distinctam speciem demonstrare; sed calycem missum non describit; ideo P. nostræ calycem exponimus. Perianthium monophyllum, tubulatum, ad limbum angustius, angulatum; anguli glandulis pedicellatis, viscosis, quæ vestibus transeuntium adhærescunt. Anno fere toto amplius, minusve floret. *Silvis ad littora maris habitat.* Gustum, ut Nasturtium, acuit.

108. Paiva.

Ch. ess. gener.

Corolla infundibiliformis; stigma bi-lamellatum; bacca infera, bi-locularis.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum, foliolis lanceolatis, superum, persistens.

Cor. monopetala, infundibiliformis. Limbo 5-partito laciniis patentibus, acutis

Stam. filamenta 5, brevissima, ad faucem corollæ inserta. Antheræ ovatæ, erectæ.

Pist. germen inferum; stylus filiformis, corollâ brevior. Stigma bi-lamellatum, lanceolatum.

Peric. bacca turbinata, 1-locularis, 4-angularis, angulis rotundis, infera.

Sem. minutissima plurima.

OBSERVATIONES.

In memoriam Doct. Emmanuelis Joachimi de Paiva Medicinæ Professoris Olysiponensis de re Botanica instructi, qui primus Fluminenses plantas ad examen revocare conatus fuit.

1. P. *verticillata.* (Tab. 16.ª T. 3.)

Ch. nat. spec.

Caul. herbaceus, scandens, teres, pilosus.

Pentandria. Monogynia.

Fol. petiolata, ovato-lanceolata, bullata, pilosa, integerrima, opposita, stipulata, persistentia.

Stip. sessiles, cordatæ, amplexi-caules.

Infl. sessilis, verticillata, supra, infraque axillaris. Pistillus aliquibus baccis grandior factus persistit.

OBSERVATIONES.

Campis maritimis, præsertim Parochia Campo grande habitat. Mensibus calidis floret.

109. Tabernæmontana.

1. T. *echinata*. T. foliis oppositis, floribus racemosis, terminalibus. (Tab. 17.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Flores odoriferi, contorti. Nectariis caret. Corolla alba. Foliculi 2 horizontales, supra concavi, infra convexi, echinati. Pulpa, qua nidulantur semina coccinea. Caulis sub-arboreus, lactescens. Vulgó dicitur *Páo de colher*. *Habitat silvis excultis maritimis.*

2. T. *lævis*. T. foliis lanceolatis, alternis, repandis, pedunculis infra-axillaribus, solitariis, 3-floris. (Tab. 18.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Foliculi 2, horizontales, ovato-lanceolati, acuti, apicibus inflexis, lactescentes, flavescentes. Semina 4, plana, sub-rotunda, supra, infraque angulata, pulpa alba nidulantia. Corolla caret nectariis, ex-albo-flavescens. *Habitat silvis maritimis ad radicis Alpium Fluminensium.* Floret Aug. Caulis est arboreus.

3. T. *didyma*. T. foliis lanceolatis, floribus sub-cymosis, foliculis didymis, sub-rotundis, erectis.

OBSERVATIONES.

Perianthium vix denticulatum. Antheræ clavatæ. *Habitat silvis Regii Præd. S. Crucis.* Floret Sept.

4. T. *sessilis*. T. foliis lanceolatis, aproximatis, floribus sessilibus, aggregatis.

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Flores per caulem sparsi aggregati. Filamenta tubo connata. Germina duo. *Ni fallor, silvis maritimis Pharmacopolitanis ad declivia Alpium prope Molendinum Sacchariferum dictum Matto-dentro.* Floret Oct.

Foliculos non vidi, sed corolla contorta, et duo germina hanc plantam inter T. ponere mihi persuasum habuere.

110. Heliconia.

1. H. *biahy.* H. foliis lanceolatis, latis. (Tab. 19.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia radicalia, longissima. Spadix erectus. Spatha rigida, amplexi-caulis, alterna, persistens. Pedunculi breves. Inflorescentia umbellata, sub-sessilis, fructus triqueter. Semina tria. Spadix luteus, spatha coccinea. Corolla exalboflavescens. Fructus cæruleus. *Habitat silvis maritimis ad loca humentia, et aquosa.* Floret Jun. Jul.

2. H. *angusta.* H. foliis lanceolatis, angustis. (Tab. 20.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis ad viam regiam, qua ducitur ad oppidum vulgò Ubatuba inter cautes Alpium unum ab alio loco discernentium. Floret Jul.

3. H. *thalia.* H. foliis radicalibus, et caulinis. Spadice composito. (Tab. 21.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia radicalia, caulina, petiolo ad basim membranaceo, lato, canaliculato, caulem vaginante, ad expansionem folii terete. Spadix divisus, seu compositus. *Habitat silvis maritimis ad radices Alpium Jericinó duo inter molendina saccharifera Mendanha, et Coqueiros dicta.* Jan. florebat.

Mihi idea non satis clara, si Heliconia, an Thalia? Fructificatio Heliconiæ, et habitus Thaliæ, hoc est, caulis geniculatus, folia caulina confusionem pariunt.

4. H. *episcopalis.* H. foliis latissimis, radicalibus, spadice lanceolato imbricato, stricto; spathis deciduis. (Tab. 22.ª T. 3.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Spathæ lanceolatæ, concavæ, carinatæ, apice acuminato, imbricatæ, strictæ, luteæ, alternæ. Episcopi mittram repræsentat. Cætera cum H. biahi. *Habitat campis, silvisque maritimis ad loca aquosa Parochiæ Campo grande.* Floret Jan.

III. Cæsia.

Ch. ess. gener.

Petala quinque. Semina solitaria. Capsula trilocularis.

Ch. nat. gen.

Cal. perianthium superum, vix quinque dentatum.

Cor. petala quinque, lanceolata, parva.

Stam. filamenta quinque. Antheræ oblongæ, oblique insidentes, longitudine filamentorum.

Pist. germen inferum. Stylus pyramidalis. Stigma simplex.

Per. capsula tri-locularis, obtusè triangularis.

Sem. solitaria, ovata.

OBSERVATIONES.

In memoriam Federici Cæsii Sancti Angeli Principis Botanicas tabulas construentis.

1. C. *spinosa.* (Tab. 23.ª T. 3.)

Ch. nat. spec.

Caul. fructicosus, teres.

Ram. patentes, alterni, aculeati. Aculei acerosi, solitarii, patentes, recti.

Fol. alterna, aggregata, breviter petiolata, lanceolata, integerrima.

Pedic. axillares, congesti, uniflori, nutantes.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis prope Molendinum Sacchariferum, vulgó Mendanha. Floret May. Jun.

Pentandria. Monogynia.

112. Narda.

Ch. nat. gen.

Perianthium monophyllum, quinque partitum. Corolla monopetala.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, quinque partitum, laciniis lanceolatis.
Cor. monopetala.
Stam. filamenta quinque, longitudine corollæ. Antheræ rotundæ.
Pist. germen.
Per.***
Sem.***

OBSERVATIONES.

In memoriam Antonii Nardi operum Hernandesii Collectoris.

1. N. *spinosa*. (Tab. 24.ª T. 3.)

Ch. nat. gen.

Caul. arboreus, erectus, teres, aculeatus.
Ram. dichotomi.
Fol. pinnata, bijuga, foliolis lanceolatis, oppositis, integerrimis, breviter petiolatis; aculeo terminali iter ultima paria, et in axilla dichotomiæ.
Pedun. terminales, qui post florum decidentiam in aculeos abeunt, vel e contra.
Infl. terminalis (hoc est ad apices foliorum compositorum) pedunculata, umbellato-cymosa.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis. Aliquo die et notæ characteristicæ, et pedunculorum metamorphosis accuratius prospicienda.

113. Echites.

1. E. *lutea*. E. pedunculis terminalibus, 4-fidis, sub-divisis, multi-floris, foliis oblongo-lanceolatis. (Tab. 25ª. T. 3.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.

2. E. *sulphurea*. E. pedunculis brevissimis, multi-floris, axillaribus, pedicellis congestis, foliis lanceolatis. (Tab. 26.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi oppositi. Pedicelli congesti. Corolla sulphurea. *Habitat silvis maritimis.*

3. E. *didyma*. E. pedunculis longis, bifidis, floribus racemosis ad apicem congestis, foliis lato-lanceolatis. (Tab. 27.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corolla sulphurea. Folliculi didymi. *Habitat silvis maritimis.*

4. E. *odorifera*. E. pedunculis bifidis, racemosis, foliis cordato-lanceolatis. (Tab. 28.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corolla ad basim ventricosa, purpurea, ad limbum ampla, alba. Folliculi didymi. *Odoratissima est.*

5. E. *funi-formis*. E. pedunculis racemosis, foliis cordatis, acuminatis. (Tab. 29.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corolla flava, auriinstar. Folliculi duo, semoti, fili-formes. *Habitat silvis ad Insulam Arára-quara sinu Insulæ magnæ.* Floret Dec.

6. E. *denticulata*. E. floribus racemosis, corollæ fauce per modum annuli circulariter supra limbum elevata, 5 denticulis intra tubum stamina simulantibus. (Tab. 30.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis.

7. E. *violacea*. E. foliis ovatis, racemis verticillatis, pedicellatis. (Tab. 31.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia, caules, perianthium pilosa. Corolla ampla, purpureo-violacea.

Pentandria. Monogynia.

Pedunculi mediocres. Flores ad apicem fasciculati per modum verticilli. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

8. E. *peltata*. E. foliis peltatis, amplissimis, ovatis, pedunculis 3-floris, axillaribus, folliculis duobus ad extrema coadunatis. (Tab. 32.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corolla sulphurea, ampla, laciniis truncatis, basi tubi ventricosa. Folia amplissima, glabra. Folliculi crassi, basi, apiceque solummodo coadunati. *Habitat silvis mediterraneis, via publica, qua itur ad Pagum Cunha, prope prædium Encruzilhada dictum.* Floret Feb.

9. E. *megagros*. E. pedunculis umbellatis, annulo elevato, denticulato ad faucem corollæ, foliis lanceolato-ovatis. (Tab. 33.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, folia, pedunculus, cæteraque levissime tomentosa. Corolla flavescens. Pedicelli æquales. Involucrum polyphyllum, foliolis lanceolatis. *Habitat campis apricis Parochiæ Campo grande.* Florebat Mart.

10. E. *suberosa*. E. pedunculis racemosis, folliculis binis, discretis, torulosis, caule cortice suberoso, annulo elevato denticulato ad faucem. (Tab. 34.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *Sipó Carneiro*. Caulis rugosissimus, lactescens. Folia lanceolata. Pedunculi simplices, longi. Faux corollæ sicut in præcedenti, annulo, elevato, denticulato, limbi laciniis reflexis. Folliculi longissimi, penduli, torulosi. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Aug.

11. E. *sessilis*. E. corollis sessilibus, axillaribus, congestis, foliis lanceolato-ovatis. (Tab. 35.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis lactescens; corollæ purpureæ; laciniæ erectæ. *Habitat ad littora trans Cautes maritima vulgó dictas Cairuçú.* Florebat Oct. Folliculos non vidi; nec iterum hanc plantam offendi.

12. E. *linearis*. E. pedunculis spicatis, terminalibus, foliis ovato-lanceolatis. (Tab. 36.ª T. 3.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Tubus corollæ ita brevissimus, ut videatur corolla 5-petala. Limbi laciniæ linearisubulatæ. Corolla lutea. Folliculos non vidi. Caulis sarmentosus, seu rigidus. *Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.*

13. E. *thyrsoidea*. E. pedunculis subspicatis, terminalibus, thyrsodeis, foliis ovatis, decussatis. (Tab. 37.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis punctatus, sarmentosus. Rami tenelli, et foliorum dorsa hirta. Folia ovata, decussata, sed non semper e regione opposita. Pedunculi terminales, thyrsoidei, bracteati. Bractea ad quem vis florem singularis. Corolla flavescens. *Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis.* Folliculos non vidi.

14. E. *pilosa*. E. floribus racemosis, compositis, terminalibus, corolla pilosa, foliis oblongis. (Tab. 38.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Tubus vix apparens; laciniæ patentes, pilosæ. Folliculos non vidi. *Silvis Pharmacopolitanis habitat.*

15. E. *isthmica*. E. pedunculis terminalibus, pedunculis partialibus ziczac efficientibus, folliculis isthmicis, seminibus sine papo. (Tab. 39.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis S. Crucis, et Pharmacopolitanis. Defectus pappi; et ziczac pedunculorum partialium ei singularia sunt. Caulis sarmentosus, punctatus. Corolla flavescens. Floret Aug. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis.*

16. E. *coalita*. E. pedunculis brevibus, floribus congestis, folliculis coadunatis, torulosis, foliis lanceolato-ovatis. (Tab. 40.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corolla flavescens. *Habitat silvis Maritimis Pharmacopolitanis.*

17. E. *bracteata*. E. pedunculis terminalibus, floribus bracteatis, congestis, sessilibus, brevibus. (Tab. 41.ª T. 3.)

Pentandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Caulis sarmentosus, pilosus. Folia lanceolato oblonga, subtus pilosa. Bracteæ lanceolatæ. Perianthium laciniis corollæ longioribus. Corolla brevisssima. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

18. E. *madida*. E. floribus solitariis, axillaribus, foliis cordato-oblongis, glabris. (Tab. 42.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corolla purpurea. *Hanc offendi silvis madidis, vulgò dictis da Paciencia, ad viam publicam, qua ad austrum iter fit.* Floret Mayo.

19. E. *campestris*. E. foliis imis lanceolato-oblongis, supremis lanceolatis, pilosis, pedunculis foliatis, solitariis, unifloris. (Tab. 43.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, perianthium, corolla extus sunt pilosa. Corolla ampla, aurantio colore infecta. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Julio.

20. E. *hirsuta*. E. pedunculis racemosis, bracteatis, corollà plicatili, foliis cordatis. (Tab. 44.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis volubilis. Folia cordata, decussata, subtus pilosa. Pedunculi axillares. Bracteæ lato lanceolatæ decussatæ. Corolla extus pilosa, coccinea, intus lutea. Limbus plicatus. Folliculi crassi, Cynanchi ad instar. *Habitat silvis mediterraneis prope Prædium Boavista.* Floret Oct.

21. E. *erecta*. E. caule erecto, herbaceo, racemis terminalibus, foliis cordatis decussatis. (Tab. 45.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, teres, subramosus, cubitalis, pilosus. Folia cordata, ad basim coangustata; ad dorsum pilosa, decussata. Bractea alterna, subulata, infra, et ad pedicellos. Perianthium magnum; corolla perianthio paulo longior. Racemus thyrsum præsentat; seu comam. Folliculi duo, erecti. *Habitat campis mediterraneis prope Prædium Encruzilhada.* Floret Mart.

Pentandria. Monogynia.

22. E. *emarginata*. E. caule erecto, foliis emarginatis, pedunculis terminalibus, paucifloris. (Tab. 46.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, subramosus. Folia ovata, apice emarginato, vix petiolata, decussata. Pedunculi terminales, bracteati, pauci-flori. Perianthium longitudine corollæ, laciniis laxis, divergentibus. Corolla tubulosa, exviridi-alba, ad medium, et ad faucem coangustata, limbo parvo 5-partito, patente. Folliculos non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov.

23. E. *arborea*. E. pedunculis axillaribus, pedicellis congestis, folliculis reflexis, caule arboreo. (Tab. 47.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, teres, lactescens. Rami patentes, sub-dichotomi. Folia petiolata, opposita, lanceolata, poris in divisione nervorum ad Costam. Pedicelli uniflori, congesti; corolla ex-luteo-alba. Folliculi 2, horizontales, recurvati. *Habitat campis molendini saccharifer Mendanha dicti.* Martio florebat.

24. E. *augustá*. E. caule herbaceo, foliis decussatis, pedunculo uni, vel bi-floro, terminali. (Tab. 48.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Planta tota brevissimis pilis; radix tuberosa; caulis linearis, pedalis. Folia ovata, glabra, sub-adpressa, sub-imbricata. Pedunculus terminalis, semipedalis, linearis. Corolla tubo-semi-pedali, lineari; limbo amplissimo, repando, 5-partito, laciniis contortis, amplis. Est alba, coccineo, et luteo colore variegata. Florebat Februario, Martio. *Habitat campis apricis prope Prædium Boavista.* Folliculos non vidi.

25. E. *illustris*. E. caule herbaceo, foliis ovatis, racemo terminali. (Tab. 49.ª T. 3.

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis erectus, teres, herbaceus. Folia decussata, subcongesta, supra nitida, subtus tomentosa. Corolla ex-albo-coccinea, mediocris; laciniis cordatis, contortis. Folliculi 2, divergentes. *Habitat, et floret loco, et tempore paulo supra relato.*

Pentandria. Digynia.

26. E. *dubia*. E. foliis cordatis, sessilibus, subtus pilosis, caule sub-fruticoso, piloso. (Tab. 50.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Hujus plantæ radix tuberculis plena, in medicina rustica satis adhibetur, ob præclaras virtutes, quas ei tribunt. *Orelha de Onça* dicitur. Quoties ad mediterranea conscendi, florem videre eo fine, ut ad classem, et genus redigerem, frustra conatus fui. Aliqua cum Echitibus similitudo illi hunc locum seligere me obstrinxit. Aliis forte concessum erit classem veram, et genus invenire. *Habitat campis mediterraneis.*

PENTANDRIA.

DIGYNIA.

114. Asclepias.

1. A. *axillaris*. A. foliis petiolatis, ovato-lanceolatis, pedunculis axillaribus. (Tab. 51.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis.

2. A. *hispida*. A foliis petiolatis, ovatis, pedunculis axillaribus, umbellatis, nectariis, bi-aristatis. (Tab. 52.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, et folia hirsuta.

3. A. *communis*. A. foliis cordatis, peltatis, floribus congestis, axillaribus, nectario bi-corniculato. (Tab. 53.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, folia subtus leviter pilosa. Foliculi striati, inflexi. *Habitat campis, et silvis maritimis.* Floret Novemb. Dec.

4. A. *monantha*. A. foliis cordatis, glabris, floribus solitariis, folliculis pendulis. (Tab. 54.ª T. 3.)

Pentandria. Digynia.

OBSERVATIONES.

Laciniæ petalorum sunt subulatæ, longæ. Nectarium corniculatum, bifidum, auriculis sub-rotundis, integerrimis. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Septemb.

5. A. *elegans.* A. foliis ovato-lanceolatis, pedunculis 4-floris. (Tab. 55.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia glandulis ad basim. Laciniæ corollæ reflexæ. Nectaria auriculis bi-aristatis; aristæ reflexæ. Auriculæ concavæ. Caret corniculo.

6. A. *cordata.* A. foliis cordatis, pedunculis axillaribus, racemoso-congestis. (Tab. 56.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Nectarium caret corniculo, sed auriculæ corniculum inflexum habet; corolla lutea. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii.* Febr. floret.

7. A. *alpina.* A. foliis cordatis oblongis, pedunculis umbellatis, axillaribus. (Tab. 57.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Nectarium corniculatum, corniculis conniventibus. Auriculæ muticæ, sub-crenatæ. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Prædium Boavista.* Martio floret. Folia ad basim 4, vel 5, glandulas subrotundas habet.

8. A. *pulchra.* A. foliis cordatis, pedunculis axillaribus, sub-racemosis, pedicellis laxis. (Tab. 58.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Nectarium bi-corniculatum. Auriculæ truncatæ; corolla ampla, caulis, cæteraque leviter pilosa. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Prædium Boavista.* Mart. floret.

9. A. *nitida.* A. foliis cordatis, oblongis, pedunculis umbellatis. (Tab. 59.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Nectarium bicornutum supra, infra tubulatum. Folia nitida, venis rubris. *Habitat campis maritimis, seu fruticetis.* Floret Jan.

Pentandria. Digynia.

10. A. *multicaulis*. A. caule erecto, foliis cordatis, sub-adpressis, decussatis; pedunculis terminalibus, solitariis. (Tab. 60.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, foliaque subtus pilosa, *Habitat campis apricis mediterraneis*. Floret Jan.

11. A. *singularis*. A. caule erecto, foliis cordato-ovatis, floribus terminalibus, axillaribusque. (Tab. 61.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis virgatus. Folia cordato-ovata, decussata, sub-adpressa, lævia. Pedunculi axillares, umbellati. Nectarium tubuloso-campanulatum, bis denticulis coronatum ad apicem, mediumque: denticuli 6, auriculæ rotundæ, tribus aristis filiformibus sursum. Aliis tribus antheræ terminantur. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Prædium Boavista*. Floret Febr. Mart.

12. A. *pilosa*. A. caule erecto, foliis cordatis, pedunculis racemosis, axillaribus. (Tab. 62.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis virgatus, pilosus. Folia opposita, decussata, pilosa. Nectarium bisc orniculatum; auriculæ supra truncatæ, infra rotundatæ. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Prædium, vulgó Parição*. Floret Oct. Nov.

13. A. *arvensis*. A. caule erecto, foliis cordatis, sub-erectis, pedunculis racemosis, axillaribus. (Tab. 63.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Nectarium corniculatum, bifidum: auriculæ ob-ovatæ, aristatæ. Pedunculi pedicellis sub-umbellatis. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Prædium Parição*. Floret Feb. Mart.

14. A. *curassavica*. A. caule erecto, foliis lanceolatis, petiolatis, glabris, nitidis, umbellis erectis, solitariis, lateralibus. (Tab. 64.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Defectus denticulorum in folliculis ad latera, ne alia sit, timêre me cogit. Petala reflexa. Auriculæ corniculatæ, corniculis inflexis. Corniculo erecto, bifido nectarium caret. *Undequaque crescit maritimis, atque mediterraneis*. Toto fere

Pentandria. Digynia.

anno floret. A rubedine petalorum, et auricularum flavedine vulgó dicitur *Official da Sala.*

15. A. *candida.* A. caule erecto, foliis lanceolatis, obtusis, glabris, decussatis, umbellis axillaribus, solitariis. (Tab. 65.ª T. 3.)

OBSERVATIONES

Caulis pedalis, linearis, simplex. Nectarium caret corniculo, sed auriculæ duobus gaudent; aliud inflexum, reflexum aliud. Folliculos non vidi: petala sunt reflexa.

16. A. *umbellata.* A. caule erecto, foliis lanceolato-oblongis, acuminatis, decussatis; umbellis axillaribus. (Tab. 66.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Petala sunt reflexa; nectario caret. Auriculæ veró duo cornicula habent, inflexum unum, reflexum aliud. *Habitat, et floret loco, et tempore supra relatis.*

17. A. *spinosa.* A. caule erecto, spinoso, foliis ovato-oblongis, 5-nerviis, alternis, acuminatis, floribus solitariis, axillaribus. (Tab. 67.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corniculo caret; sed auriculæ sunt aristatæ, aristis inflexis. *Habitat campis mediterraneis prope Prædium Boavista.* Floret Aug. Sept.

18. A. 5-*flora.* A. caule erecto, foliis ovatis, acuminatis, oppositis; pedunculis axillaribus, sub-umbellatis, 5-floris. (Tab. 68.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, perianthium, et folia pilosa. Videtur mihi nectarium auriculis carere. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Prædium Boavista.* Floret tempore supra citato.

115. Cinanchum.

1. C. *tetragonum.* C. foliis lanceolatis, pedunculis 3-floris, folliculis reflexis tetrangularibus. (Tab. 69.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, petioli, et pedunculi pilosi. Corollæ laciniæ ob-ovatæ ex luteo-vi-

Pentandria. Digynia.

rides. Folliculi tetrangulares. Antheræ nectariæ vix apparentia. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

2. C. 3-*florum*. C. foliis cordatis, pedunculis 3-floris, folliculis ovato-acuminatis, teretibus. (Tab. 70.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis hirsutissimus. Corollæ laciniæ emarginatæ, ex luteo-virides. Folliculi penduli. *Habitat loco supra citato.*

3. C. *hystrix*. C. foliis cordatis, pedunculis nutantibus, folliculis oblongis, et erinaceis. (Tab. 71ª. T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, petioli, pedunculi, folia subtus hirsutissima. Pedunculi sub-racemosi, bracteati, multiflori. Corolla amplissima, laciniis ovatis, ex viridi-purpureis. Folliculi ovato-oblongi, confertim muricato subulati. *Crescit silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Febr. Mart. floret.

4. C. *ganglinosum*. C. foliis cordatis, repandis, floribus sessilibus, axillaribus, folliculis ganglinosis. (Tab. 72.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, folia &c. tomentosa. Flores brevissimi, sessiles, axillares, uni, vel duo. Folliculos muricato-clavatus; corolla obscure flavescens. Auriculæ nectarii sub-rotundæ, inflexæ. *Habitat loco supra citato, et iisdem mensibus floret.*

5. C. *umbellatum*. C. foliis lanceolatis, pedunculis longissimis, umbellatis, axillaribus. (Tab. 73.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia subtus brevissime pilosa. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

6. C. *nitidum*. C. foliis lanceolatis, nitidis; glandulis duabus ad basim, pedunculis brevibus, axillaribus, pauci-flores. (Tab. 74.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis stipulis dentatis ad exortum petiolorum. Auriculæ nectarii paten-

tes, acuminatæ. Folliculus ovalis, glaber apice contorto. *Habitat campis mediterraneis prope Prædium Boavista.* Jan. Feb. floret.

7. C. *usterion.* C. foliis lanceolatis, pedunculis brevibus, umbellatis. (Tab. 75.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corolla laciniis acutis, viridibus, nectario albo, stellam repræsentante. Auriculæ nectarii sunt fornicatæ; folliculi falciformes, apice sursum elevati. *Habitat silvis maritimis tam Regii Prædii, quam Pharmacopolitanis.* Floret Jan.

8. C. *phylladen.* C. foliis cordatis, latis, glandula ad basim 3-dentata; petiolis revolutis, macula calosa pro stipula; folliculo cordato. (Tab. 76.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folliculus maximus, cordatus, altera ala depressa. Semina plano turbinata apice 5-dentata, peritonæo subtiliter reticulato involuta. *Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Dec. Jan. Cortex folliculi lignosus.

9. C. *caudatum.* C. foliis ovatis, brevissimis, caudatis, bi-floris, axillaribus. (Tab. 77.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, et folia lævia; corolla violacea laciniis lanceolatis; nectarium erectum, flavescens. Folliculi parvi crassati ad basim, ubi semina; dein attenuati, cauda longa. *Habitat campis apricis ad viam publicam, quæ ex hac urbe ad austrum vergit.* Mensibus calidis floret.

10. C. *hirsutum.* C. foliis ovato-lanceolatis brevibus, pedunculis 3, vel 4-floris, axillaribus. (Tab. 78.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, folia, petala (quæ ob-ovata, erecta, minima) hirsuta. *Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.* Floret Jul. Aug.

11. C. *rotatum.* C. foliis cordatis, lævibus, pedunculis umbellatis, paucifloris. (Tab. 79.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Laciniæ corollæ ovato-lanceolatæ, ex-viridi, et purpureo coloratæ. Necta-

Pentandria. Digynia.

rium 5-angulatum, truncatum, depressum, flavescens. Caulis, &c, lævia. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

12. C. *stellatum*. C. foliis cordatis, peltatis; pedunculis longissimis racemosis; floribus ad apicem congestis. (Tab. 80.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, petioli, et pedunculi pilosi. Folia supra nitida; corollæ laciniæ ab alio latere sinuosæ, rugosæ, ex viridi-albæ. Folliculus cordatus una ala depressa. Peritonæum reticulatum non observavi; nectarium cylindricum supra stellatum. *Habitat silvis maritimis tam Pharmacopolitanis, quam Regii Prædii.* Floret Nov. Dec.

13. C. *viride*. C. foliis cordato-oblongis, pedunculis brevissimis, axillaribus. (Tab. 81.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, pedunculi, petioli, foliorum costæ hirsutissimi; folia etsi cordata ad basim sunt coangustata; pedunculi sub racemosi. Laciniæ corollæ subrotundæ; corolla ex viridi-lutea. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Valde assimilatur CC. tetragono, et 3-floro.

14. C. *congestum*. C. foliis lanceolatis, pedicellis axillaribus, congestis. (Tab. 82.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Flores pedicellati, axillares, oppositi, congesti 3-4; nectarium 5-aristatum aristis capillaceis. Tota planta lævis. *Habitat campis apricis maritimis ad viam publicam, quæ ad austrum vergit.*

15. C. *aphyllum*. C. floribus sessilibus, sparsis ad ramusculos. (Tab. 83.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Etsi huic C. triviale nomen (aphyllum dedi,) attamen foliis aliquibus non caret; quæ cum sint decidua, majori anni parte sine foliis extat. Folia minima, lineari-lanceolata; corolla violacea. Nectarium vix distinguibile, flavescens. *Habitat pascuis irriguis gramineis Reg. Prædii.* Floret Aug. Sept.

16. C. *ciliatum*. C. foliis lanceolatis, pedunculis sub-racemosis, laciniis pe-

rianthii amplis, acuminatis, ciliatis; corollæ brevissimis, emarginatis. (Tab. 84.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Perianthium magnum, viride; petala minima, albida, emarginata; folliculus turbinatus, lævis. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

17. C. *subulatum*. C. foliis linearibus, subulatis, floribus pedicellatis, solitariis, axillaribus. (Tab. 85.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis, fruticetisque maritimis.

18. C. *floridum*. C. caule nudo, ramusculis multi-floris, floribus congestis, sub-verticillatis. (Tab. 86.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis nudus. Aliquod folium non vidi. *Habitat campis apricis maritimis.*

116. Apocynum.

1. A. *erectum*. A. foliis cordatis, oppositis, pedunculo longissimo, terminali, pedicellis solitariis, oppositis, bifloris. (Tab. 87.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, teres, dodrantalis, glaber, lactescens, simplicissimus, linearis. Folia adpressa, sessilia, cordata, glabra; pedunculus terminalis, simplex, longus palmos 2, cum semisse. Pedicelli brevissimi, oppositi, biflores, nutantes. Corolla campanulata. Folliculi falci-formes. *Habitat campis apricis mediterraneis supra montium cacumina.* Floret Febr.

2. A. *volubile*. A. caule scandenti, foliis sub-cordatis, pedunculis sub-racemosis, corolla campanulata. Folliculo ovali. (Tab. 88.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis lactescens; folia subtilissimo tomento albo tecta; corolla campanulata. *Habitat silvis excultis mediterraneis prope Præd. Boa-vista.* Floret Aug.

Pentandria. Digynia.

117. Hydrocotyle.

1. H. *alpina*. H. foliis peltatis, 5, angulatis, angulis acutis. (Tab. 89.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis, et pars supina folii pilosi. Fructificationem non vidi. *Silvis habitat umbrosis, et humentibus ad Alpes Fluminenses.* Floret Sept. Oct.

2. H. *fluminensis*. H. foliis peltatis, 7, angulatis, angulis acutis, pagina prona, pilosa, serratis. (Tab. 90.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia amplissima; petioli longissimi; pedunculi petiolorum longitudine. Umbella multiflora, præter radios longos alteram seriem radiorum minimorum habet. *Habitat, et floret loco, et tempore supra laudato.*

3. H. *umbellata*. H. foliis peltatis, umbellis multi-floris. (Tab. 91.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Descriptio tradita est Linneana. Addi debet sequentia; folia bis-crenata; umbella simplex, 8-flora. *Habitat ad radices Alpium Fluminensium, locis umbrosis, et aqua madidis.* Floret Sept. Oct.

4. H. *vulgaris*. H. foliis peltatis, crenatis, pedunculis 4-floris. (Tab. 92.ª Fig. 1.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia pilosa, brevissima. *Crescit locis aquam fluentibus, vel stagnantibus, tum maritimis tum mediterraneis.* Floret mensibus supracitatis.

5. H. *paratyensis*. H. foliis sub-reni-formibus, integerrimis umbellis paucifloris. (Tab. 92.ª Fig. 11.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Crescit locis, et floret mensibus supra laudatis.

6. H. *biflora*. H. foliis cordato-reni-formibus, dentatis, pedicellis bi-floris, solitariis. (Tab. 93.ª T. 3.)

Pentandria. Digynia.

OBSERVATIONES.

Habitat ad radices montium mediterraneorum locis umbrosis, et siccis. Floret Aug. Sept.

7. H. *3-flora.* H. foliis cordato obtusis, integerrimis, floribus 5 sessilibus. (Tab. 94.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Semel hanc plantam offendi trans maritimas cautes vulgó dictas Cairu-sú. Corolla est purpurascens, cum cæterarum sint albidæ.

8. H. *emarginata.* H. foliis reni-formibus, crenis latis, pedunculis longissimis, multi-floris. (Tab. 95.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia lævia. *Habitat, et locis, et floret mensibus supra relatis.*

9. H. *dux.* H. foliis reni-formibus, angulato-crenatis, pedunculis longissimis, multi-floris. (Tab. 96.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia pilosa. *Floret, atque habitat mensibus, et locis supra relatis.* Omnes hæ species Brasilica consuetudine *Acararissoba*, vel *Acarissóba*, Lusitana verò *Herva Capitão* dicuntur.

118. Eryngium.

1. E. *fœtidum.* E. foliis radicalibus, lanceolatis, serratis, floralibus multifidis, caule dichotomo. (Tab. 97.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Vulgó dicitur *Coentro da Colonia. Maritimis sponte nascitur, mediterraneis hortis colitur.*

2. E. *arvense.* E. foliis lanceolatis, serratis, floralibus lanceolatis, caule trichotomo. (Tab. 98.ª T. 3.)

Pentandria. Digynia.

OBSERVATIONES.

Sponte nascitur campis apricis maritimis, mediterraneisque ad montium declivia. Offendi monte Boavista dicto. Floret Oct. Nov.

3. E. *aquaticum*. E. foliis ensi-formibus, serrato-spinosis, floralibus subulatis, caule simplici. (Tab. 99.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Abunde crescit in mediterraneis ad rivulum prope Prædium Parição, ubi campi sunt aprici.

4. E. *ciliatum*. E. foliis radicalibus subulatis, caulinis subulato-amplexicaulibus, ciliatis; caule simplici. (Tab. 100.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat monte supra citato ad declivia, eisdemque mensibus floret. Folia serrato-spinosa.

5. E. *subulatum*. E. foliis amplexi-caulibus, ensi-formibus, angustis, spinosis, caule simplici. (Tab. 101.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Ejusdem montis ad declivia habitat, mensibus que supra dictis floret.

6. E. *lineare*. E. foliis lineari-subulatis, aculeis mollibus, caule simplici. (Tab. 102.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat loco supra citato.

7. E. *tucano*. E. foliis linearibus, mollibus, caule simplici, 3-floro. (Tab. 103.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Vulgó dicitur *Lingua de Tucano*. Inservit ad conficienda gargarismata pro inflammatione epigglottidis. *Habitat ad cacumina montium mediterraneorum inter gramina.*

Pentandria. Trigynia.

119. Chneopodium.

1. C. *Sancta Maria*. C. foliis lanceolato-angulatis, racemis foliatis. (Tab. 104.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, pilosus. Rami adscendentes, pilosi. Racemi axillares, foliati. Plantæ contusæ succus potatus, præcipue seminum, vermes seu Lumbricos expellit. Equipollet semina contra. Est grave-olens. *Habitat maritimis.* Floret Aug.

PENTANDRIA.
TRIGYNIA.

120. Alsine.

1. A. *repens*. A. caule repente, foliis ovato-lanceolatis. (Tab. 105.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis excultis mediterraneis.

2. A. *media*. A. caule procumbente, foliis cordatis, subsessilibus. (Tab. 106.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis, silvisque maritimis.

121. Turnera.

1. T. *sidoides*. T. pedicellis axillaribus, solitariis, foliis integerrimis, lanceolatis. (Tab. 107.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa; caulis herbaceus, teres, pilosus, sub-ramosus, palmaris. Rami pauci, virgati; folia vix petiolata duabus glandulis, lanceolata, alterna,

integerrima, villosa. Inflorescentia axillaris, solitaria, breviter pedicellata. Perianthium 5-partitum. Corolla flavescens : antheræ sagittatæ ; pistilli 3 longitudine staminum. Stigmata bifida. Quod reliquum est, alius dies demonstrabit. Pro nunc satis sit Turneris adnumerare.

2. T. *serrata*. T. floribus pedicellatis, foliis lanceolatis, angustis, serratis. (Tab. 108.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi axillares, 3-vel 4 flori. Stamina dimidio pistilli breviora. Stigmata multi-fida. *Utraque campis apricis mediterraneis habitat.* Mensibus floret calidis.

PENTANDRIA.

TETRAGYNIA.

122. Meriana.

Ch. ess. gener.

Calyx 5-angulatus, corolla monopetala, tubus brevissimus, limbus amplissimus.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium 5-fidum, pilosum.
Cor. monopetala. Tubus brevissimus, limbus amplus, 5-angulatus.
Stam. filamenta 5, tubo corollæ inserta. Antheræ acuminatæ.
Pist. germen ovatum ; styli 4 lineares. Stigma obtusum.
Per. ***
Sem. ***

OBSERVATIONES.

In memoriam Mariæ Sybillæ Merian insectorum, et aliquarum plantarum Americanarum observatricis.

1. M. *procumbens*. (Tab. 109.ª T. 3.)
Caul. multicaulis, linearis, palmaris.
Fol. ovata, vix petiolata, integerrima, tomentosa, alterna.

Pentandria. Tetragynia.

Inf. axillaris, solitaria, pedicellata

OBSERVATIONES.

Corolla albissima. *Habitat campis apricis maritimis ad molendinorum Saccharriferorum pascua.*

123. Aralia.

1. A. *arborea.* A. caule arboreo, foliis simplicibus, umbellæ universalis radiis glandulosis. (Tab. 110.ª T. 3)

OBSERVATIONES.

Folia ovato-lanceolata. Glandulas radiorum umbellæ non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

2. A. *monogynia.* A. foliis lato-lanceolatis, floribus monogyniis. (Tab. 111.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Antheræ sunt biloculares; stylus simplex, brevis. *Habitat loco supra citato.*

HEXANDRIA.

MONOGYNIA.

124. Agave.

1. A. *americana.* A. foliis dentato-spinosis, scapo ramoso. (Tab. 112.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Antheræ erectæ, sagittatæ: stigma 3-fidum; corolla violacea. Bacca pulpa acida, reflexa, flavescens, ovalis coronata. Semina nidulantia. Utitur ad sepes. *Habitat tam maritimis, quam mediterraneis.*

125 Bromelia.

1. B. *silvestris.* B. foliis ensi-formibus, spinis remotis, incurvis, et recurvis, spica comosa. (Tab. 113.ª T. 3.)

Hexandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Folia comæ ciliata, spinosa, lanceolata. Stamina ad antheras habent quemdam annulum elevatum; ad basim petalorum ad latera staminum rudimenta duo adnata pro nectariis. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Nov.

2. B. *arvensis.* B. foliis ensi-formibus, serrato-spinosis, aculeis approximatis. (Tab. 116.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Bracteæ ciliatæ; fructus bracteis totus obtegitur. Filamenta staminum plana, linearia, nectariis duobus fulcita. Antheræ biloculares, ovales, erectæ. *Habitat campis apricis mediterraneis..*

126. Amaryllis.

1. A. *princeps.* A. spatha 4-flora, foliis lanceolatis. (Tab. 115. T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corollæ color purpureus; semina sub-ovata; stamina declinata; antheræ lineares, incumbentes. Stigma sub-rotundum. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis nondum cultis.*

2. A. *bella-dona.* A. spatha multi-flora, corollis campanulatis, æqualibus, ungue-reflexis, genitalibus declinatis. (Tab. 116.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Ly-multiflora-non congruit huic, cum sit quadriflora. *Habitat campis apricis, silvisque maritimis, et mediterraneis.* Floret Aug. Sept. Semina sunt compressa.

3. A. *dryades.* A. spatha multiflora, corollis campanulatis, æqualibus, genitalibus, sub-declinatis. (Tab. 117.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia ovali-lanceolata, nervosa, reticulata. Spatha 10-flora; corolla cæruleo-cinerea; antheræ lineares, incumbentes. Capsula unilocularis; semina plurima, maxima, sub-rotunda. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis ad Alpium declivia.*

Hexandria. Monogynia

4. A. *illustris*. A. spatha bi-flora, corolla erecta, genitalibus declinatis. (Tab 118.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Corolla costis viridibus, cætera rubra, lineis viridibus.

127. Alstroêmeria.

1. Als. *pelegrina*. A. caule erecto. (Tab. 119.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Nullis in locis, quos herborisando percucurri, hanc plantam offendi sponte nascentem; sed *versus Boream iter faciens multas in silvis inveni nascentes sponte*. Vulgó dicitur *Madre-silva*. Propter odoris suavitatem colitur in hortis.

2. Als. *salsilla*. A. caule volubili. (Tab. 120.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Cum nihil aliud dicat Cl. Lin. de hac planta præter descriptionem nuper appositam, e re mea esse duxi aliquantulum amplius exponere. Radix tuberosa; caulis simplicissimus, scandens, teres, plusquam linearis. Folia ovato-lanceolata, alterna, acuminata, subtus pilosa, nervosa; umbella maxima. Radii 17, 18, et amplius, divisi, 3, 4-flori, bractea vel singulari ad singulas divisiones, cernua. Involucrum umbellæ universallis polyphyllum, verticilatum, multi-bracteatum, bracteis linearibus Petala exteriora dilute-rubra extus, flavescentia intus; interiora ex-viridi-alba, lineolis rubris. Antheræ virides. Stigma flavescens. *Crescit silvis maritimis Pharmacopolitanis rivulorum ad ripas, montium etiam ad declivia*. Floret mensibus calidis; nullum odorem habet.

3. Als. *Cunha*. A. caule erecto, umbella 5-flora. (Tab. 121.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Differt ab Al. pelegrina, seu ab ea, quæ a Lusitanis dicitur *Madre-silva*; quod unum amplius habeat radium; quod odore careat. *Habitat silvis mediterraneis, campisque*. Floret Aug. Sept.

128. Peplis.

1. P. *tetrandra*. P. floribus tetrandris, monopetalis. (Tab. 122.ª T. 3.)

Hexandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Faciem habet Gratiolæ Monieriæ, seu Portulacæ, etsi non sit crassa, seu carnosa. Corolla est dilute-purpurea. *Magna copia crescit pascuis gramineis Regii Prædii S. Crucis.*

129. Aloe.

1. A. *perfoliata*. A. floribus corymbosis, cernuis sub-cylindricis. (Tab. 123.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Pertinet ad varietatem dictam A. veram sub littera tt. Græcorum assignatam apud Cl. Lin. quæ ab eo ita definitur—A. foliis spinosis, confertis, dentatis, vaginantibus, planis, maculatis. Lusitani *Baboza* dicunt, a vicositate quadam, quæ a foliis sectis horizontaliter emanat. *Habitat tanquam parasitica tum meditterraneis, tum maritimis.* Floret Sept. Quæ supersunt, si tempus adfuerit, exhibebo.

130. Tillandsia.

1. T. *uni-spicata*. T. foliis latis; aculeato-serratis, bracteis longissimis. (Tab. 124.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Ad filamenta staminum hinc, et illinc barbam habet per Crucis modum; bracteæ lanceolatæ, vaginantes; spica terminalis. *Habitat parasitica ad caules arborum silvis maritimis.*

2. T. *bracteata*. T. foliis serrato-aculeatis, ensi-formibus, spica capitata, bracteis imbricatis. (Tab. 125.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia serrato-aculeata; culmus geniculatus, vaginatus, uni-spicatus; inflorescentia terminalis, capitata, bracteata; bracteæ subulatæ, canaliculatæ, imbricatæ, vaginantes, serrato-aculeatæ; flores sessiles; perianthium 3-fidum, ovatum, erectum. *Arborum parasitica, silvis maritimis habitat.*

3. T. *lævis*. T. foliis ensi-formibus, inermibus, spica simplici. (Tab. 126.ª T. 3.)

Hexandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Radicum arborum parasitica; ad graminum consistentiam accedit. *Habitat maritimis campis ad saxa, arborumque radices.*

4. T. *subulata*. T. foliis integerrimis, subulatis, floribus terminalibus. (Tab. 127.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica; culmus sub-divisus; folia conferta; flores 3, aut 4, terminales. *Maritimis, ac mediterraneis habitat.*

5. T. *linearis*. T. foliis lineari-subulatis, integerrimis, longitudine culmi. (Tab. 128.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica; corolla laminis amplis, unguibus linearibus, violacea; stamina unguium longitudine.

6. T. *ensi-formis*. T. foliis ensi-formibus, inermibus; bracteis imbricatis, uni-floris. (Tab. 129.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum; bracteæ alternæ, patentes, concavæ, unifloræ; flores exserunt; stigma peltatum, 5-crenatum. *Mediterraneis habitat.*

7. T. *simplex*. T. foliis ensi-formibus, integerrimis, scapo, bracteis patentibus. (Tab. 130.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum; folia ensi-formia, acuminata; petalorum laciniæ brevissimæ laciniarum perianthii dimidiam longitudinem habent, flavescentes apicibus viridibus; staminum filamenta brevissima, seu vix apparentia; antheræ ovales, biloculares, petalis breviores; stigma 3-fidum; culmus coccineus est, apicibus bractearum flavescentibus.

8. T. *imbricata*. T. foliis ensi-formibus, culmo uni-spicato, spica bracteis imbricata. (Tab. 131.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum; folia lata, inermia; culmus stipulatus, stipulæ va-

Hexandria. Monogynia.

ginantes, imbricatæ; bracteæ coccineæ, lanceolatæ, corolla lutescens; filamenta filiformia, petalis breviora; antheræ lineares; stylus longitudine corollæ, stigma bi-fidum. *Maritimis habitat.*

9. T. *variegata.* T. foliis inermibus, ensi-formibus; culmo spicato, composito. (Tab. 132.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica; culmus indicus; bracteæ cocciniæ; perianthii, ac corollæ apices indici; cætera ex-albo-viridia; stamina longitudine corollæ. Antheræ incumbentes; stigma 3-fidum; pedicelli bi-flori. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

10. T. *concentrica.* T. foliis serrato-aculeatis, ternatis, verticillariter positis, latis, emarginatis cum cuspide, culmo centrali, capitato. (Tab 133.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica; in centro inflorescentia sessilis; corolla albida; stamina laciniis connata; antheræ sagittatæ corolla breviores; stigma contorto-plicatum; folia coccineo-variegata. *Arboribus habitat ad littora maris.*

11. T. *tri-flora.* T. foliis subulatis, culmo diviso, seu multi-fido, floribus terminalibus, sessilibus. (Tab. 134ª. T. 3.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica; hujus speciei habitus ab aliis suis congeneribus differt; nam caulem in ramos dichotomos habet; flores ad ramorum apices 2, vel 3-sessiles; quorum bracteæ, et perianthium coccinea sunt; corolla violaceo-cinerea; staminum filamenta corolla breviora; antheræ ovatæ, erectæ, flavescentes; stigma indivisum. *Silvis maritimis habitat.*

12. T. *augusta.* T. foliis ensi-formibus, serrato-spinosis, spica composita, floribus minimis. (Tab. 135.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum; folia latissima; culmus pilosus; pedunculus communis in alios partiales alterne divisus; pedicelli brevissimi; flores sessiles, conferti, minimi; corolla viridis; stamina brevia, filamentis coccineis, antheris sub-rotundis, flavescentibus; stigma obtusum.

Hexandria. Monogynia.

13. T. *tuberosa*. T. foliis subulatis, serrato-aculeatis, spica floribus cernuis. (Tab. 136.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica; monadelphia videtur; nam stamina infra sunt coalita; stylo etiam carere videtur; scapus e dimidio ad summum coccineus; filamenta inferne coalita, seu potius dicerem membranula quædam nectarifera; superne 6-partita in totidem lacinias planas, quarum apicibus antheræ adhærescunt acuminatæ apice contorto. Germen triquetrum, torulosum. Stylus cylindricus. Stigma obtusum. *Habitat maritimis ac mediterraneis.*

14. T. *tetrastachia*. T. foliis ensi-formibus, serrato-aculeatis, culmo tetrastachio. (Tab. 137.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica. Culmus 4 spicas habet undique floribus refertas, 2 erectas, 2 patentes; corollæ limbus violaceus; cætera coccinea. Filamenta staminum vix apparentia; antheræ lineares. Stigma bifidum. *Habitat maritimis.*

15. T. *polystachia*. T. foliis ensi-formibus, culmo polystachio, plano, floribus oppositis. (Tab. 138.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica; corollæ limbus, ut superioris violaceus; cætera coccinea; filamentorum tria quibusdam ungulis pro nectariis insident, e quarum latere dextro quoddam filum versus sinistrum contortum, corpusculo sub-rotundo terminatum prodit; filamenta antheris sub æqualia; antheræ sagittatæ; stigma bi-fidum. *Habitat maritimis.*

16. T. *saxatilis*. T. foliis ensi-formibus, imbricatis, serrato-aculeatis, culmo debili, spica simplici. (Tab. 139.ª T. 3.

OBSERVATIONES.

Saxorum parasitica; corolla lutea; tria stamina laciniis adnata, tria receptaculo inserta; stigma bi-fidum. *Habitat maritimis.*

17. T. *comata*. T. foliis ensi-formibus, aculeatis, culmo brevi, spica longa comata. (Tab. 140.ª T. 3.)

Hexandria. Monogynia

OBSERVATIONES.

Saxorum parasitica; coma est clavata, undique bracteis coccineis circumsepta. Bromeliæ ad instar. *Maritimis habitat.*

18. T. *distachia.* T. foliis singularibus, lanceolatis, serrato-dentatis, spica singulari. (Tab. 141.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica; flores alterne sessiles, patentissimi, corollæ virides, apicibus violaceis; filamenta filiformia longitudine corollæ; antheræ incumbentes; stigma 3-fidum. *Habitat maritimis ad declivia montium.*

19. T. *regina.* T. foliis ensi-formibus, acuminatis, integerrimis, culmo longissimo, polystachio. (Tab. 142.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Saxorum parasitica.—Yuccam, seu ut vulgó dicitur *Pitta* magnitudine, ac figura æmulatur. Culmus supra orgyalis, bracteatus; tria staminum filamenta ad basim petalorum adnata duobus corpusculis ovatis nectariferis insident; alia tria receptaculo adhærescunt; antheræ sagittatæ; stigma trifidum. *Habitat cautibus maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Nov.

20. T. *terminalis.* T. foliis ensi-formibus, serrato-aculeatis, spica terminali, congesta. (Tab. 143.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica; ad summitatem caulis coacervantur bracteæ ensiformes, concavæ, coccineæ, serrato-aculeatæ, bis per modum Verticilli; flores in utraque coacervatione, seu verticillo sessiles; corollæ ex violaceo-albidæ. Bracteæ una, concava, cordata, calycem inferne cingente; filamenta staminum vix apparentia; antheræ acuminatæ, petalis adnatæ; stigma clavatum. *Maritimis habitat ad declivia montium; omnes* T. species nomine Brasilico *Caraguatá* cognoscuntur.

21. T. *cyathiformis.* T. foliis ensi-formibus, obtusis, perianthio cyathi-formi, umbella sessili, terminali. (Tab. 144.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica; staminum filamenta 3.ª duobus corpusculis oblongis nectari-

Hexandria. Monogynia.

feris insident; 3.is alia receptaculo, longitudine corollæ; antheræ incumbentes, aduncæ; pistillus corolla longior; stigma lamellatum. *Silvis maritimis habitat.*

131. Loranthus.

1. L. *vulgaris*. L. pedunculis racemosis, foliis ovato-lanceolatis. (Tab. 145.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum; bacca rubra. *Habitat tum maritimis, tum mediterraneis.*

2. L. *odoriferus*. L. pedunculis racemosis, pedicellis bi-vel 3-floris, foliis lanceolato-ovatis. (Tab. 146.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum; corolla ex viridi-albida; est satis odorifera. *Silvis habitat mediterraneis; offendi prope Præd. Boavista dictum.* Martius florebat. Baccam non vidi.

3. L. *grandi-florus*. L. pedunculis umbellatis, pedicellis 3-floris. (Tab. 147.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum; folia decussata, crassa, avenia, ovata, integerrima; corolla longissima, tubulosa, linearis, ad basim aliquantulum crassiuscula; laciniæ lineares, 6, reflexæ; staminum filamenta tubo adnata, filiformia; antheræ acuminatæ, incumbentes, biloculares; pistillus longitudine corollæ filiformis; stigma emarginatum; corolla, et fructus rubescunt. *Silvis maritimis habitat.* Floret Dec.

Hoc plantarum genus Brasilice dicitur *Tetipoteiba*, quod interpetratur malum passerum excrementum; a Lusitanis *herva de passarinho.*

4. L. *americanus*. L. pedunculis axillaribus, sub-racemosis, foliis ob-ovatis. (Tab. 148.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum; folia opposita, avenia, coreacea; corollæ, et bacca rubescunt. *Habitat silvis tum maritimis, tum mediterraneis.*

Hexandria. Monogynia.

132. Berberis.

1. B. *vulgaris*. B. pedunculis racemosis. (Tab. 149.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolata, ob-ovata, integerrima, cuspidata; aculei 3, infra-axillares, seu, ut vult Cl. Lin. folia anni præteriti in spinas mutata; cum mediter sit, de cæteris a Cl. Lin. observatis, quæ hanc plantam singularem faciunt, nihil dicere possum; pedunculus racemosus, simplex, nutans, ad singulos pedicellos spina singulari pro bractea; folia congesta 5, 6. *Habitat campis apricis, silvisque mediterraneis prope prædium vulgò Parição dictum.* Floret Nov.

133. Torrubia.

Ch. ess. gener.

Stamina 6, tria longiora, petala nulla.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, campanulatum, erectum, sex-dentatum, denticulis obtusis.

Cor. nulla.

Stam. filamenta 6, calyci adnata, 3.ᵗᵃ aliis triplo longiora: antheræ sub-rotundæ, didymæ.

Pist. germen sub-rotundum; stylus filiformis; stigma simplex.

Per.***

Sem.***

OBSERVATIONES.

In memoriam Fr. Josephi Torrubiæ Hispani Ordinis S. Francisci, de rebus naturalibus Americanis scribentis.

1. F. *opposita*. (Tab. 150.ª T. 3.)

Ch. nat. spec.

Caul. truncus arboreus.

Ram. oppositi, sub-geniculati.

Fol. breviter petiolata, lanceolata, integerrima, glabra, decidua.

Infl. terminalis, racemoso-composita.

Hexandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis S. Crucis.

134. Tradescantia.

1. T. *capitata*. T. caule sub-erecto, geniculato, pedunculis axillaribus, floribus congestis, terminalibus. (Tab. 151.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Petioli tubulosi, vaginantes; folia subtus pilosa, lanceolata, 7, nervia reclinata; staminum filamentia æqualia; antheræ singulis filamentis binæ non apice, sed filamentorum lateribus insidentes: capsulam non vidi. *Silvis mediterraneis recenter cultis habitat*. Mart. floret.

2. T. *fluminensis*. T. caule procumbente, floribus axillaribus, congestis. (Tab. 152.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Vaginæ foliorum pilosæ; stamina antheris binis ad apicem; filamentis pilosis e basi ad medium. *Habitat maritimis ad rivulorum ripas, locaque humentia.*

3. T. *geniculata*. T. caule repente, foliis cordato-oblongis, floribus congestis, terminalibus. (Tab. 153.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Antheræ sub-rotundæ, simplices; receptaculum villosum.

4. T. *commelina*. T. caule repente, vaginato, foliis lanceolatis, pedunculis congestis, clavatis. (Tab. 154.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Antheræ didymæ, barbatæ; pedicelli nutantes. *Habitat tum maritimis, tum mediterraneis.*

135. Nassavia.

Ch. ess. gener.

Germen duplex, petala 6, perianthium fornicatum.

Hexandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium tetraphyllum: foliolis oppositis duobus majoribus, omnibus fornicatis.

Pet. 6, ob-ovata, ciliata, inter foliola perianthii decumbentia; hoc ordine, intra foliola majora 2; intra minora solitaria.

Stam. filamenta 6, linearia, petalis decumbentia, ciliata; antheræ sub-rotundæ.

Pist. germen didymum rotundum; stylus linearis, erectus; stigma bifidum.

Per. capsula unilocularis.

Sem. unicum, sub-rotundum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Cels. J. Mauritii Nassavii Comitis, Botanicorum Brasiliæ Marcgravii, et Pisonis Protectoris, qui expensis ejus Historiam Brasilicam naturalem scripserunt.

Ch. ess. spec.

1. N. *axillaris*. N. foliis ternatis; pedunculis axillaribus. (Tab. 155.ª T. 3.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.

Ram. patentes, alterni.

Fol. petiolata, alterna, composito-ternata, foliolis inæqualibus ovato-lanceolatis, serratis.

Pedunc. racemosi, axillares.

2. N. *terminalis*. N. pedunculis terminalibus. (Tab. 156.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitant silvis maritimis Pharmacopolitanis. Florent Aug. Sept.

136. Saldanha.

Ch. ess. gener.

Perianthium superum; capsula longissima, linearis; semina papposa.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium superum, laxum, 5-partitum; laciniis subulatis.

Hexandria. Monogynia.

Cor. monopetala, infundibiliformis; limbus 5-fidus, laciniis latis, revolutis.

Stam. filamenta 6, subulata, ad spansionem tubi corollæ adnata, corollæ æqualia; antheræ longæ, sub-sagittato-lineares, erectæ.

Pist. filiformis, corolla longior; stigma sub-bifidum.

Per. capsula infera, bilocularis, longa, linearis, 4-striata, coronata 6. denticulis.

Sem. minima, plurima, papposa.

OBSERVATIONES.

In memoriam Ill. Martini Lopes Lobo Saldanha, Præfecturæ Paulopit. Prætoris Generallis, qui primus rem Botanicam agendi occasionem mihi præbuit.

1. S. *illustris*. S. corollis infundibiliformibus, 5-partitis; seminibus papposis. (Tab. 157.ª T. 3.)

Ch. nat. spec.

Rad.***

Cal. dichotomus.

Ram. dichotomi, teretes,

Fol. opposita, breviter petiolata, crassa, ovata.

Infl. terminalis, sessilis, solitaria.

2. S. *nobilis*. S. corollis tubulosis, longissimis, limbo 6-fido, antheris ad fauces sessilibus. (Tab. 158.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis dichotomus; folia lanceolato-ovata, decussata, in nervos divisa; bractea hinc, illinc singularis, oblonga, concava, tubum corollæ vaginans; corolla sessilis, terminalis, solitaria. Tubus linearis, longus 4 dig. Limbus 6-fidus, laciniis subulatis, patulis. Pistillum longitudine tubi. Stigma bi-lamellatum; capsula infra. Fructum non vidi. Cum Botanicorum sit similia jungere, etsi aliqua disparitatæ corollæ, hanc antecedenti conjunxi. *Silvis Regii Prædii S. Crucis habitant. Jan. florent.*

137. Convallaria.

1. C. *racemosa*. C. foliis sessilibus, racemo-terminali, composito. (Tab. 159.ª T. 3.)

Hexandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Caulis geniculatus, erectus, vaginatus. Folia petiolo tubuloso, caulem vaginante, alterna, nervosa. Racemus terminalis. Corolla 6-partita, cærulea. Bacca tri-valvis, 6-locularis; semina bina; bacca ante maturitatem cæruleo maculata. Radix tuberosa. *Habitat silvis maritimis ad loca umbrosa, humidaque. Toto anno floret.*

2. C. *diffusa*. C. caule adscendente ramoso, ramis divaricatis. (Tab. 160.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Præcedenti assimilatur; sed semina terna, breviora. Utraque pistillum habet bi-fidum. Stamina receptaculo inserta. *De qua agimus, silvis recenter cultis mediterraneis habitat.*

138. Anthericum.

1. A. *gramineum*. A. foliis radicalis, ensi-formibus, gramineis, pedunculo brevi. (Tab. 161.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Stylus simplex. Antheræ erectæ, acuminatæ, corolla flavescens. Pedunculus, seu scapus brevissimus, uni-vel-di-florus *Habitat pascuis gramineis maritimis.*

2. A. *ensi-forme*. A. foliis ensi-formibus, gramineis, pedunculis 3, vel 4-floris, stigmate 3-fido. (Tab. 162.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Petala sunt inæqualia, 3.ᵗᵃ alternatim longiora. Receptaculum lanatum; antheræ obliquæ. Capsula oblonga, linearis, curva, unilocularis. Semina plurima filo receptaculo columnari adhærentia. *Habitat pascuis gramineis mediterraneis.* Floret Aug. Sept.

139. Yucca.

1. Y. *gloriosa*. Y. foliis integerrimis.

Hexandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Vulgó dicitur *Pitta. Maritimis, ac mediterraneis sponte crescit.* Fluviis per aliquot dies folia immersa filum fortissimum præbent ad funes conficiendos. Planta etiam ad sepes inservit.

140. Sardinia.

Ch. ess. gener.

Perianthium superum, corolla tubulosa, antheræ sessiles, bacca monosperma.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium minimum, superum, strictum, integerrimum.

Cor. monopetala, tubulosa, longissima, limbo 6-fido, laciniis sub-rotundis, patentibus.

Stam. filamenta nulla; antheræ sessiles, oblongæ ad faucem corollæ.

Pist. germen minimum, sub-rotundum; stylus corolla brevior; stigma clavatum.

Per. bacca sphærica, calyce coronato.

Sem. unicum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Simonis Piresii Sardinha scientiarum Ulysiponensis Academiæ Socii naturalium rerum solertissimi indagatoris

1. S. *bella.* (Tab. 163.ª T. 3.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.

Ram. sparsi.

Fol. ovato-lanceolata, petiolata, integerrima, glabra, opposita, divergentia. Pedunculi nutantes, longi: pedicellis gradatim inæqualibus, floribus uni-lateralibus.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis. Mensibus calidis floret.

Hexandria. Monogynia.

141. Pontederia.

1. P. *aquatica*. P. foliis orbiculatis, seu potius ob-ovatis, caule repente' floribus racemosis. (Tab. 164.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Habitat locis aqua stagnantibus, et fluentibus. Caulis teres, vaginatus, repens. Folia petiolata, innatantia. Petioli compressi, vaginati a stipulis tubulosis; racemus supra axillaris, simplex, folio brevior; spatha foliacea, tubulosa, ore ampliato, pedunculum vaginans; corolla monopetala bilabiata. Labium superius 3-partitum, lacinia intermedia ampliore, ob-ovata, macula flavescente infra medium; corolla est violacea; labium inferius 3-partitum; lacinia intermedia angustiore; stamina 6, quorum 3 ia supra medium tubi adnata, antheris cernuis; 3ta infra medium adnata, eodem modo antheris cernuis. Pistillum tubo paulo longius; stigma declinatum. *Floret mensibus calidis.*

142. Prinos.

1. P. *glaber*. P. foliis apice serratis. (Tab. 165.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Truncus arboreus; folia alterna, petiolata, ob-ovata versus apicem utrinque serratura singulari, seu denticulo uno. Flores axillares, congesti, sæpius 3: stamina cum petalis alternantia; antheræ sagittatæ; germen acuminatum; baccam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Prædium vulgó Parição.* Floret Sept. Oct.

2. P. *serratus*. P. foliis lanceolatis, apice dentato. (Tab. 166.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

A præcedenti differt foliorum figura, apiceque dentato, antheris obtusiusculis. *Iisdem campis habitat,* iisdem mensibus floret.

3. P. *integerrimus*. P. folis integerrimis; pedunculis racemosis, axillaribus. (Tab. 167.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus; rami sparsi; folia sub-opposita, ob-ovato-lanceolata, integerrima.

HEXANDRIA.

DIGYNIA.

143. Oryza.

1. O. *sativa.*

OBSERVATIONES.

Colitur hortis.

HEXANDRIA.

TRIGYNIA.

144. Rumex.

1. R. *verticillatus.* R. floribus hermaphroditis: valvulis integerrimis, omnibus graniferis; foliis lanceolatis: vaginis cylindricis. (Tab. 168.ª T. 3.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi axillares, longi, aliquando 3, flores verticillati, pedicellati; antheræ 3, bi-loculares: 3, clavatæ, simplices, crenatæ; styli tres reflexi; stigmata sagittata; folia petiolata. *Habitat ad aquas silvis mediterraneis.* Forte Rumex Vessicarius? *In maritimis etiam datur*: an eadem vel alia? Florebat Februario.

HEPTANDRIA.

MONOGYNIA.

145. Brya.

Ch. ess. gener.

Germen, et stylus pilosa.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum: foliolis lanceolatis, reflexis.

Heptandria. Monogynia.

Cor. petala quinque, lanceolata, patentissima, perianthio longiora.

Stam. filamenta septem, filiformia, corolla valde longiora, declinata; antheræ sub-rotundæ, bi-loculares.

Pist. germen rotundum, pilosum; stylum longitudine staminum; stigma crassiusculum.

Peric.***

Sem.***

1. B. *racemosa*. Tab. (1.ª. T 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, teres, declinatus.

Ram. patentes, alterni.

Fol. breviter petiolata, sparso-alterna, ovali-acuminata, integerrima.

Pedunc. simplices, racemosi, terminales, longissimi, terni.

OBSERVATIONES.

Pedicelli alterni; corolla ex albo purpurea. *Habitat silvis maritimis.* Floret Jan.

146. Bessera.

Ch. ess. gener.

Perianthium tubulosum, corolla nulla.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium tubuloso-campanulatum; limbus 5-fidus, laciniis reflexis, crenatis.

Cor. nulla; si calycem non dixeris.

Stam. filamenta septem, perianthio longiora, filiformia; antheræ rotundæ.

Pist. germen oblongum; stylus staminibus brevior, filiformis; stigma simplex.

Per. ***

Sem. ***

1. B. *calycantha*. (Tab. 2ª. T. 4.)

Octandria. Monogynia.

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus, teres, ramosus.
Ram. alterni, dichotomi.
Fol. petiolata, lanceolato-oblonga, acuminata, integerrima, verticillata.
Pedunc. longissimi, terminales, declinati, divisi.
Infl. umbellata, composita; umbellulæ sessiles.

OBSERVATIONES.

Flores sub-purpurei. *Habitat silvis maritimis.*

OCTANDRIA.

MONOGYNIA.

147. Amyris.

1. A. *ambrosiaca*. A. foliis pinnatis, petiolatis, paniculis confertis, axillaribus. (Tab. 3.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus; folia alterna, pinnata: foliolis 5, vel 6-jugis lanceolatis, glabris. Est pinnata cum impari; ab indigenis Isica dicitur, a Lusitanis veró *Almessega* propter resinam mastichi similem. Quod a D. Rouelle, apud Aubletium demonstratur, hoc est, resinam de *Coumier* ex hac arbore oriri, et ex illa *ambargriseum* effici &c. quæ de hac re apud Rumphium disseruntur, falsa esse judico. *Habitat tum maritimis, tum mediterraneis.*

148. Combretum.

1. C. *secundum*. C. spicis secundis. (Tab 4.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis subscandens; folia lanceolato-ovata. Petala minima, calycis dentibus inserta; stamina longissima; antheræ incumbentes. *Habitat fruticetis maritimis.* Floret Jun. Jul.

Octandria. Monogynia.

149. Ximenia.

1. X. *americana*. X. foliis oblongis, pedunculis multi-floris. (Tab. 5.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Ad singulam foliorum axillam racemus multi-florus. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis, ad ripas fluvii Paraty-merim dicti.* Floret Oct. Nov.

150. Quelusia.

1. Q. *regia*. Q. foliis ternis, petiolatis, sub-verticillatis, ovato-lanceolatis. (Tab. 6.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Huic plantæ nomen Quelusiæ Claris. Doct. Wandelli indidit. Costa foliorum est rubro-colorata; calix coccineo-coloratus, tubo nectarifero, ventricoso, coccineo-colorato; bacca oblonga, 4-locularis; semina plurima geminatim disposita secundum longitudinem baccæ. Puto aliam dari speciem, in qua et stigma stellatum, et petala patentia videntur. *Habitat ad Alpes Pharmacopolitanas fruticetis, per quæ ad oppidum Cunha iter fit.* Floret Oct. Nov.

151. Guarea.

1. G. *trichilioides*. G. foliis abrupte pinnatis, pedunculis racemosis, axillaribus. (Tab. 7.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Arbor alta; folia pinnata: foliolis alternis, lanceolatis; racemi axillares. *Habitat fruticetis maritimis.* Floret Aug. Sept.

2. G. *lophos*. G. foliis remote pinnatis, pedunculis variantibus. (Tab. 8.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus; pedunculorum aliquot excrescentiam quandam habent monstrosam, e qua pedunculi partiales exeunt. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret Aug. Sept. Forte G. trichilioides varietas?

Octandria. Monogynia.

3. G. *cernua*. G. foliis oppositis, racemis cernuis, longissimis, bacca 1-angulata, tuberculosa. (Tab. 9.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus; folia lanceolato-ovata, opposita; pedunculi longissimi; bacca turbinata, tuberculosa. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis. Jul. florentem vidi ad ostium fluvii S. Rochi.*

4. G. *tuberculata*. G. foliis composito-pinnatis, racemis mediocribus, bacca toruloso-tuberculata. (Tab. 10.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis. Floret mensibus supra relatis; omnes species hucusque descriptæ Brasilica consuetudine dicuntur *Jituira*. Radicis cortici vim catharticam tribuunt.

1552. Bosca.

Ch. ess. gener.

Perianthium 4-dentatum, corolla monopetala, bacca monosperma.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium 4-dentatum, inferum.

Cor. monopetala, rotata; tubus brevissimus; limbus 5-partitus, laciniis ovatis, patentibus. Nectarium quædam filamenta circa germen.

Stam. filamenta 8, filiformia, laciniis corollæ longiora; antheræ rotundæ.

Pist. germen conicum.

Per. bacca uni-locularis, acuminata.

Sem. unicum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Principis Catholici del Bosco, qui liberalitate summa Botanicum Hortum construxit.

1. B. *stupacea*. (Tab. 11.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, teres, bi-orgyalis.

Octandria. Monogynia.

Ram. sparsi, patentes.
Fol. lanceolata, nitida, integerrima, breviter petiolata.
Pedunc. racemosi, sparsi, breves.

OBSERVATIONES.

Cortex hujus plantæ sine alio artis beneficio stupam præbet non multó duraturam, quì cum viminis instar adstringere valent. Vulgo nomine *embira* cognita est. *Habitat silvis, et fruticetis tam maritimis, quam mediterraneis.* Floret Aug. Sept.

1553. Pallavia.

Ch. ess. gener.

Corolla nulla, calyx campanulatus, stamina longissima, capsula monosperma, 5-angularis.

Ch. nat. gen.

Cal. perianthium campanulatum, 5-dentatum, denticulis erectis.
Cor. nulla.
Stam. filamenta 8, longissima; antheræ sub-rotundæ, biloculares.
Pist. germen oblongum, superum. Stylus staminibus brevior. Stigma sub-rotundum.
Per. capsula 5-angularis, ob-ovata, unilocularis, angulis pilosis.
Sem. unicum, sub-lineare.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Antonii Pallavii Hispani, Regii Botanices Cathedratici, qui in Hispanum sermonem Linnæana opera transtulit.

1. P. *aculeata.* (Tab. 12.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. teres, scandens, aculeatus.
Ram. ascendentes, aculeati, aculeis uncinatis.
Fol. ovata, infra axillaria, petiolata, integerrima, opposita.
Pedunc. axillares, racemoso-cymosi.
Infl. racemosa, petiolis in alios sub divisis, cymam capitatam repræsentantibus.

Octandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis, fruticetisque maritimis. Offendi ad ripas fluvii Taguahy. Sept. floret.

154. Forsgardia.

Ch. ess. gener.

Petala 4, unguiculata, germen cylindricum, capitato-peltatum, stigma declinatum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium minimum, monophyllum, 4-dentatum.

Cor. petala 4, calycis denticulis alternantia, unguiculis linearibus, minima.

Stam. filamenta 8, longissima, filiformia; antheræ sub-rotundæ.

Pist. germen cylindricum, capitatum, pilosum; stylus cylindricus, attenuatus; stigma declinatum.

Per. ***

Sem. ***

OBSERVATIONES.

In memoriam Forsgardii Linnæi discipuli peregrinatoris in Arabiam, et Professoris Hafniensis.

1. F. *lævis.* (Tab. 13.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. scandens.

Fol. breviter petiolata, ovata, integerrima, opposita.

Pedunc. terminales, compositi, partiales, breves.

Infl. racemosa, pedicellis oppositis.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.

155. Digonocarpus.

Ch. ess. gener.

Bacca inflata, bi-locularis; semina solitaria.

Octandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 5-dentatum, denticulis sub-rotundis.
Cor. petala 5, sub-rotunda, patentia.
Stam. filamenta 8, a basi ad medium barbata, corolla longiora ; antheræ sub-rotundæ.
Pist. germen vix apparens ; stylus brevissimus.
Per. capsula cordata, didyma, bi-locularis.
Sem. solitarium, ob-ovatum, arillo quodam involutum.

1. D. *inflatus.* (Tab. 14.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.
Ram. sparsi.
Fol. breviter petiolata, ob-ovata, integerrima, glabra.
Pedunc. terminales, racemosi.

OBSERVATIONES.

Habitat campis, et fruticetis Regii Prædii Sanctæ Crucis. Sept. floret.

156. Trigonocarpus.

Ch. ess. gener.

Petala 5, denticulata, fructu trigono, semina solitaria.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium foliolis 5, sub-rotundis, reflexis, deciduis.
Cor. petala 5, limbo exteriori inciso, erecta, perianthio breviora.
Stam. filamenta 8, corollà longiora. Antheræ 3, angulares, erectæ.
Pist. germen inferum. Stylus cylindricus, staminibus brevior; stigma acuminatum.
Per. capsula inflata, 3-angularis, 3-locularis, superne dehiscens.
Sem. solitaria, semi-arillata.

1. T. *racemosus.* (Tab. 15.ª T. 4.)

Ch. ess. gener.

Caul. arboreus, sub-striatus.

Octandria. Monogynia.

Ram. alterni.
Fol. petiolata, ovato-lanceolata, serrata, alterna.
Pedunc. axillares, longissimi, patentes.
Infl. racemosa composita.

OBSERVATIONES.

Habitat fruticetis maritimis Reg. Prædi Sanctæ Crucis.

137. Josepha.

Ch. ess. gener.

Bracteæ 3, pro calyce; corollæ 3, tubulosæ.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium nullum; bractea colorata, cordata, integerrima, corollà longior, persistens.

Cor. tubulosa, ad basim ventricosa; limbus integerrimus, sub-plicatilis, patens.

Stam. filamenta 8, tubo breviora; antheræ sub-rotundæ.

Pist. germen cylindricum, pedicellatum; stylus brevissimus.

Per. capsula cylindrica, uni-locularis.

Sem. plurima, minutissima, libera.

OBSERVATIONES.

In memoriam Celsissimi felicis recordationis Brasiliæ Principis D. D. Joseph, cui si astra non conscenderet, mens erat rerum naturalium investigationes promovere. Sed proh dolor!.... Lacrimabundus cogor hoc levi monumento desideratissimi Principis jacturam perennare.

1. J. *augusta.* (Tab. 16.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. scandens, teres, tomentosus, aculeatus.

Ram. sparsi ejusdem longitudinis, divaricati, aculeati.

Acul. axillares, validi, attenuati, apice aliquantulum contorto, seu in angulum obtusum divergente.

Octandria. Monogynia.

Fol. sub-sessilia, ovata, integerrima, cum juvenilia sunt, colorato-coccinea, senescentia vero viridia.

Pedunc. axillares, longi, multi-flori.

Infl. racemosa, pedicellis 3-floris.

Bract. cordatæ, integerrimæ, calycem sufficientes, sessiles, cum juveniles sunt, coccineæ, senescentes, purpureæ. Ad quamvis bracteam corolla una ei adnata. Corollæ sessiles, flavescentes.

OBSERVATIONES.

Arborum scandentium pulcherrima propter Xistos, vel coccineos, vel purpureos, quos ratione ætatis foliis suis coloratis afficit. *Habitat silvis, fruticetisque maritimis.*

138. Columella.

Ch. ess. gener.

Calyx nullus, corolla monopetala, limbus 5-partitus, stamina exserta.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium nullum.

Cor. monopetala, infundibili-formis; tubus brevissimus. Limbus 5-partitus; laciniæ reflexæ.

Stam. filamenta 8, corollà longiora. Antheræ sub-rotundæ.

Pist. germen sub-rotundum; stylus filiformis staminum longitudine; stigma obtusum.

Per.***

Sem.***

OBSERVATIONES.

In memoriam L. J. Columel. de Re rustica scribentis.

1. C. *rustica*. (Tab. 17.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus.

Ram. alterni, dichotomi, patentes.

Fol. ob-ovato-lanceolata, sparsa, integerrima.

Pedunc. terminales, cymosi.

Infl. cymosa.

Octandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Regii Prælii Sanctæ Crucis.

159. Catonia.

Ch. nat. gener.

Stamina inferne membrana nectarifera coalita.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium nullum.
Cor. petala 4, sub-rotunda, reflexa.
Stam. filamenta 8 petalorum longitudine, inferne membrana nectarifera coalita, pilis alternantia; antheræ sub-rotundæ.
Pist. germen acuminatum. Stylus brevissimus, fili-formis; stigma simplex.
Per. ***
Sem. ***

OBSERVATIONES.

In memoriam M. Porcii Catonis de Re rustica scribentis.

1. C. *rustica*. (Tab. 18.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Cal. fruticosus, teres, erectus.
Ram. sparsi, patentes.
Fol. sparsa, breviter petiolata, remote serrata, lanceolata.
Pedunc. axillares, brevissimi.
Infl. sub-racemosa.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis Req. Prædii. S. Crucis.

160. Rutilia.

Ch. ess. gener.

Petala 5; stigma rotundum; perianthium monophyllum.

Octandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 5-dentatum denticulis patentibus.
Cor. petala 5, lanceolata, patentia.
Stam. filamenta 8, corollà breviora; antheræ capitatæ.
Pist. germen sub-rotundum. Stylus attenuatus; stigma capitatum.
Per. ***.
Sem. ***.

OBSERVATIONES.

In memoriam Palladii Rutilii de Re rustica scribentis.

1. R. *ternata*. (Tab. 19.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, teres, erectus.
Ram. alterni.
Fol. petiolata, composito-ternata, alterna: foliolis lanceolatis, integerrimis.
Pedunc. brevissimi, supra axillares, sub-racemosi.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.

161. Pluchia.

Ch. nat. gener.

Corolla monopetala; antheræ sub-sessiles; perianthium laxum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 5-fidum, laxum, pilosum.
Cor. monopetala, infundibuli-formis, limbus 5-partitus, laciniis reflexis. Tubus calyce longior.
Stam. filamenta 8, vix apparentia; antheræ ob-ovatæ, sub-sessiles ad fauces corollæ.
Pist. germen sub-rotundum; stylus cylindricus; stigma sub-crenatum.
Per.***
Sem.***

Octandria. Trigynia.

OBSERVATIONES.

In memoriam Ab. Le Pluche naturæ spectaculum scribentis.

1. P. *curiosa*. (Tab. 20.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. scandens, seu declinatus, teres.
Ram. sparsi.
Fol. breviter petiolata, lanceolato-ovata, subtus pilosa, integerrima.
Pedunc. racemosi, terminales.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.

OCTANDRIA.
TRIGYNIA.

162. Sapindus.

1. S. *saponaria*. S. foliis impari-pinnatis, caule inermi. (Tab. 21.ª T. 4).

OBSERVATIONES.

Sapindi saponarii folia mihi sunt abrupte pinnata. *Habitat silvis, fruticetisque maritimis.* Staminum filamenta ad basim incrassata, pilosa: nectaria autem ciliata.

163. Cardiospermum.

1. C. *inflatum*. C. foliis 3, ternatis; foliolis lanceolatis, utrinque bi, vel tri-dentatis. (Tab. 22.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi cirrhiferi. Semina macula alba 3-angulari notata. *Habitat locis maritimis ad sepes.*

2. C. *corindum*. C. foliis subtus tomentosis. (Tab. 23.ª T. 4.)

Octandria. Trigynia.

OBSERVATIONES.

Folia utrinque bi-dentata, et composito ternata. Vessicula triangularis, flavescens. Semina matura maculâ alba. Tomenta foliorum non vidi. *Habitat maritimis.*

3. C. *halicacabum*. C. foliis 3, ternatis, lævibus, foliolis utrinque angulatis, capsula triangulari. (Tab. 24.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Semina matura non vidi; corolla præcedentibus amplior. *Habitat fruticetis maritimis excultis.* Floret Oct. Nov.

4. C. *triphyllum*. C. foliis composito-ternatis: foliolis lanceolatis, serratis. (Tab. 25.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Capsula ovalis, uno latere duabus alis longitudinaliter discurrentibus, membranaceis, rubro-flavescente coloratis. *Fruticetis maritimis habitat ad Oppidum Pharmacopolis.* Floret Aug. Sept.

5. C. *pilosum*. C. foliis 3, ternatis: foliolis 3, vel 5-dentatis. (Tab. 26.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Capsula sub-ovata, pilosa. Folia tridentata, pilosa. Caulis hirsutus. Pedunculus erectus. *Habitat maritimis.*

164. Paullinia.

1. P. *seriana*. P. foliis ternatis, petiolis nudis, foliolis ovato-oblongis. (Tab. 27.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolato-ovata, integerrima. Pedunculi cirrhiferi, divisi, convoluti. *Habitat maritimis.*

2. P. *dentata*. P. foliis ternatis, petiolis nudis, foliolis lanceolato-ovatis, ab alio latere 3-dentatis, ab altero bi. (Tab. 28.ª T. 4.)

Octandria. Trigynia.

OBSERVATIONES.

Cirrhos habet, sed pedunculum cirrhiferum non observavi. Variat denticulis foliorum.

3. P *racemosa*. P. foliis ternatis, ab utroque latere bi-dentatis, foliolis ovatis. (Tab. 29.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Racemi axillares. Cirrhi vagi; stamina e medio ad basim barbata. Antheræ rotundæ; capsulam non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

4. P. *trigonia*. P. foliis bi-ternatis, petiolo intermedio alato, foliolis ob-ovato-lanceolatis. (Tab. 30.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi cirrhiferi; cirrhi convoluti; capsula angulis acutis.

5. P. *caudata*. P. foliis ternatis, foliolis ovatis, multi-dentatis, petiolis nudis. (Tab. 31.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi axillares; pedicelli ad apicem congesti, 3-vel-4-flori. Capsula alata ala magna, seminibus solitariis ad basim; banisteria videtur. Nec florem, nec cirrhum vidi.

6. P. *timbó*. P. foliis quinatis, petiolo intermedio alato, foliolis lanceolatis, integerrimis, capsula sub-rotunda. (Tab. 32.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Nec cirrhos, nec florem vidi.

7. P. *cururú*. P. foliis quinatis, petiolo intermedio, alato, pedunculis cirrhiferis, foliolis serratis. (Tab. 33.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Pedunculus ad medium abit in cirrhos duos convolutos; capsula extus pilosa, turbinata, monosperma. Semen arillo semi-baccato.

8. P. *tamuya*. P. caule 4-angulari, foliis bi-ternatis, foliolis exasperate dentatis, petiolis nudis. (Tab. 34.ª T. 4.)

Octandria. Trigynia.

OBSERVATIONES.

Cirrhum habet divisum. *Habitat silvis mediterraneis.* Capsulam non vidi.

9. P. *guarumima.* P. caule 3-angulari, ciliato, foliis bi-ternatis, foliolis multi-dentatis, petiolis nudis. (Tab. 35.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis triqueter, ciliatus; pedunculus longissimus, cirrhiferus, revolutus, et convolutus. Capsula alata; semina ad apicem, non ad basim, ut in P. caudata. Capsula venosa, 3-locularis, seu potius in 3 alias capsulas abit. *Habitat mediterraneis.*

10. P. *maritima.* P. foliis supra decompositis, caule 4-angulari, petiolis alatis. (Tab. 36.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Foliola lanceolata, 3-vel 4-dentata. Pedunculi cirrhiferi, capsula monosperma, obtuse 3-angularis, angulis alatis.

11. P. *fluminensis.* P. foliis supra decompositis, foliolis ad apicem utrinque uni-dentatis. (Tab. 37.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Foliola sunt ob-ovata. Capsula 3-angularis, ad apicem alata, 3-locularis. Semina ad basim semi-arillata, arillo semi-baccato. *Habitat fruticetis maritimis.* Floret Aug. Sept.

12. P. *obtusis.* P. foliis ternatis, obtuse dentatis: foliolis lanceolatis, petiolis nudis, cirrhis oppositi-foliis. (Tab. 38.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Nec florem, nec capsulam vidi. Omnia folia cirrhum oppositum habebant. *Habitat silvis maritimis S. C.*

163. Polygonum.

1. P. *maritimum.* P. floribus octandris, trigynis, terminalibus, foliis lanceolatis. (Tab. 39.ª T. 4.)

Octandria. Trigynia.

OBSERVATIONES.

Caulis repens, articulatus; rami ascendentes, geniculati, stipulis vaginati. Folia petiolata, alterna, lanceolata; spicæ terminales. *Habitat ad ripas rivulorum, locaque stagnantia tum maritima, tum mediterranea.*

2. P. *scandens*. P. floribus pentandris, monogynis, foliis lanceolatis, spicis terminalibus. (Tab. 40.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia ovato-lanceolata; petioli laxi. *Habitat silvis maritimis prope littora maris.*

3. P. *declinatum*. P. caule declinato, floribus octandris, trigynis, spicis terminalibus, geminatis. (Tab. 41.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia ovato-oblonga; spicæ laterales, longæ, geminatæ. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Apr. May.

4. P. *erectum*. P. floribus pentandris, semi-digynis, corollis 5-partitis; foliis lanceolatis, spicis terminalibus, geminatis. (Tab. 42.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, hirsutus. Stipula vaginans, denticulata, supra-axillaris; spicæ terminales, binæ. Cæteris præcedenti cohæret. *Offendi ad ripas fluvii vulgò dicti Guandú.*

5. P. *arborescens*. P. foliis ovato-lanceolatis, congestis, alternis, cernuis spicis. (Tab. 43.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens. Folia congesta 4, 5; stipula lanceolata. Racemi conferti, axillares, simplices. *Habitat silvis maritimis ad ripas fluvii vulgò dicti Taguahy, atque etiam fruticetis Parochiæ Campo-grande.* In hac planta pedicelli post decidentiam floris excrescunt, hoc est, ex spicata transit ad racemosam.

6. P. *frutescens*. P. spica simplici, terminali. (Tab. 44.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Nucem non vidi. *Habitat locis supra relatis.*

Enneandria. Monogynia.

ENNEANDRIA.

MONOGYNIA.

166. Anacardium.

1. A. *occidentale*. A. caule erecto, foliis ob-ovatis. (Tab. 45.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Habitat maritimis. Floret Aug. Sept.

2. A. *mediterraneum*. A. caule meandrico-repente, foliis ob-ovatis. (Tab. 46.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis inter gramina. Caulis repens, crassus, si radicem non dixeris. Ramusculi brevissimi. Florem fert Sept.; fructu edulem Jan. Febr.

167. Laurus.

1. L. *cynamomum*. L. foliis 3-nerviis, ovato-oblongis, nervis versus apicem evanescentibus. (Tab. 47.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis. Corticem Lauro Cassiæ similem, sed non tam pretiosum habet.

2. L. *borbonia*. L. foliis ob-ovato-lanceolatis, perennantibus, calycibus fructus baccatis. (Tab. 48.ª T. 4.)

3. L. *mimosa*. L. corolla hexapetala; racemis axillaribus, foliis lanceolatis. (Tab. 49.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caret nectario; antheræ sessiles. Hermaprodita est.

4. L. *cordata*. L. corollis 3-petalis, antheris 9, totidemque nectariis, stamina simulantibus, foliis cordatis. (Tab. 50.ª T. 4.)

Enneandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Arbor alta. Hermaphrodita est. A congeneribus recedit corollis 3-petalis.

5. L. *atra*. L. foliis lanceolatis. (Tab 51.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Vulgó dicitur *Canella preta*. Nec florem, nec baccam vidi.

6. L. *solani-formis*. L. floribus hexandris, racemosis, bacca sphærica calyce non cincta (Tab. 52ª. T. 4.)

OBSERVATIONES.

Nectariis caret. Antheræ sessiles.

7. L. *citri-formis*. L. foliis ovalibus, bacca oblonga non calyce cincta (Tab. 53.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Florem non vidi.

8. L. *æstivalis*. L. foliis lanceolato-oblongis, pedunculis racemosis, pilosis. (Tab. 54.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Flores odoriferi; caulis arboreus, hirsutus; baccam non vidi; nectariis caret.

9. *L. hexandra*. L. floribus hexandris, foliis lanceolatis, floribus racemosis, terminalibus. (Tab. 55.ª T. 4.)

10. L. *canella*. L. foliis lanceolatis. (Tab. 56.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Nec florem, nec baccam vidi.

11. L. *octandra*. L. foliis lanceolatis, racemis terminalibus, corollis calycinis 5-partitis. (Tab. 57.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Stamina rotunda; filamenta brevissima.

12. L. *odorifera*. L. foliis lanceolatis, oblongis, pedunculis terminalibus. (Tab. 58.ª T. 4.)

Enneandria. Trigynia.

OBSERVATIONES.

Hæc L. vulgó dicitur *Sassafráz* propter ligni odorem; sed differt á L. *sassafráz foliis* lanceolatis, cum L. *sassafráz* folia habeat 3-lobata.

13. L. *subscandens*. L. caule subscandente, radicante, drupa calyce comprehensa. (Tab. 59.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

L. subscandens habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis. Eam offendi ad ripas fluvii Itacá. Cæteræ species Laurorum, quæ omnes fabrile lignum præstant, a Lusitanis *Canella*, ab indigenis *Anhoaiba* vocantur. *Habitant tum maritimis, tum mediterraneis silvis.* Primo vere florent.

ENNEANDRIA.

TRIGYNIA.

168. Magonia.

Ch. ess. gener.

Corolla calycina, semen unicum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium primo rotatum, 6-partitum, tribus laciniis majoribus, tribus minoribus, alternantibus; dein infundibuli-formibus.

Cor. nulla.

Stam. filamenta 9, brevissima, calycis tubo adnata. Antheræ rotundæ, minimæ.

Pist. styli 3, longitudine staminum, stigmata rotunda.

Per. calyx in sinu suo semina fovens, laciniis crescentibus, et conniventibus.

Sem. unicum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Carthaginensis Magonis Rusticationis parentis.

1. M. *scandens*. (Tab. 60.ª T. 4.)

Caul scandens, teres, ramosus.

Decandria. Monogynia.

Fol. breviter petiolata, lanceolata, integerrima, glabra, alterna.
Pedunc. terminales, lateralesque.
Infl. spicata.

OBSERVATIONES.

Hæc planta hoc singulare habet, quod initio efflorescentia calyx corollam mentitur, postea veró colorem albidum in purpureum mutans, laciniis conniventibus usque ad maturitatem seminis excrescit, et ad decidentiam persistit. Bracteas duas habet minimas, perianthium simulantes; quam ob rem primo intuitu florem perfectum repræsentare videtur. *Habitat silvis Reg. Prædii S. Crucis.*

DECANDRIA.
MONOGYNIA.

169. Cassia.

1. C. *monophylla*. C. foliis bi-lobatis, stipulis cordatis, pedicellis unifloris, floribus pentandris, petiolis eglandulatis. (Tab. 61.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis pilosus, procumbens, legumine falcato. Semina obtuse-tetragona, initio divaricationis loborum habet setam brevem. *Habitat pascuis gramineis sub-urbanis.* Floret Mayo.

2. C. *medica*. C. foliis bi-jugis, foliolis ovatis, glandula oblonga, inter paria, stipulis subulatis, duplici ordine seminum. (Tab. 62.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Cortex radicis hujus speciei ob amaritudinem vi medica pollet. *Habitat silvis maritimis.* Floret Jan. Feb.

3. C. *monaden*. C. foliis bi-jugis, glandula clavata inter infima. (Tab. 63.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis.

Decandria. Monogynia.

4. C. *tropica*. C. foliis tri-jugis, lanceolatis, supremis majoribus, glandula inter paria basi petiolorum. (Tab. 64.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Legumine longissimo. *Habitat campis, fruticetisque Regii Prædii S. Crucis.*

5. C. *australis*. C. foliis 4-jugis, ob-ovatis, supremis majoribus, glandula inter paria, stipulis sub-reniformibus, amplexi-caulibus. (Tab. 65.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Crena foliorum caudam setaceam brevem habet; legumina teretia, longissima, torulosa, reflexa. *Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis.*

6. C. *occidentalis*. C. foliis 5-jugis, ovato-lanceolatis, margine scabris, exterioribus majoribus; glandula basi petiolorum. (Tab. 66.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis. Legumina longissima, cernua, teretia; semina cylindrica, ad extremitates truncata.

7. C. *dormiens*. C. foliis 5-jugis, ob-ovatis, emarginatis, supremis majoribus, glandula inter ima paria. (Tab. 67.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Noctu dormit, seu folia connivent; stipulæ subulatæ. Pedunculi racemosi, axillares. Legumen cernuum, longissimum, sub-compressum; binum ordinem seminum habet. Consuetudine Brasilica dicitur *Caquéra;* quod interpetratur *Dormideira. Silvis maritimis, ac mediterraneis habitat.*

8. C. *semi-falcata*. C. foliolis 12, ovalibus, glandula basi petioli communis, et alia ad latus petioli partialis. (Tab. 68.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Legumen compressum, semi-digiti; latitudine falcatum, unica serie seminum transversaliter positorum; semina oblonga. *Habitat silvis maritimis.*

9. C. *disperma*. C. foliis bi-pinnatis, eglandulatis, foliolis subulatis, pedunculo terminali, leguminibus dispermis. (Tab. 69.ª T. 4.)

Decandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Legumine sub-falcato, ad basim coangustato, ad apicem acuto; semina duo ob-ovata, arillo involuta, longitudinaliter incumbentia, hac arte, quod quævis pars acuto arillorum ad extrema leguminis respiciunt. *Habitat fruticetis Parochiæ vulgò dictæ Campo-grande.*

10. C. *paratyensis*. C. foliis multi-jugis, eglandulatis, foliolis ovato-acuminatis, racemis terminalibus, legumine monospermo. (Tab. 70.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Legumen ovale, compressum, breve, latum; intus habet membranulam rectangulam planam, in cujus centro semen adest; semen oblongum. Antheræ horizontales, sed filamenta inæqualia. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

11. C. *parahyba*. C. foliis bi-pinnatis, multi-jugis, foliolis ovalibus, glandula ad unum quodque latus petioli communis, legumine cunei-formi, monospermo. (Tab. 71.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Stamina inæqualia; antheræ incumbentes; legumen compressum, figuram conicam inversam repræsentans; semen unicum, ovale, magnum, arillo involutum ad apicem. *Habitat ad ripas fluvii Parahyba dicti.* Fructum, et florem ferebat Sept.

12. C. *fluminensis*. C. foliis multi-jugis, bi-pinnatis, foliolis, ovalibus, petiolis eglandulatis, racemis congestis, terminalibus. (Tab. 72.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Flores, racemique brevissimi. Legumen latum dig. 1, longum 6, compressum. Semina horizontaliter discumbentia, ovalia. Stamina aæqualia sed non similia, cum 5 antheras habeant sub-rotundas; cætera incumbentia. *Habitat ad declivia Alpium Fluminensium prope scaturiginem fluvii Taguahy.* Florem, et fructum ferebat Aug. Sept. Caulis arboreus.

13. C. *javanica*. C. foliis 12-jugis, ob-longis, obtusis, glabris, glandula nulla. (Tab. 73.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Si per folium maximum, quod in annotatione refert vel Cl. Lin. vel Cl.

Decandria. Monogynia.

Morrayus intelligant totum pinnati folii, tunc maxima sunt folia; sed si foliola pinnarum intelligunt, tunc Javanica non erit: cum foliola sint parva. Legumina nec bi-pedalia, nec crassitie brachii tenuioris, quamquam cæteris præstent crassitie, ac longitudine. Si rite recordor, cum mihi aliqua non adsit; mea crassa dig. 1 obtuse 4-angularis, longa ped. cum semisse et folia plusquam 12 juga sunt. *Habitat silvis maritimis, ac mediterraneis.* Mensibus calidis floret.

14. C. *gemina.* C. caule herbaceo, foliis multi-jugis, petiolis longitudinaliter bi-glandulosis, foliolis subulatis, bi-floris. (Tab. 74.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, sub-ramosus, stipulatus; stipulæ subulatæ. Legumen parvum, falcatum, hirsutum; semina horizontaliter discumbentia, ab altera extremitate acuta. *Habitat campis, seu fruticetis excultis maritimis ad Sacellum D. Antonii Joary dictum.* Florem, et fructum ferebat May.

15. C. *hypnotica.* C. caule herbaceo, foliis multi-jugis, glandulis 2, basis petiolorum secundum latitudinem positis, uni-floris, leguminibus linearibus. (Tab. 75.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis simplicissimus, glaber; folia pinnata, multi-juga: foliolis ovalibus, nyctitantibus. Pedicelli uni-flori, supra axillares; semina horizontaliter discumbentia, ab altera extremitati acuta; stipulæ ulatæ. *Habitat eodem loco,* menseque floret eodem.

16. C. *aprica.* C. caule frutescente, foliis multi-jugis, eglandulatis, foliolis ovalibus, sub-emarginatis. (Tab. 76.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis hispidus, cæteraque omnia; legumine recto. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Jan. Febr.

17. C. *montana.* C. caule sub-arboreo, foliis multi-jugis, petiolis eglandulatis, foliolis ovalibus, pedunculis terminalibus, racemosis. (Tab. 77.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Planta glabra; stamina æqualia; antheræ vix apparentes, sub-rotundæ. *Habitat campis mediterraneis.* Floret Jan. Febr.

Decandria. Monogynia.

18. C. *silvestris.* C. caule arboreo, foliis multi jugis, foliolis ovato-acuminatis, petiolis eglandulatis, leguminibus compressis, latis. (Tab. 78.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Stamina inæqualia; antheræ sagittatæ, incumbentes. Racemus axillaris, paniculatus, longissimus; legumen latum semi-digiti longum 8. Semina horizontaliter discumbentia, ovalia. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii. S. Crucis.*

19. C. *cusi-formis.* C. caule arboreo, foliis 2 vel 3-jugis, petiolis glandula interparis, pedunculis racemosis, brevibus, supra axillaribus. (Tab. 79.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus; foliola lanceolato-ovata. Stamina æqualia; filamenta brevissima. Antheræ oblongæ; legumen breve, compressum, ad apicem latius, apice acuto. *Habitat silvis maritimis.* Floret Sept. Oct.

20. C. *hirsuta.* C. foliis multi-jugis, foliolis ob-ovatis, petiolis eglandulatis, caule hirsuto. (Tab. 80.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, sub-ramosus. Staminum filamenta brevissima; antheræ oblongæ, incrassatæ, curvatæ. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Febr. Mart.

170. Bauhinia.

1. B. *radiata.* B. caule scandente, lobis divaricatis, foliis sub-cordatis, glandula setacea inter lobos, pedunculis cirrhiferis, legumine monospermo. (Tab. 81.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Racemi sub-spicati; foliorum lobi a medio ad apicem; pedunculi tomentosi, cirrhiferi; cirrhi reflexi, revoluti. Legumina lanceolata, utraque extremitate coangustata, monosperma. Semina ad medium leguminis. *Habitat silvis maritimis.* Jan. floret.

2. B. *ungulata.* B. foliis ovatis, paralellis. (Tab. 82.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia 6-nervia a basi ad apicem divisa, mihi etiam sub-cordata. Linea di-

Decandria. Monogynia.

visionis recta, hoc est, sine divaricatione loborum. Legumina non vidi. *Habitat fruticetis mediterraneis trans-alpinis.* Florebat Jan. Febr.

3. B. *aculeata.* B. caule aculeato. (Tab. 83.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus; rami divergentes, aliquando etiam divaricantes; folia alterna, petiolata, paulo supra medium lobata, loco divisionis denticulo; lobi divaricati. Pedunculi axillares, bi, vel tri-flori. Calyx, seu perianthium monophyllum, ab uno latere disruptum; petala longissima; stamina longissima; antheræ lineares, incumbentes, ab altera extremitate filamentis adhærescentes. Pistillum ad medium pertusum foramine longitudinali; stigma bi-lamellatum. Legumina longissima, apice acuminato, polysperma; semina ovalia, alternatim valvulis adhærescentia. *Habitat tum maritimis, tum mediterraneis.* Floret Jan. Febr. Vulgó *Unha de Vacca*, vel *Unha d'Anta.*

4. B. *tomentosa.* B. caule scandente, vel declinato, lobis divaricatis, denticulatis, racemis terminalibus, cirrhiferis, leguminibus monospermis. (Tab. 84.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Foliorum lobi paulo supra medium incipiunt; legumen monospermum, ovale. Corolla brevis; stamina longitudine corollæ. Antheræ sub-sagittatæ. Tota planta hirsutissima. *Habitat tum maritimis, cum mediterraneis.* Floret Jan. Febr.

5. B. *acuminata.* B. foliis cordatis, peltatis, lobis divaricatis, leguminibus latis, monospermis. (Tab. 85.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-fruticosus. Legumen latum apice acuto; semen rotundum. *Habitat fruticetis excultis ad ripas fluvii Taguahy.* Florem non vidi; legumina ferebat Aug.

6. B. *scandens.* B. caule scandente, compresso, alterne convexo-concavo, foliis 10-nerviis, cordatis, lobatis, paulo post basim glandula subulata ad divisionem. (Tab. 86.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Silvis maritimis, ac mediterraneis frequentissima est; sed hucusque fructificantem non vidi. A. D. Aubl. ductus, qui florentem exhibet, inter B. repono.

Decandria. Monogynia.

171. Bucida.

1. B. *buceras.* (Tab. 87.ª T. 4.)

OBSERVATIONES

Lusitano-Brasilice dicitur *Mangue.* Folia ovata, opposita, duabus glandulis hinc inde petiolo ad expansionem foliorum. Cortex ad condensanda coria utilis *Habitat ad fluviorum ostia, cæteraque loca, ubi mare fluit, et refluit.*

172. Copaifera.

1. C. *officinalis.* C. foliis pinnatis, 4-jugis, foliolis ovato-lanceolatis. (Tab. 88.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Floret Febr. *Ubique habitat.* Copaiba, vel Copaiva, seu Copaiveira officinal vulgo dicitur.

173. Cæsalpini.

1. C. *vessicaria.* C. caule aculeato, foliolis ob-cordatis, sub-rotundis. (Tab. 89.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Foliola nec ob-cordata, nec sub-rotunda, bene veró ovalia, emarginata, alterne pinnata. Legumen falcatum, muricatum. *Habitat silvis maritimis usque ad Molendinum Sacchariferum dictum Itacurussú.* Inde ad austrum non offenditur. Floret Oct. Nov.

174. Poinciana.

1. P. *pulcherrima.* P. aculeis geminis. (Tab. 90.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia sunt bi-pinnata, ovalia, seu ob-ovata. Colitur hortis. Etsi Cl. Lin. asserat Emenagogam esse, attamen hucusque usu medico inter nostrates caret.

175. Guilandina.

1. G. *bonduc.* G. aculeata, pinnis ovatis, foliolis aculeis solitariis. (Tab. 91.ª T. 4.)

Decandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, spinis confertis. Legumen aculeatum, latum; semen ob-ovatum. Stamina ad basim incrassata, barbata. Consuetudine Brasilica dicitur *Juquirionáno*, Lusitana *Arriozes*. *Habitat silvis maritimis ad littora maris.*

176. Sophòra.

1. S. *occidentalis*. S. foliis pinnatis, foliolis numerosis, sub-rotundis. (Tab. 92.ª T. 4)

OBSERVATIONES.

Folia pinnata cum impari. Foliola ovalia, albida, seu cinerescentia. Legumen torulosum, cernuum, longum. Flores lutei; caulis frutescens. *Habitat fruticetis maritimis ad littora maris.* Sept. Oct. floret. Lusitane dicitur *feijão da praya*, *Brasilice Comandayba*. Dicunt canes occidere, si ab illis fuerit manducata.

177. Celsa.

Ch. ess. gener.

Petala 5, perianthium pentaphyllum, magnum, bacca exsucca, torulosa; semina plurima.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium foliola 5, patentia, lanceolata, persistentia.
Cor. petala 5, sub-rotunda, parva, tomentosa.
Stam. filamenta 10 longitudine calycis. Antheræ sub-rotundæ.
Pist. germen ovatum; stylus longitudine staminum; stigma 3-fidum.
Per. bacca exsucca, torulosa.
Sem. plurima, cortici baccæ inhærentia.

OBSERVATIONES.

In memoriam Cornelii Celsi.
1. C. *frutescens*. (Tab. 93.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, teres.

Decandria. Monogynia.

Ram. patentes, alterni.
Fol. alterna, petiolata, ovato-lanceolata, integerrima.
Infl. axillaris, verticillata.

OBSERVATIONES.

Habitat fruticetis maritimis.

178. Andromeda.

1. A. *nitida*. A. pedunculis solitariis, lateralibus, corollis ovatis, foliis alternis approximatis, lanceolato-ovalibus. (Tab. 94.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia integerrima. *Habitat campis apricis mediterraneis ad Pharmacopolit. Alpes.* Stamina ad basim clavata.

2. A. *serrata*. A. pedunculis terminalibus, corollis ovatis, foliis sub-alternis, ovalibus, serratis, approximatis. (Tab. 95.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Corolla coccinea, extus pilosa, ovata; filamenta brevissima. Antheræ ovatæ, 4 aristis terminatæ. *Habitat campis apricis ad verticem Alpium Fluminensium.*

3. A. *pulchra*. A. pedunculis terminalibus, corollis ovatis, foliis cordatis, confertis, approximatis, revolutis. (Tab. 96.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Antheræ oblongæ, bi-aristatæ. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.*

4. A. *lanceolata*. A. pedunculis solitariis, axillaribus, secundis, corollis ovatis, foliis lanceolato-oblongis. (Tab. 97.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia sparsa; antheræ ob-longæ, bi-aristatæ. *Habitat loco supra citato.*

5. A. *candida*. A. pedunculis solitariis, axillaribus, secundis, corollis campanulatis, foliis lanceolatis, sub-alternis. (Tab. 98.ª T. 4.)

Decandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Caulis suffruticosus, pilosus. Corolla candida, punctulis sanguineis vermiculata; antheræ sub-rotundæ, sessiles, bi-aristatæ aristis longis. *Habitat campis supra relatis ultramontanis inter gramina.*

6. A. *hirsuta.* A. pedunculis solitariis, axillaribus, corollis ovatis, foliis alternis, cordato-ovatis. (Tab. 99.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, pilosus, sicuti est tota planta. Antheræ obliquæ, sessiles, apice bi-aristatæ. *Habitat loco supra citato.* Omnes Andromedarum species florent mensibus calidis.

179. Turræa.

1. F. *americana.* T. foliis pinnatis, foliolis lanceolato-oblongis, sub-oppositis, racemis terminalibus. (Tab. 100.ª T. 4)

OBSERVATIONES.

Capsula pentasperma; ut aliquod genus huic plantæ assignarem, in Turræam adscripsi. Florem non vidi; sed plantæ habitus trichiliæ per quam similis,á quâ capsula differt,vulgó dicitur *Canjerana.* Materiariis lignum præbet. *Habitat silvis maritimis, et mediterraneis.* Fructum ferebat Nov.

180. Trichilia.

1. T. *glabra.* T. foliis pinnatis, glabris, foliolis extimis majoribus. (Tab. 101.ª T. 4)

2. T. *canjerana.* T. foliolis lanceolatis, foliis pinnatis, multi-jugis (10-jugis,) antheris non dentibus, sed intra fauces tubi nectarii sessilibus. (Tab. 102.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Lignum præbet materiariis. Floret Apr. Mart. *Ubique habitat.*

3. T. 5-*juga.* T. foliis pinnatis cum impari, foliolis lanceolatis, pedunculis racemosis. (Tab. 103.ª T. 4.)

Decandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Folia 5-juga, opposita, caulis arboreus.

4. T. *repanda*. T. foliis pinnatis, bi-jugis cum impari, extimis majoribus, foliolis lanceolato-ovatis, repandis. (Tab. 104.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia sunt præcedentis latiora.

5. T. 3-*juga*. T. foliis pinnatis, 3-jugis cum impari, foliis extimis majoribus, foliolis lanceolatis. (Tab. 105.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Antheræ insidentes, denticulis nectarii tubulosi, capsula 3-locularis T. esse demonstrant. *Habitat silvis Reg. Prædii S. Crucis.*

181. Democrita.

Ch. ess gener.

Corolla hexapetala, capsula 5-locularis, torulosa, semina solitaria.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium 4-dentatum, parvum, inferum.
Cor. petala 6, erecta, linearia, tubum simulantia.
Stam. filamenta 10, inæqualia, corolla breviora. Antheræ sub-rotundæ.
Pist. germen conicum. Stylus ***.
Per. bacca exsucca, sphærica, compressa, apice acuto, 5-torulosa, 5-locularis.
Sem. solitaria.

OBSERVATIONES.

In memoriam Democriti de Re rustica scribentis.

1. D. *resinosa*. (Tab. 106.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. frutescens.

Decandria. Monogynia.

Fol. petiolata, ovato-lanceolata, nitida, integerrima, acuta, glandula singulari hinc, et illinc ad latus petioli prope spansionem foliorum.

Pedunc. axillares, fasciculati, racemosi.

OBSERVATIONES.

Silvis maritimis habitat. Floret Jul. Aug. Resinam odoriferam fundit.

182. Euphrona.

Ch. ess. gener.

Perianthium tetraphyllum, corolla pentapetala.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium tetraphyllum : foliolis lanceolatis.

Cor. pentapetala.

Stam. filamenta 10, corolla breviora; antheræ sub-rotundæ.

Pist. germen inferum. Stylus longitudine staminum; stigma sub-rotundum.

Per.***

Sem.***

1. E. *ternata.* (Tab. 107.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Cal. frutescens, teres,

Ram. alterni.

Fol. petiolata, composita, ternata; foliolis lanceolatis, longis, intermedio longiore.

Pedunc. axillares, fasciculati.

OBSERVATIONES.

Habitat maritimis. Floret Aug. Sept.

183. Melastoma.

1. M. *reticulata.* M. foliis integerrimis, 5-nerviis, ovato-lanceolatis, bacca striata. (Tab. 108.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia subtus lineis parallelis reticulata; tota planta glabra.

Decandria. Monogynia.

2. M. *grandi-flora*. M. foliis integerrimis, 5-nerviis, lanceolato-oblongis, lineis parallelis, aliisque Ziczac intertextis (Tab. 109.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Bacca extus pilosa, ovata, apice truncato, 4-angulari; folia pilosa.

3. M. *pulchra*. M. foliis crenatis, 5-nerviis, lanceolato-ovatis, lineis parallelis, baccis minimis, coronatis. (Tab. 110.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia nitida. Caulis arborescens.

4. M. *sub-repanda*. M. foliis sub-repandis, ovato-lanceolatis 3-nerviis, floribus minimis. (Tab. 111.ª T. 4.)

5. M. 3-*nerva*. M. foliis integerrimis, 3-nerviis, lanceolato-ovatis. (Tab. 112.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Antheræ acuminatæ, erectæ; calyce quinque-dentato denticulis patulis.

6. M. 3-*nervis*. M. foliis integerrimis, 3-nerviis, corollis minimis. (Tab. 113.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Planta glabra; calyce crenato, crenis vix apparentibus.

7. M. *cordata*. M. foliis cordatis, integerrimis, 5-nerviis. (Tab. 114.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis.

8. M. *sericia*. M. foliis integerrimis, 3-nerviis, lanceolato-ovatis, subtus pilosis. (Tab. 115.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Stam. filamentis brevissimis; antheræ erectæ, ovatæ.

9. M. *pumila*. M. foliis serratis, 3-nerviis, lanceolatis, floribus binis terminalibus. (Tab. 116.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Tota planta pilosa, caulis herbaceus, sub-ramosus. Stamina ad modum

Decandria. Monogynia.

Salviæ pedicellis affixa. *Habitat campis apricis mediterraneis prope Prædium Boavista inter gramina.*

10. M. *enana*. M. foliis integerrimis, 7-nerviis, nitidis, pedunculo terminali, cymoso. (Tab. 117.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, pedalis, simplicissimus, erectus. Folia petiolata, approximata, sparsa, ovato-lanceolata, amplissima. Pedunculus solitarius, terminalis; inflorescentia cymosa. Stamina declinata; antheræ cernuæ. *Habitat ad declivia Alpium locis umbrosis.* Floret Nov.

Foliola perianthii reflexa; petala erecta, crassa, candida, lineolis coccineis radiata.

11. M. *holosericia*. M. foliis integerrimis, 3-nerviis, oblongo-ovatis, subtus tomentosis, racemis brachiatis, spicis bi-partitis. (Tab. 118.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolato-oblonga.

12. M. *hirsuta*. M. foliis crenatis, ciliatis, 5-nerviis, hirsutis, racemo terminali, composito, pedunculis partialibus, divergentibus. Tab. 119.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Planta hirsutissima.

13. M. 5-*nervis*. M. foliis integerrimis, 5-nervibus, ovato-lanceolatis, pedicellis extra-foliaceis, unifloris, congestis, bacca extus hirta, 5-loculari. (Tab. 120.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis arborescens; folia subtus tenuissimis pilis. Perianthium 5-crenatum; petala ob-ovata; antheræ subulatæ.

14. M. *glabra*. M. foliis integerrimis 3, vel 5-nerviis, ovato-lanceolatis, pedicellis uni-floris, congestis, axillaribus. (Tab. 121.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis frutescens; perianthium limbo integerrimo. Petala subulata. Filamenta brevissima; antheræ cernuæ.

Decandria. Monogynia.

15. M. *macro-phylla*. M. foliis crenatis, cordato-lanceolatis, 7-nerviis, glabris, pedunculo racemoso, terminali, brachiato, bacca coronata. (Tab. 122.ª T. 4.)

16. M. *thexioides*. M. foliis crenatis, cordato-ovatis, 5-nerviis, pedunculis axillaribus, 3-floris. (Tab 123.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, striatus; tota planta hirsuta. Antheræ longissimæ, falcatæ.

17. M. *procumbens*. M. foliis integerrimis, 3-nerviis, ovato-oblongis, pedunculo terminali, uni-floro. (Tab. 124.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis. Floret Sept. Aug. Planta hirsuta.

18. M. *brachiata* M. foliis integerrimis, 3-nerviis, cordatis, pedunculo longissimo, terminali, solitario, brachiato. (Tab. 125.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres erectus, simplicissimus. Pedunculus terminalis longitudine caulis; pedunculi partiales, brachiati. Corolla violacea; antheræ oblongæ, flavescentes, incurvatæ. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Febr. Mart.

19. M. *arvensis*. M. foliis integerrimis, 3-nerviis, lanceolatis, pedicellis terminalibus, solitariis, uni-floris. (Tab. 126.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus; rami axillares, flores terminales; corolla violacea.

20. M. *conferta*. M. foliis lanceolatis, integerrimis, verticillariter confertis, sessilibus, pedicellis solitariis, uni-floris, axillaribus. (Tab. 127.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, lævis, erectus, ramosus. Folia verticillariter fasciculata. Corolla flavescens; antheræ erectæ, acuminatæ.

Decandria. Monogynia.

21. M. *pentandra*. M. foliis integerrimis, 3-nerviis, floribus terminalibus, solitariis, pentandris, antheris sub-sagittatis. (Tab. 128.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus; rami brachiati; folia decussata, glabra. Pedicelli solitarii, terminales, uni-flori. Corolla candida, lineolis purpureis radiata. Filamenta antheræ purpurea; stylus clavatus. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret Oct. Nov.

22. M. *saxatilis*. M. foliis integerrimis, cordatis, 7-nerviis, glabris, racemo terminali, brachiato. (Tab. 129.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia ampla, petiolata, decussata; caulis fruticosus, ascendens, obtuse tetragonus, simplicissimus. Racemus amplus. Corolla ampla, violacea; stamina similia, sed inæqualia, 5 brevissima, 5 alternatim longiora longitudine corollæ. *Habitat maritimis ad saxa, supraque recumbit.* Floret Sept. Oct.

23. M. *mutabilis*. M. foliis integerrimis, tri-nerviis, lanceolatis, glabris; pedunculis terminalibus, axillaribusque, bi vel 3-floris; corolla ampla, colorato-mutabili. (Tab. 130.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Arbor; corolla, cum explicatur, candidissima; dein, cum juvenescit, violacea; cum senescit, purpurascit; ampla, est. Vulgo dicitur *Cuipeúna*. Indigenæ ex illa quoddam atramentum educunt ad utensilia inficienda idoneum. *Habitat Alpibus Pharmacopolitanis ad vertices.* Floret Oct. Nov.

24. M. *arborea*. M. foliis integerrimis, 3, vel 5-nerviis, ovatis, racemis terminalibus, floribus octandris, antheris cordatis, cernuis, cuspidi adhærescentibus, corolla 4-petala. (Tab. 131.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Ramusculi tenelli, flavescente tomento sunt tecti; racemi declinati, multiflori. Flores in orbem, seu verticillariter positi; corolla alba, 4-petala. Truncus arboreus. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

25. M. *taquari*. M. foliis serratis, 3-nerviis, sparsis, glabris, floribus octandris, corolla 4-petala. (Tab. 132.ª T. 4.)

Decandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Frutex, rami, et folia sparsa, quibus a congeneribus recedit. Racemi terminales, laxi, seu paniculati, corolla candida, minima, antheræ lineares; baccam non vidi. Vulgó dicitur *Pixiricussú*. Florebat Jul. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis ad Ostium fluvii dicti Taquarî.*

26. M. *anhanga*. M. foliis integerrimis, 5-nerviis, ovatis, floribus terminalibus, sub-racemosis. (Tab. 133.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Frutex; corolla candida. Petala ob-ovata, perianthio longiora. Ramusculi, perianthium pilosa. *Habitat fruticetis maritimis Pharmacopolitanis.*

27. M. *pexirica*. M. foliis integerrimis, 3-vel 5-nerviis, floribus axillaribus, verticillatis. (Tab. 134.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Frutex; corolla candida; laciniis lanceolato-subulatis. Stamina brevissima, linearia, flavescentia. Stigma obtusum. Laciniæ perianthii petalis longiores. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

28. M. *flava*. M. foliis integerrimis, 3-nerviis, lanceolatis, floribus racemosis, terminalibus, decussatis. (Tab. 135.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Frutex hirsutus; laciniæ perianthii subulatæ, uti etiam petala. Antheræ, petalaque flava. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

29. M. *coccinea*. M. foliis integerrimis, 5-nerviis, ovatis, racemis axillaribus. (Tab. 136.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Frutex hirsutus; corolla ex-albido-flavescens. Pedunculi, bacca saturate-coccinea. *Habitat campis mediterraneis transalpinis ad fruticeta.*

Species, seu varietates hujus generis sunt prope modum innumeræ, quæ variis nominibus ad unius cujusque libitum gaudent; nam aliæ *Anhangapirî*, seu *Amingapirî*; *aliæ Muiva*; *aliæ Caaguigúyo dicuntur*. De vi medica Piso consulendus.

Decandria. Monogynia.

184. Epigenio.

Ch. ess. gener.

Corolla monopetala 5-partita; drupa ovata.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium campanulatum, 5-dentatum, strictum.
Cor. monopetala, sub-campanulata, 5-partita; laciniis lanceolatis, erectis.
Stam. filamenta 10, tubo connata; antheræ lineares.
Pist. germen ovatum. Stylus filiformis longitudine corollæ; stigma obtusum.
Per. drupa, ovato-truncata.
Sem. nux.

OBSERVATIONES.

In memoriam Epigenis Rhodii de Re rustica scribentis.

Ch. ess. spec.

1. E. *integerrima*. E. foliis lanceolatis, integerrimis. (Tab. 137.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, erectus, teres.
Ram. sparsi.
Fol. petiolata, lanceolata, integerrima, sparsa, longissima.
Pedunc. axillares, racemosi, breves, pauci-flori.

OBSERVATIONES.

Corolla candida; antheræ flavæ. *Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.*

2. E. *crenata*. E. foliis crenatis. (Tab. 138.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia sparsa, breviter petiolata, ad extremitatem apicis obtuse crenata. Stamina breviora; antheræ minimæ. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.*

185. Canicidia.

Ch. ess. gener.

Petala 5; legumen monospermum, curvatum superne, rectum inferne, rostro acutiusculo.

Decandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum 4-dentatum, minimum, inferum.
Cor. petala 5, lanceolata, reflexa.
Stam. filamenta 10, inæqualia; antheræ rotundæ.
Pist. germen conicum. Stylus nullus; stigma sessile.
Per. legumen semi-orbiculatum, sub-rostratum, monospermum.

1. C. *rostrata*. (Tab. 139.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. suffruticosus, declinatus, teres.
Ram. sparsi.
Fol. pinnata, bi-juga cum impari; foliolis ovato-oblongis.
Pedunc. axillares, racemosi. Racemi compositi; legumen passeris rostrum repræsentat.

OBSERVATIONES.

Habitat fruticetis Reg. Prædii S. Crucis.

186. Hesioda.

Ch. ess. gener.

Perianthium persistens, coloratum. Stamina 5 petalis adnata, 5 receptaculo; capsula monosperma.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 5-partitum, laciniis lanceolatis.
Cor. petala 5, lanceolata, patentia.
Stam. filamenta 10, petalorum longitudine, 5 petalis inhærentia, 5 receptaculo; antheræ sub-rotundæ.
Pist. germen sub-rotundum; stylus nullus; stigma sessile.
Per. capsula ovalis.
Sem. unicum, ovale.

OBSERVATIONES.

In memoriam Hesiodi Græci de Re rustica scribentis.

1. H. *perianthomega*. (Tab. 140.ª T. 4.)

Decandria. Monogynia.

Ch. nat. spec.

Caul. frutex, teres, declinatus.
Ram. sparsi.
Fol. petiolata, lanceolata, integerrima, alterna.
Infl. solitaria, axillaris, uni-flora.

OBSERVATIONES.

Post fœcundationem germinis, et decidentiam petalorum perianthium adaugetur, fructum. Physalis instar, tegit, et usque ad decidentiam persistit coccineo colore infectum. *Habitat campis, fruticetisque maritimis.*

187. Jussiaea.

1. J. *erecta*. J. glabra, floribus tetra-petalis, octandris, sessilibus. (Tab. 141.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

An species alia? nam caulis pilosus, declinatus; folia ovato-oblonga, pilosa, petiolata; pedicelli axillares, solitarii. Est planta non solum palustris, sed etiam fluviatilis. *Habitat maritimis, ac mediterraneis.*

2. J. *terminalis*. J. foliis lanceolato-oblongis, pedicellis 4-angularibus, floribus solitariis, terminalibus. (Tab. 142.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Pedicelli 4-angulares, ala membranacea ad apicem incrassati; antheræ ovales oblique insidentes; caulis erectus. *Habitat loco supra citato.*

3. J. *palustris*. J. foliis lanceolato-oblongis, antheris sub-rotundis, floribus axillaribus. (Tab. 143.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Cætera ut in præcedenti.

4. J. *hirsuta*. J. foliis lanceolatis, sub-sessilibus, floribus axillaribus, solitariis. (Tab. 144.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Tota planta pilosa, striata; antheræ ovales. Jussieviæ, quas trado, omnes

Decandria. Monogynia.

sunt octandræ, tetra-petalæ, seu eæ, quibus quinta pars numeri, ut ait Cl. Lin. dempta est.

188. Antigona.

Ch. ess. gener.

Nectaria 10, petala simulantia; perianthium pentaphyllum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum: foliolis ovatis, acutis, patentibus.

Cor. nulla, si calycem non dixeris, nectaria 10, sub-rotunda, staminibus alternantia, minima, receptaculo sessilia.

Stam. filamenta 10, perianth. breviora; antheræ rotundæ.

Pist. germen sub-rotundum; stylus filiformis staminibus longior; stigma clavatum.

Per. ***

Sem. ***

OBSERVATIONES.

In memoriam Antigoni Græci de Re rustica scribentis.

1. A. *serrata*. (Tab. 145.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, teres.

Ram. alterni, patentes, stipulati.

Fol. petiolata, ovata, serrata, acuta, pilosa, alterna.

Stip. subulatæ, hinc, et illinc ad foliorum basim.

Infl. fasciculata; pedicelli uni-flori, filiformes, laxi.

189. Cleobula.

Ch. ess. gener.

Petala 5, perianthium monophyllum; antheræ ob-ovatæ, obliquæ.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, 5-dentatum denticulis acutis.

Cor. petala 5, ob-ovata, erecta.

Decandria. Monogynia.

Stam. filamenta 10, linearia, petalis paulo longiora; antheræ ovatæ, inferne acutæ, oblique insidentes.

Pist. germen sub-rotundum, superum; stylus subulatus staminibus paulo longior. Stigma ***.

Per.***

Sem. ***

OBSERVATIONES.

In memoriam Cleobuli de Re rustica scribentis.

1. C. *pinnata*. (Tab. 146.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus; cortex crassus, rugosus, erosus.

Ram. alterni, patentes.

Fol. composito-pinnata, bi-juga, vel tri-juga cum impari; foliolis ovatis, oppositis, integerrimis.

Infl. terminalis, racemosa, composita.

190. Mnassea.

Ch. ess. gener.

Filamenta barbata; germen conicum; stigma sessile.

Ch. nat. gen.

Cal. perianthium pentaphyllum; foliolis lanceolatis, patulis.

Cor. petala 5, lanceolata.

Stam. filamenta 10, pilosa, seu barbata, longitudine petalorum; antheræ rotundæ.

Pist. germen conicum; stylus nullus; stigma sessile.

Per. ***

Sem. ***

OBSERVATIONES.

In memoriam Mnasseas Græci de Re rustica scribentis.

1. M. *pinnata*. (Tab. 147.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus teres.

Decandria. Trigynia.

Ram. sparsi, patentes.
Fol. composito-abrupte-pinnata, foliolis ovalibus, obtusis.
Pedunc. axillares, racemosi.

DECANDRIA.
TRIGYNIA.

191. Banisteria.

1. B. *nitida*. B. foliis cordatis, peltatis, ciliatis, nitidis, glandula singulari utrinque ad apicem petioli. (Tab. 148.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Stamina inæqualia, longiora brevioribus alternantia; antheræ bi-loculares; stigmata lateralia cernua; intermedium arcuatum, incumbens. Radix tuberosa. *Habitat fruticetis maritimis.* Floret Nov.

2. B. *hexandra*. B. foliis ovato-acutis, petiolis hinc, et illinc bi-glandulatis, floribus hexandris, monogynis. (Tab. 149.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Petala ad apicem 4, vel 5-dentata. *Habitat silvis maritimis.* Floret mensibus calidis.

3. B. *megacarpos*. B. foliis cordato-sub-rotundis, petiolis hinc inde uni-glandulatis; ad apicem vero foliorum crenam costa excedente. (Tab. 150.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia subtus pilosa. Pedunculi bis-umbellati, umbella verticilli instar; pericarpium tuberculosum. *Habitat silvis maritimis Reg. Prædii.* Floret Jan. Febr.

4. B. *solitaria*. B. foliis lanceolato-ovatis; pedicellis solitariis, axillaribus, uni-floris, pericarpiis bi-alatis, alis sub-rotundis. (Tab. 151.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-erectus; calyx eglandulatus; florem non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

Decandria. Trigynia.

5. B. *macrostachia*. B. foliis lanceolato-ovatis, petiolis eglandulatis, racemis longissimis, axillaribus. (Tab. 152.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Racemus compositus, longissimus. Aliquoties tota planta floribus duntaxat vestita videtur. Corollæ flavescentes; pericarpia non vidi. *Habitat silvis maritimis*; mensibus calidis floret.

6. B. *monoptera*. B. foliis ovalibus, racemis terminalibus, pericarpiis uni-alatis. (Tab. 153.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus; stamina æqualia. Folia subtus pilosa; pericarpia uni-alata ala magna; petioli eglandulati. *Habitat silvis maritimis*. Floret mensibus calidis.

7. B. *multi-alata*. B. foliis ovato-lanceolatis, racemis terminalibus, compositis, staminibus æqualibus, pericarpiis multi-alatis. (Tab. 154.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Petioli sunt eglandulati. Unum quodque pericarpium 15 alas habet, quarum 8, longiores, cunei-formes. *Habitat silvis maritimis, ac mediterraneis*. Mensibus calidis floret.

8. B. *eglandulata*. B. foliis lanceolatis, racemis terminalibus, et axillaribus, brevibus, et umbellatis, calyce eglandulato, staminibus æqualibus, pericarpiis 4-alatis. (Tab. 155.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Racemus in umbellas abit axillaris in 3, sub-æquales; terminalis, utrinque in 9, plus, minusve. *Habitat locis*, mensibusque floret supra laudatis.

9. B. *tri-flora*. B. foliis ovatis, racemis axillaribus, petiolis eglandulatis, pericarpiis uni-alatis. (Tab. 156.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Stamina æqualia; pistilla staminibus longiora; pedunculi partiales, 3-flori. Pericarpia uni-alata, ala obtusa; sub-falcata. *Habitat locis, mensibusque* floret supra laudatis.

Decandria. Trigynia.

10. B. *uni-alata*. B. foliis lanceolato-oblongis, foliorum basi utrinque biglandulatis, racemis confertis, divergentibus, pericarpiis uni-alatis. (Tab. 157.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Racemi axillares, divergentes; pedicelli conferti. *Habitat loco eodem*, mensibusque floret supra relatis.

11. B. *pragná*. B. foliis lanceolatis, petiolis, et calyce eglandulatis, floribus decandris, racemis brevibus, terminalibus. ((Tab. 158.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *Pragná*. Radix vi cathartica pollet; radicem Psichotriæ emeticæ æmulatur, et ejus vice, virtute sui, qui proquo Pharmaci utuntur. *Habitat maritimis*

12. B. *ternata*. B. foliis composito-ternatis, foliolis ovatis, serratis, pericarpiis uni-alatis. (Tab. 159.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Hujus plantæ facies Paulliniæ proprior. Ita folia ternata, serrata; caulis cirrhiferus, petioli, et calyx eglandulati persuadent; contra vero stant pericarpia alata cum semine in basi. Qui florem viderit, de genere rectius judicabit.

13. B. *angulata*. B. foliis sinuato-angulatis. (Tab. 160.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens; radix tuberosa; tuber inedule. Folia passim variant: primo erumpentia hastata, hastato-cordata; cætera ovata, ovato-angulata, petiolis bis bi-glandulatis. Stamina inæqualia, alternantia; stigmata capitata, bi-locularia. Inflorescentia axillaris, solitaria, umbellata; umbella simplex; pedicellata. *Habitat locis arenosis maritimis*. Nov. floret.

14. B. *coccinea*. B. foliis ovato-lanceolatis, alternis; pedicellis axillaribus, 3-floris; petalis inæqualibus; calyce, et petiolis eglandulatis. (Tab. 161.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Quatuor petala spathulata, 5.um lanceolatum; stigmata emarginata. Color

Decandria. Trigynia

petalorum coccineus. In hac specie discrimen singulare sunt folia alterna. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Nov. Pericarpium non vidi.

15. B. *mediterranea.* B. foliis lanceolato-ovatis; racemis terminalibus; petalis spathulato-concavis, ciliatis; floribus hexandris. (Tab. 162.ª T. 4.)

OBSERVATIONES

Hæc species videtur media Banisterias inter, et Malpighias, nam istius pericarpium alis caret, et baccæ assimilatur. Corolla etiam est coccinea, pilis candidis fimbriata. Calyx glandulas de more habet albidas. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret Nov.

16. B. *cordata.* B. foliis cordatis; racemis solitariis, axillaribus, cymosis; pedicellis partialibus, 3-floris; pericarpio multi-alato. (Tab. 163.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Flores non vidi; calycem glandulosum habet; alæ pericarpii ad apices roseo colore inficiuntur. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

17. *fruticosa.* B. foliis ovatis, subtus supra basim utrinque ad costam glandula singulari, umbellis terminalibus. (Tab. 164.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Hanc speciem folia habere pinnata videtur; et ad finem cujusque ramuli umbellam habet, quibus valde florida exhibetur. *Habitat silvis Reg. Prædii S. Crucis.*

18. B. *fimbriata.* B. foliis lanceolato-ovatis, racemis terminalibus, petalis fimbriatis, staminibus dissimilibus, pericarpio non alato. (Tab. 165.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Glandulis nectariferis caret; stamina inter se discrepant, quia 7 filamenta habent linearia, antheras incumbentes, supra crenulatas, mallei ad instar; tria erecta, subulata. Pericarpium caret alis, Malpighiæ fructui assimilatur. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

19. B. *terminalis.* B. foliis lanceolato-ovatis, racemo terminali, oblongo, sub-spicato. (Tab. 166.ª T. 4.)

Decandria. Trigynia.

OBSERVATIONES.

Folia subtus tomento hirto colorata. Racemus terminalis, simplex, spicam simulans; stamina æqualia; antheræ lineares; stigmata simplicia. *Habitat ad radices Alpium Paratyensium.*

20. B. *aurea*. B. foliis lanceolato-oblongis, repandis, racemis terminalibus, axillaribusque, compositis, calyce eglandulato, stigmatibus rotundis. (Tab. 167.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-erectus; folia pendula. Racemi paniculati; stamina inæqualia, alterna; pistilla staminibus longiora; calyx eglandulatus. *Habitat fruticetis maritimis.*

21. B. *mutabilis*. B. foliis ovato-lanceolatis, racemis terminalibus, calyce eglandulato, persistente; petalis mallei-formibus. (Tab. 168.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Laciniæ perianthii mutantur; nam cum flores adsunt, figuram rotundam habent, cum decidunt, in lanceolatam oblongam abeunt, limbis inflexis, et ita fructus usque ad maturitatem persistunt. Petala sunt mallei-formia, emarginata, fimbriata, cæteris ampliora. Pericarpium 3-angulare, non alatum; semina tria. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

192. Malpighia.

1. M. *fruticosa*. M. foliis pinnatis, floribus terminalibus, sub-racemosis. (Tab. 169.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus; folia opposita; filamenta ad basim incrassata. Antheræ sub-rotundæ. *Habitat fruticetis mediterraneis trans-alpinis.* Floret Nov. Dec.

2. M. *crassi-folia*. M. caule erecto, foliis ob-ovatis, racemo simplici, terminali. (Tab. 170.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus; cortex crassus; tota planta hirsuta. Folia ampla, ob-ovata, decussata; cum recentia sunt ad petiolos habent stipulas imbricatas.

Decandria. Trigynia.

Pedunculus terminalis, longus, attenuatus, simplex. Flores sparsi, approximati, cernui, pedicellati; filamenta staminum brevissima; antheræ longæ, cunei-formes. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct. Nov.

3. M. *hirsuta.* M. foliis lanceolatis, racemis terminalibus, solitariis, pedunculis ad basim stipulatis, stipulis imbricatis, verticillatis. (Tab. 171.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Facies præcedentis; sed quantitate discriminantur; nam in eodem solo hæc ad orgyalem altitudinem excrescit: truncum crassum habet; altera vero nec crassitudinem brachialem, nec altitudinem cubitalem exsuperat. Forte secundis curis meliores differentiæ dignoscerentur. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Sept. Oct.

4. M. *singularis.* M. caule herbaceo, foliis ternis, racemis terminalibus, staminibus irregularibus, floribus octandris, monogynis. (Tab. 172.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Forte aliud genus? nam a congeneribus penitus recedere videtur. Radix tuberosa; caulis herbaceus, cubitalis, linearis, simplicissimus, erectus. Folia terna, lanceolata, verticillata, sub-adpressa. Racemus terminalis; petala ut in congeneribus; stamina filamenta 6, quorum duo fili-formia, et unicuique antheræ geminæ, aliorum veró antheræ simplices, sed stamina basi coalita, ampliata. Perianthii apicibus contra aliarum Malpighiarum consuetudinem sunt glandulæ nectariferæ, binæ: aliæ in calycis basi habent. Sapientiores de genere judicabunt. *Campis apricis mediterraneis habitat.* Floret Oct. Nov.

5. M. *maritima.* M. foliis lanceolato-oblongis, racemis terminalibus, simplicibus, pedunculis longissimis, pendulis. (Tab. 173.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus; filamenta brevissima; antheræ ob-ovatæ; petala concava. *Frequenter habitat fruticetis, campisque maritimis.*

6. M. *fasciculata.* M. foliis sub-ob-ovatis, decussatis, racemis terminalibus, fasciculatis. (Tab. 174.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis cubitalis, vel pauló amplius; folia nitida supra, subtus veró te-

nuissimis pilis, decussata. Filamenta brevissima; antheræ longiores, ovatæ. *Campis apricis mediterraneis habitat.* Floret Oct. Nov.

193. Erytroxylon.

1. E. *areolatum.* E. foliis ob-ovatis. (Tab. 175.ª T. 4.)

DECANDRIA.

PENTAGYNIA.

194. Oxalis.

1. O. *violacea.* O. scapo umbellifero, foliis ternatis, calycibus apice calosis. (Tab. 176.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Planta foliis, petiolisque villosa; stamina inæqualia; radix more Lilii nucleata. Scorbuta patientibus a Medicis exhibetur. *Habitat locis umbrosis, humidisque tum maritimis, cum mediterraneis.* Corolla violacea.

2. O. *corniculata.* O. pedunculis umbelliferis, caule ramoso, diffuso. (Tab. 177.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia pilosa; caulis, ac rami diffusi; pedunculi axillares, umbellati; corollæ flavescentes; stamina inæqualia. Radix fibrosa. Folia ob-cordata. *Habitat tum maritimis, tum mediterraneis ad loca umbrosa, sed sicca.*

3. O. *delta.* O. foliis triangulari-cordatis, basi glandulis capillaceis, scapo umbellifero. (Tab. 178.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Radix instar Lilii nucleata; folia subtus pilosa. Corolla violacea; stamina inæqualia. *Habitat silvis umbrosis mediterraneis ad ripas rivulorum.*

4. O. *verticillata.* O. foliis spathulato-orbiculatis, verticillatis, scapo paucifloro. (Tab. 179.ª T. 4.)

Decandria. Pentagynia.

OBSERVATIONES.

Radix longa, in fibrillas divisa; folia ex viridi-lutea supra superficiem terræ muscorum instar decumbunt, quibus propter brevitatem plantæ, et colorem iterum assimilatur: pilis glandulosis, purpureis penitus obsita, verticillariter circa scapum disposita utrinque 7; scapus singularis e centro emissus. Flores O. æmulantur violacea. Forte Droseræ species? *Habitat campis apricis mediterraneis ad verticem montium.* Floret Mart.

5. O. *nervosa.* O. floribus congestis terminalibus, foliis nervosis, sparsis, caule fruticoso, erecto, ramoso. (Tab. 180.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia scariosa, lanceolata (graminum instar.); caulis sub-ramosus. Flores albidi, breviter petiolati; stamina inæqualia; pedunculi brevissimi. *Habitat ad ripas rivuli Taquahy silvis maritimis.* Floret Aug. Sept.

6. O. *impatiens.* O. floribus terminalibus, confertis, foliis lanceolatis, caule herbaceo. (Tab. 181.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Radix longa; caulis brevissimus, sub-compressus, sub-erectus; folia lanceolato-oblonga, integerrima, petiolata, sparsa, ad apicem congesta. Corollæ flavescentes; capsula eâ elasticitate gaudet, ut leviter tacta semina ejiciat. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis.*

7. O. *frutescens.* O. pedunculis umbelliferis, caule fruticoso, foliis ternatis, ovato-lanceolatis, intermedio petiolato. (Tab. 182.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Habitat ad scaturiginem fluvii Taquahy. Floret Aug. Corolla flavescens.

8. O. *bifida.* O. pedunculis bifidis, sub-cymosis, caule fruticoso, foliis ternatis. (Tab. 183.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Præcedenti similis: differt pedunculo bifido, et inflorescentia cymosa; corolla albida, lineolis purpureis radiata. *Habitat loco eodem, et floret mense supra citato.* Datur quædam varietas hujus speciei flore tantummodo albo. Omnes hæ species acidæ.

Decándria. Pentagynia.

195. Cotyledon.

1. C. *brasilica.* C. foliis spathulatis, crenato-dentatis, floribus octandris, 4-fidis. (Tab. 184.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa; caulis simplex, teres, erectiusculus, digitalis; folia spathulata, sub-sessilia, crassa, concava. Flores fasciculato-cymosi, terminales; corollæ infundibili-formes, ex luteo-rubræ, limbo 4-partito, plano, acuto; filamenta alterna, inæqualia. Folia juvenilia, et caules pilosi. Vulgó dicitur *Sayão. Undequaque sponte crescit ad loca umbrosa.*

196. Spondias.

1. S. *myrobalanus.* S. petiolis teretibus: foliolis nitidis, acuminatis. (Tab. 185.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Folia pinnata, foliolis cordatis, acuminatis, deciduis. Drupæ nutantes; lignum quandam gomam exsudat. Indigenarum nomen *Acajá* adhuc retinet. *Silvis maritimis habitat.*

197. Cynotoxicum.

Ch. ess. gener.

Petala 5, semina mono-vel bi-sperma.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum foliolis lanceolatis, reflexis.

Cor. petala 5, linearia, reflexa.

Stam. filamenta 10, petalorum longitudine, fili-formia: antheræ incumbentes, ab altero latere acutæ.

Pist. germina 5, subulata. Styli fili-formes staminum longitudine: stigmata rotunda, declinata.

Per. legumen.

Sem. unum, vel duo, arillo semi-baccata.

Decandria. Pentagynia.

Ch. ess. spec.

1. C. *suffruticosum*. C. foliis pinnatis cum impari, extimis majoribus, foliolis ovato-lanceolatis, caule declinato. (Tab 186.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus, teres, ramosus; rami sub-sparsi; legumen monospermum. *Habitat fruticetis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis.*

2. C. *monospermum*. C. foliis pinnatis, bi-jugis cum impari, foliolis lanceolatis, pedunculis axillaribus, fasciculatis, racemosis. (Tab. 187.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus; perianthium monophyllum; stamina brevissima, vix ad dimidium corollæ perveniunt; legumen parvum, monospermum. *Habitat silvis maritimis.*

3. C. *dispermum*. C. legumine dispermo. (Tab. 188.ª T. 4.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, teres, erectus.

Ram. alterni, patentes.

Fol. composito-pinnata cum impari; foliolis ovatis, oppositis, integerrimis, glabris.

Pedunc. supra axillares, solitarii, racemosi; pedunculis partialibus brevissimis per modum umbellæ, 4-floris.

OBSERVATIONES.

Semina nigerrima; pulpa, quæ dimidium seminis vestit, candida: oculum cum pupilla repræsentat.) *Silvis maritimis habitat.* Jul. floret.

DECANDRIA.

DECAGYNIA.

198. Phytolacca.

1. P. *decandra*. P. floribus decandris, decagynis. (Tab. 189.ª T. 4.)

OBSERVATIONES.

Vulgó dicitur *Carurú-assú*. Usus apud nostrates hactenus est nullus.

DODECANDRIA.

MONOGYNIA.

199. Rhizophora.

1. R. *mangle*. R. foliis acutis, fructibus subulato-clavatis. (Tab. 1.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Corolla octandra; pedicelli axillares, solitarii, bi-flori; pericarpium nutans, postquam in fructum transit, cultellum manubrio impositum repræsentat. Folia obtusa, seu sub-ob-ovata, approximata, caduca. *Guapariba dicitur. Habitat locis, quibus æstus maris accedit.*

200. Menestrata.

Ch. ess. gener.

Perianthium 3-phyllum; petala tria, nectaria 6, stamina inæqualia, et dissimilia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium 3-phyllum; foliolis ovatis, acutis, concavis.

Cor. petala 3.ia, ovata, erecta, calyce longiora.

Stam. filamenta 12, tria brevissima, ciliata; tria longiora, ciliata, attenuata, utrinque paulo supra basim, glandula nectarifera, rotunda. Illorum

Dodecandria. Monogynia.

antheræ acuminatæ, bi-loculares: reliqua secundis paulo breviora, ciliata; quorum antheræ sub-divisæ.

Pist. germen conicum. Stylus brevis; stigma ***.

OBSERVATIONES.

In memoriam Menestrati Græci.

1. M. *racemosa*. (Tab 2.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus, teres.
Ram. sparsi, patentes.
Fol. petiolata, sparsa, ob-ovata, integerrima.
Pedunc. longitudine foliorum; pedicellis ad apicem, 3-floris.
Infl. racemosa.

201. Cratæva.

1. C. *tapiá*. C. foliis integerrimis: foliolis lateralibus, basi antica brevioribus. (Tab. 3.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Folia ternata, foliolis lanceolato-ovatis; petala unguiculis longissimis. Germen pedicellatum; racemi terminales. *Habitat maritimis.* Allium redolet. Vulgò dicitur *Gorarêma*.

2. C. *gorarêma*. C. foliis lanceolatis, sparsis, caule inermi, arboreo. (Tab. 4.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Odore allii pollet. *A Dominis Molendinorum saccharíferorum nimis quæsita propter lexivium ad sacchara depuranda.* Cineres sale alkalico præpotenti pollent.

202. Triumfetta.

1. T. *lappula*. T. foliis basi emarginatis, floribus ecalyculatis. (Tab. 5.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Vulgò dicitur Carrapixo. Habitat maritimis æque, ac mediterraneis ad silvis quondam cultis. Floret mensibus calidis.

Dodecandria. Monogynia.

2. T. *calyculata*. T. foliis ovato-acutis, flore calyculato. (Tab. 6.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis mediterraneis quondam cultis.

203. Lythrum.

1 L. *calcaratum*. L. foliis decussatis, cordatis, sessilibus, floribus pedicellatis, axillaribus, solitariis, calyce calcarato. (Tab. 7.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis suffruticosus, virgatus; pedicelli longissimi; calyx colorato-purpureus; corolla purpurea. *Habitat campis apricis mediterraneis trans-alpinis.* Floret Aug. Sept.

2. L. *diffusum*. L. foliis oppositis, petiolatis, ovatis, racemis terminalibus. (Tab. 8.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis hirsutus. *Habitat silvis quondam cultis maritimis ad visa.*

3. L. *axillare*. L. foliis lanceolato-ovatis, floribus solitariis, sub-sessilibus, axillaribus. (Tab. 9.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, petala minima, coccinea; stamina intra corollæ tubum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

204. Portulaca.

1. P. *halimoides*. P. foliis oblongis, carnosis, caule corymboso, floribus sessilibus. (Tab. 10.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Ad basim petiolorum, seu foliorum filamentosa. *Habitat campis, fruticetisque maritimis.*

2. P. *oleracea*. P. foliis cunei-formibus, floribus sessilibus. (Tab. 11.ª T. 4.)

Dodecandria. Trigynia.

OBSERVATIONES.

Ubique habitat.

3. P. *patens*. P. foliis lanceolato-ovatis, planis, panicula ramosa, calycibus diphyllis. (Tab. 12.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Character specificus, naturalis apud Cl. Lin. videndus. *Habitat maritimis ad littora; mediterraneis ad ripas rivulorum.* Floret Jan.

4. P. *saxea*. P. foliis linearibus confertis ad apicem octo in orbem positis, (Tab. 13.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Rami longitudine caulis. Flores sessiles, terminales, tres, aut quatuor; stigma octo-fidum. *Habitat ad rupes maris.* Floret Nov.

DODECANDRIA.
TRIGYNIA.

205. Euphorbia.

1. E. *insulana*. E. dichotoma, foliis integerrimis, ovatis, umbella 3-fida, pedicellis dichotomis. (Tab. 14.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis lactescens, dichotomus, fruticosus. *Habitat ad sinum Pharmacopolitanum.* Pertinet ad 4 sub-divisionem Linnæanam, hoc est, ad umbellas 3-fidas.

2. E. *comosa*. E. dichotoma, hoc est, caule dichotomo, spicata, spica comata, foliis lanceolato-ovatis. (Tab. 15.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, teres, lactescens, cubitalis. Folia integerrima; racemi terminales, longi, bracteati; bracteæ cordatæ, amplexi-caules magnæ, integerrimæ, approximatæ, patentes, laxæ. Flores sub-sessiles. *Habitat silvis Regii Prædii S Crucis ad littora maris*

Pertinet ad 3.iam divisionem, hoc est, ad umbellam nullam.

Dodecandria. Trigynia.

3. E. *verticillata*. E. dichotoma, caule diffuso, foliis lanceolatis, pedunculis dichotomis, axillaribus. (Tab. 16.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis dichotomus, herbaceus; rami diffusi, procumbentes; folia opposita, integerrima, lanceolata. Inflorescentia axillaris, sub-sessilis, umbellata, dichotoma, multi-flora. Etsi in una ex axillis sit effecta; attamen verticillum perfecte repræsentat. *Ubique habitat; nec solum quærit: ad tecta, laterumque juncturas offenditur*. Pertinet ad 3.iam divisionem.

4. E. *serrulata*. E. dichotoma, foliis ovalibus, serrulatis, pedunculis geminis, terminalibus, dichotomis, umbellatis. (Tab. 17.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, linearis, erectus; folia serrulata, glabra; pedunculi umbellati, dichotomi, terminales. Offenditur locis nuper laudatis. Ab indigenis *Caatiá*, a *Lusitanis Herva de Santa Luzia* salutatur. De vi medica Piso consulendus.

ICOSANDRIA.

MONOGYNIA.

206. Cactus.

1. C. *hexagonus*. C. erectus, sex-angularis, longus: angulis distantibus. (Tab. 18.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

In mediterraneorum interioribus datur quidam Cactus ad cereos erectos pertinens, qui ad magnam altitudinem se se extollit; sed de quantitate angulorum sum oblitus. Forte hexagonus cereus Surinamensis? De quo est quæstio, non multum elevatur. *Habitat arenosis ad littora maris*. Floret Sept.

2. C. *heptagonus*. C. erectus, septem-angularis. (Tab. 19.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Habitat arenosis. Floret Septembri.

3. C. *melocactus*. C. sub-rotundus, 14-angularis. (Tab. 20.ª T. 5.)

Icosandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Hic tredecim-angularis est. Pertinet ad primam divisionem, seu ad Echinomelocactos. Spinæ ad angulos acerosæ, orbiculariter insertæ 6, vel 8; flores noctu explicantur. Offenditur ad insulam vulgó dictam *Tatá* tractu *Reg. Prædi S. Crucis.*

4. C. *lyratus*. C. parasiticus, caule tereti, erecto, mutico; foliis petiolatis, lyratis, proliferis. (Tab. 21.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Arborum parasitica. Caulis uncialis, paulo plus cubitalis, simplicissimus; folia, propter prolificationem ramos repræsentantia, petiolata, lyrata, prolificantia. Flores ad apices foliorum. *Habitat silvis mediterraneis trans-alpinis.* Floret Oct. Nov.

5. C. *pentagonus*. C. erectus, quinque-angularis, longus, articulatus. (Tab. 22.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Stigmata 3.io, bi-sub-divisa. *Habitat ad arenas, et ad rupes maris.*

6. C. *tetragonus*. C. 4-angularis, longus, erectus: angulis compressis. (Tab. 23.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Stigmata 16, oblonga, indivisa.

7. C. *triangularis*. C. repens, 3-angularis. (Tab. 24.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Pertinet ad 3.iam divisionem, hoc est, ad cereos repentes. Vulgó dicitur *Cardo-ananá*. Stigma multi-fidum. *Per saxa maritima repit.*

8. C. *triqueter*. C. repens, tri-angularis. (Tab. 25.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Stigma multi-fidum; fructus minimus, rotundus. *Habitat silvis maritimis.*

9. C. *pereschia*. Caule tereti, arboreo; aculeis geminis sub-axillaribus, recurvis, foliis lanceolato-ovatis. (Tab. 26.ª T. 5.)

Icosandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Stigma 5-fidum. Bacca ad spinas foliata. Flores solitarii axillares. Vulgó dicitur *Ora pro nobis*. Æthiopes loco hibisci esculenti in comestionibus utuntur. *Habitat silvis maritimis, ac mediterraneis.*

10. C. *rosa*. Caule tereti, arboreo, foliis lanceolato-ovatis, bacca prolifera. (Tab. 27.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Flos colore, ac figurà, rosæ omnino assimilatur; antheræ flavescentes; stigma 6-fidum. Bacca turbinata, obtusa, 3-angularis; apicibus angulorum baccæ, 3-aliæ prolificantes, et ita protenduntur, donec racemus magnus efficiatur. Spinæ plurimæ, subulatæ, rectæ, verticillariter positæ, sparsæ. Folia congesta 3 vel 4. Hucusque ad nihil aliud nisi, ad sepes efficiendas inservit. *Habitat maritimis, ac mediterraneis.*

11. C. *arboreus*. Caule tereti, arboreo, spinoso; foliis cunei-formibus, retusis. (Tab. 28.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Spinæ geminæ, acerosæ, sparsæ. Caulis arboreus; petioli, foliaque compressa, sub-crenata; flores sessiles ad crenas foliorum. Bacca rotunda spinis tenuissimis, congestis, sparsis. Folia prolifera. Etiam ad sepes conficiendas inservit. *Maritimis habitat*. Floret Jan.

12. C. *cruci-formis*. C. prolifer, ensi-formis, serrato-repandus. (Tab. 29.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum. Stigma 3-fidum, cruci-forme, et quævis lacinia iterum apice divisa. Bacca rotunda. *Habitat maritimis.*

13. C. *teres*. Caulibus virgatis, pendulis, ad umbellæ modum divisis. (Tab. 30.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum; umbella ramifera prima divisione 6-radiata; postea 3-radiata. Corolla 5-petala. Stigma 3-fidum. Bacca stylo persistente. *Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.*

14. C. *cylindricus*. Caule tereti, nudo, virgato. (Tab. 31.ª T. 5.)

Icosandria. Monogynia

OBSERVATIONES.

Stylus quinque-fidus. *Habitat fruticetis Parochiæ Campo grande.*

15. C. *urumbeba*. C. articulato-prolifer, articulis ob-ovatis, spinis subulatis. (Tab. 32.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Folia compressa. Etiam cochinilifer. *Habitat maritimis, et mediterraneis.*

16. C. *phyllanthus*. C. prolifer, ensi-formis, serrato-repandus, caule simplici. (Tab. 33.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Folia a præcedentis discrepant defectu unius anguli. Baccæ oblongæ, rarissimis spinis, coccineæ. Stigma stellam simulat 6-partitum. Corolla, hexapetala. Parasitica arborum. *Habitat silvis maritimis.*

207. Eugenia.

1. E. *edulis*. E. foliis lanceolatis; baccis sessilibus; pulpa succosa monosperma (Tab. 34.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus: folia opposita, integerrima; flores sessiles, sparsi caulis cortici adnati. Bacca magna, succosa, eduli-pulpa. Semen unicum a Myrtis ad E. amandare fecit. *Habitat silvis maritimis Boream versus.* Sept. floret. Vulgò dicitur *Cambucá.*

2. E. *nitida*. E. foliis ovatis, oblongis, oppositis, nitidis. (Tab. 35.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Folia nitidissima. Non editur. Vulgò dicitur *Mangue do Brejo. Habitat silvis maritimis ad ripas Taguahy.* Floret Junio.

3. E. *campestris*. E. caule suffruticoso; foliis lanceolatis, sparsis; floribus axillaribus, solitariis. (Tab. 36.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Ab Eugeniarum facie recedit foliis sparsis. Baccam non vidi, *Habitat cam-*

Icosandria. Monogynia.

pis apricis mediterraneis Floret Sept. Forte fructus erit, qui a Paulopolitanis *Uvdaya* dicitur.

4. E. *arvensis*. E. caule fruticoso; foliis sub-oppositis, sub-ovatis; floribus axillaribus. (Tab. 37.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Præcedenti haud dissimilis. *Habitat fruticetis maritimis, ac mediterraneis.*

5. E. *disperma*. E. caule arboreo; foliis lanceolatis; racemis brevibus, bacca disperma. (Tab. 38.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis Floret Julio.

6. E. *crenata*. E. caule arboreo, foliis lanceolato-ovatis; racemis brevibus, oppositis; semine emarginato. (Tab. 39.ª T. 5.)

7. E. *bracteata*. E. caule arboreo; foliis lanceolato-ovatis; racemis terminalibus: floribus bracteatis. (Tab. 40.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Ad quemvis florem bractea hinc, et illinc adest. *Habitat ad scaturiginem fluvii dicti Taguahy.* Floret Julio.

8. E. *axillaris*. E. caule arboreo: foliis lanceolato-oblongis: racemis axillaribus: bacca monosperma. (Tab. 41.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Vulgó dicitur *Tatú*. *Habitat ad ripasFluvii Taguahy.* Floret Jun. Jul.

9. E. *monosperma*. E. caule arboreo: foliis lanceolatis: floribus congestis; pedicellis unifloris. (Tab. 42.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis. Flroet Jun. Jul.

10. E. *humilis*. E. caule fruticoso; foliis lanceolatis; floribus solitariis, axillaribus. (Tab. 43.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis maritimis. Floret mensibus supra relatis.

Icosandria. Monogynia.

11. E. *amplexicaulis*. E. caule arboreo: foliis lanceolato-oblongis, racemis terminalibus. (Tab. 44.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Baccam non vidi; sed præcedentium habitum consulens Eugeniam dixi. Caulis, et pedunculi pilosi. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Aug.

12. E. *jambos*. E. foliis integerrimis; pedunculis racemosis, terminalibus. (Tab. 45.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Exotica in hortis tam maritimis, quam mediterraneis colitur. Floret Aug.

208. Plinia.

1. P. *rubra*. P. floribus tetrapetalis. (Tab. 46.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Pliniarum drupæ non sunt super, ut ait Cl. Lin. bene vero inferæ, cum a perianthio sint coronatæ, sicut reliquæ; unde corruit Ly supera in charactere specifico posita. Autopsia hoc me docet. *Habitat maritimis; præcipue ad littora maris, ubi parum excresciit. Etiam offenditur mediterraneis fructu dulciori.* Flores solitarii axillares.

2. P. *crocea*. P. floribus pentapetalis. (Tab. 47.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

An alia? quia florem non vidi, quia tam multis discriminatur, quod si eadem cum P. crocea Linnæana foret, Cl. Lin. non hæsitaret, quod alia esset species. Nam folia sunt opposita, oblongo-lanceolata; inflorescentia racemoso-composita, axillaris, quæ aliam faciem a P. rubra omnino important. Drupa sulcata me pellexit, ut eam inter Plinias collocarem, quamquam facies a P. rubra diversa contrarium suaderet. *Habitat silvis maritimis Reg. Prædii Sanctæ Crucis.* Floret Sept.

Dantur etiam duæ aliæ varietates, vel species, quarum alia drupam habet rubram, sed non sulcatam; altera veró nigram, sed sulcatam, quas, cum præ

Icosandria. Monogynia.

oculis non habeam, pro nunc nuntium mitto. Hæ species *Pitangas* vulgò dicuntur omnes.

209. Psidium.

1. P. *pyriferum*. P. foliis lineatis, obtusiusculis, unifloris. (Tab. 48.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Vulgò dicitur *Guayaba*. *Habitat ubique*. Floret Nov. Fructus saccharo conditur. Folia sunt adstringentia. Lexiviis ad sacchara depuranda molendinorum Magistri utuntur. Suspicatur etiam, quod ex illis sal alcalicum ad vitra conficienda idoneum educi possit. Variat bacca pulpa candida *Guayaba branca*.

2. P. *humile*. P. foliis sub-ob-ovatis; floribus oppositis. (Tab. 49.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis humilis. Folia crassiuscula. *Habitat campis sterilibus inter gramina*. Floret Aug.

3. P. *arboreum*. P. caule arboreo; foliis lanceolatis; floribus solitariis. (Tab. 50.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Brasilica consuetudine dicitur *Araçá*. Acidum est. *Hanc speciem silvis tantum offendi Pharmacopolitanis*. Arbor satis elata; florebat Martio.

4. P. *anthomega*. P. foliis lanceolatis: caule fruticoso: flore amplissimo; axillari, solitario. (Tab. 51.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Calyx 5-partitus, et corolla, cum baccam non viderim, genus determinaverunt: corollæ magnitudine congenera superat, et ad magnitudinem Eug. Jambos accedit. *Offendi silvis Pharmacopolitanis*.

5. P. *mediterraneum*. P. caule fruticoso: foliis lanceolatis: floribus aggregatis, sub-axillaribus. (Tab. 52.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Etsi tempore observationis fructum non ferret, Psidium, vulgò *Araçá do Campo* equidem est. Florebat Oct. *Habitat campis apricis mediterraneis*.

Icosandria. Monogynia.

6. P. *terminale*. P. caule fruticoso: foliis lanceolatis: floribus terminalibus, solitariis. (Tab. 53.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis mediterraneis trans-alpinis. Fructum faciebat Feb.

7. P. *pilosum*. P. caule fruticoso: foliis lanceolatis, pilosis: floribus solitariis, sub-axillaribus, bracteatis. (Tab. 54.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia, pedicelli, perianthia pilosa. Bracteæ pilosæ, lineares. *Habitat silvis Regii Prædii Sanctæ Crucis.*

8. P. *racemosum*. P. caule sub-arboreo: foliis sub-ovalibus: racemis solitariis. (Tab. 55.ª T. 5.)

OBSERVATIONES

Baccam non vidi. Discrimen est evidens. *Habitat silvis marit. Regii Prædii Sanctæ Crucis.* Florebat Sept.

9. P. *dulce*. P. caule arboreo: foliis ovato-lanceolatis: floribus solitariis, axillaribus: bacca compressa. (Tab. 56.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Vulgò dicitur *Guabiroba*. Fructùs pulpa dulcis sine aliqua acidi mixtione, sicut congenerum suorum maior pars. Sed P. dulcia mediterranea, ubi copiose crescunt, præsipue campis longe maritimis sapidiora. *Silvis Regii Prædii S. Crucis habitat.*

10. P. *fruticosum*. P. caule fruticoso; foliis cordato-ovatis; pedicellis solitariis, axillaribus, unifloris. (Tab. 57.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Planta pilis subtilissimis plena. Fruticosa. *Habitat fruticetis maritimis.* Ad Psidia acida pertinet. Floret Sept. Oct.

11. P. *apricum*. P. caule sub-herbaceo; foliis lanceolato-ob-ovatis; floribus axillaribus, vel solitariis, vel binis; pedicellis unifloris. (Tab. 58.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Guabirobamerim dicitur. Habitat campis apricis mediterraneis. Floret Sept. Oct. Caulis cubitalis, virgatus, ramosissimus.

Icosandria. Monogynia.

12. P. *trans-alpinum*. P. caule arboreo; foliis cordato-lanceolatis; floribus extra-axillaribus; pedicellis unifloris; stigmate sub-diviso. (Tab. 59.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Folia reticulata. *Habitat campis, fruticetisque mediterraneis transalpinis. Guahiroba* dicitur. Flos suavem oderem spirat. Fructus sapidissimus. De vi medica Piso consulendus. Floret Oct.

210. Myrtus.

1. M. *racemosa*. M. pedunculis racemosis; foliis ovalibus, acuminatis, nervosis. (Tab. 60.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Folia ampla, nervosa, nitida, breviter petiolata, opposita, integerrima; pedunculi bini axillares, oppositi, compositi. Pedicelli brevissimi, approximati adeo, ut flores, ac fructus videantur sessiles, et se se contingentes. Bacca trisperma. Semina triquetra; duabus faciebus planis, dorso convexo. Vulgó dicitur *Uvapuruna*, quod Lusitanè interpretatur *fructa preta. Silvis maritimis habitat*. Aug. floret. Edulis est.

2. M. *resupinata*. M. pedunculis trinis sipicatis, terminalibus; foliis cordatis, resupinatis, stipulatis; bacca trisperma. (Tab. 61.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus; rami stipulati; stipulæ lanceolatæ, decussatæ, amplexicaules. Folia cordato-oblonga, resupinata, ampla. Pedunculi ad basim stipulati. Baccæ parvæ, adproximatæ, totam rachim circumambientes, tomentosæ. Spicæ trinæ, terminales, breves. *Habitat ad declivia Alpium Fluminensium prope scaturignes fluvii Taguahy*. Sept. solummodo fructum sistebat.

3. M. *jaboticaba*. M. floribus sessilibus, fasciculatim sparsis ad caulem, ramosque, bacca disperma. (Tab. 62.ª T. 5.)

OBSERVATIONES

Inter Brasilienses fructus eminentiorem locum M. jaboticaba sapore tenet. Præfectura Sancti Vincentii, seu, ut hodie dicere magis placuit, S. Pauli, ubi juxta Maregravium melioris sunt notæ, e silvis ad hortos cochuntur, colunturque. Rusticani olim quamcumque arborem fructibus oneratam, ut fructus legeren-

Icosandria. Monogynia.

tur, trecentis supra viginti denariis populo divenditabant. Fluvii S. Francisci incolæ ex ejus fructibus sapam efficiunt. Arbor pulcherrima, dignaque Regiis hortis coli, non solum propter foliorum congestorum virorem, sed etiam propter fructificationis singularitatem; nam truncum, et ramos baccis nigerrimis undique tegit: æquum est, quod de ea aliquid amplius graphice dicamus.

Truncus arboreus, teres: rami patentes, sparsi. Folia lanceolata, approximata. Inflorescentia ad caules, ramosque sessilis: floret Jul. Aug. Fructum maturum. Nov. præbet, atque Dec. *Maritimis, ac mediterraneis ad fluviorum ripas præcipue habitat.* In supra dicta Præfectura Paulopolitana dantur aliquæ varietates, quas cum præ oculis non habeam, silentio prætereo. Pericarpia asservantur apud Rusticanos ob qualitatem adstringentem, quæ clysteribus in dysenteriis adhibere mos est. Ad calcem monere debeo baccam esse dispermam contra id, quod icone repræsentatur, sed aliquoties vitio polysperma evadit.

4. M. *quadrisperma.* M. floribus racemosis, axillaribus; bacca quadrisperma. (Tab. 63.ª T. 5.)

5. M. *silvestris.* caule arboreo; foliis lanceolatis, 3-nerviis; ramis compressis; floribus racemosis. (Tab. 64.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Vulgò dicitur *Guayabeira do matto,* cui facies externa profecto assimilatur. Nec florem nec fructum vidi. Rudimenta florum, seu dispositio inflorescentiæ, Aug. apparere incipiebant. *Habitat silvis maritimis, ac mediterraneis.*

6. M. *aggregata.* M. caule arboreo; foliis lanceolato-ovatis; floribus 2 vel. 3. terminalibus, axillaribusque. (Tab. 65.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Flos vel M. vel Eugeniæ? Baccam, quam non vidi, genus determinabit.

7. M. *verticillata.* M. caule arboreo; foliis ovato-lanceolatis; floribus sessilibus, axillaribus, verticillatis. (Tab. 66.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Bacca genus determinabit. *Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.* May fructum ferebat.

Icosandria. Monogynia.

8. M. *glabra*. M. caule fruticoso; foliis lanceolato-ovatis, glabris; floribus solitariis, axillaribus. (Tab. 67.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

An Eugenia? *Habitat silvis maritimis Reg. Præd. Sanctæ Crucis.* Jan. Feb. floret.

9. M. *nitida*. M. caule fruticoso; foliis lanceolato-ovatis; floribus axillaribus, solitariis, vel aggregatis. (Tab. 68.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Hæc species vulgó *Murtinhos* dicitur. *Habitat maritimis.* Floret Aug.

10. M. *fasciculata*. M. caule ascendente; foliis lanceolato-ovatis; pedicellis terminalibus, unifloris, fasciculatis. (Tab. 69.ª T. 5.)

11. M. *caryophyllata*. M. pedunculis trifidis, multifloris; foliis lanceolatis. (Tab. 70.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolata. Pedunculi ter trifidi. Caulis fruticosus. Fructus ovalis, disperatus. Rami brachiati. Pedunculi terminales. *Habitat campis Parochiæ D. Gundissalvi; etiam campis transalpinis mediterraneis prop? Prædium Boavista*; Acrimonia, et fragrantia caryophyllo Indico non cedid. Forte Eugenia?

12. M. *grumixama*. M. caule arboreo; foliis lanceolato-ovatis: racemis terminalibus, laxis, bracteatis. (Tab. 71.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Hæc species sponte silvis maritimis crescit, et ob bonitatem fructus colitur hortis. Europæo Chamæceraso assimilatur. Saccharo conficiuntur. Floret Aug. Sept.

13. M. *albida*. M. caule fruticoso; foliis oblongis; floribus fasciculatis per caulem, ramosque. (Tab. 72.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Cum Eugenia, et M. solum seminibus distinguantur, et hujus semen non vidi, ad utrumque genus pertinere potest. *Silvis maritimis Pharmacopolitanus habitat.*

Icosandria. Monogynia.

14. M. *decussata*. M. caule fruticoso; foliis lanceolatis, decussatis; floribus axillaribus, solitariis. (Tab. 73.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Fructum non vidi. *Habitat campis mediterraneis trans-alpinis.* Floret Sept. Oct.

15. M. *viridis*. M. caule fruticoso, foliis ovatis; racemis terminalibus. (Tab. 74.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis prope cautes vulgò dictas Cayrussû. Floret Oct.

16. M. *rufa*. M. caule fruticoso; foliis lanceolato-ovatis; racemis binis, terminalibus. (Tab. 75.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi coccinei. Folia glabra. Pedunculi apex abiit in duo foliora hirsuta. Baccam non vidi. *Habitat fruticetis, campisque mediterraneis.* Floret Oct. Nov.

17. M. *æqualis*. M. caule arboreo; foliis lanceolatis; floribus racemoso-cymosis. (Tab. 76.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi axillares, racemosi, compositi. Semina non vidi. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Sept.

18. M. *quadriflora*. M. caule arboreo; foliis lanceolatis; pedunculis axillaribus, tri, vel quadrifloris. (Tab. 77.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolata, oblonga, opposita. *Iisdem locis habitat, ac mensibus* floret, quibus præcedens.

211 Lafoensia.

Ch. ess. gener.

Semina plurima, compressa, membranaceo-alata, receptaculo capsulæ affixa.

Icosandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianth. monophyllum, inferum, campanulatum, semidecem-fidum, acutum, coriaceum.

Cor. petala 10, oblonga, sub-serrata, apice emarginata, basi squama nectarifera calyci inserta.

Stam. filamenta 20, filiformia, erecta, calyci inserta, corolla longiora.

Ant. simplices, versatiles.

Pist. germen sub-rotundum, pedicellatum. Stylus subulatus, incurvus, staminibus longior. Stigma simplex.

Per. capsula cucullata, 2-locularis, polysperma.

Sem. plurima, compressa, membranaceo-alata, receptaculo capsulæ affixa.

OBSERVATIONES.

In memoriam Ill.mi ac Ex.mi D. Joannis de Bragança, Ducis Alafonensis, et Præsidis Societatis Regiæ Scientiarum Ulysiponensis Cl. D. Vandellius dixit.

1. L. *illustris*. (Tab. 78.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, declinatus, teres.

Ram. brachiati, patentes.

Fol. breviter petiolata, ob-ovata, decussata, apicibus contortis.

Infl. solitaria.

Pedunc. biflori.

OBSERVATIONES.

Plurimi ex characteribus supra relatis, quos Cl. D. Vandelli assignavit suæ Lafoensiæ, non conveniunt, quam describo: petala namque non sunt sub-serrata, nec emarginata; bene veró plicata: capsula cucullo caret. Stylus non subulatus, sed filiformis. *Habitat silvis maritimis, ac mediterraneis. Offendi prope porticum Xenodochii S. Christophori.* Florebat Jun.

212. Vellozia.

Ch. ess. gener.

Pericarpium inferum. Perianthium corollam mentiens. Germen 3-angulare.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium maximum, coriaceum, triquetrum, lævigatum: laciniis

Icosandria. Monogynia.

maximis, coloratis, erectis, petaliformibus, ovato-lanceolatis, petala mentientibus.

Cor. ***

Stam. filamenta 15, filiformia, basi lacinarum calyci inserta, antheris breviora. Antheræ longissimæ, acuminatæ.

Pist. germen sub-triangulare, oblongum.

Styl. staminibus vix longior, cylindraceus.

Stigm. capitatum, bilobum.

Per. capsula triangularis, 3-locularis, coronata.

Sem. plurima.

Ch. ess. spec.

1. V. *maritima*. V. capsulis, cauleque scabris (Tab. 79.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Rad. fibrosa, fasciculata.

Caul. erectus, teres, sub-ramosus, scaber ex foliorum decidentium cicatriculis.

Fol. sessilia, alterna, approximata, ensiformia, revoluta.

Pedunc. axillares, uniflori.

OBSERVATIONES.

Parasitica saxorum. *Habitat saxis, quæ mari eminent anfractu Insulæ Magnæ prope Oppidum vulgò Paraty.* Vulgò dicitur *Canella de Ema.*

ICOSANDRIA.

TRIGYNIA.

213. Sesuvium.

1. S. *portula-castrum*. (Tab. 80.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis procumbens, diffusus. Folia lanceolata, carnosa; flores sessiles, axillares. Calyx 5-partitus, coloratus. Petala nulla. Capsula ovata, tri-locularis, circumcisa, polysperma. Facies tota Portulácæ. *Habitat ad rupes maris.*

Icosandria. Polyginia.

ICOSANDRIA.

POLYGYNIA.

214. Rubus.

1. R. *idæus*. R. foliis digitatis, caule aculeato. (Tab. 81.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Nunquam cum aliis foliis quam relatis vidi. Caulis erectus, frutescens, spinosus. Spinæ sparsæ, aduncæ, solitariæ; folia digitata: foliolis lanceolatis, serratis. Racemus terminalis. Fructus hyalinus, fragrans. *Habitat silvis maritimis.*

2. R. *occidentalis*. R. foliis ternis, subtus tomentosis; caule aculeato; petiolis teretibus. (Tab 82.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis hirsutus, scandens. Folia ternata; foliolis ovato-lanceolatis, serratis. Racemi terminales. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Sept. Oct.

POLYANDRIA.

MONOGYNIA.

203. Maregravia.

1. M. *umbellata*. (Tab. 83.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis subscandens; folia alterna, breviter petiolata, ovato-lanceolata, integerrima: umbella simplex, pedunculis numerosis, in orbem positis, æqualibus, horizontaliter patentibus; flores declinati. Discus umbellæ constans glandulis nectariferis, sessilibus; quinis, erectis, forma corollæ ringentis, &c. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis et Regii Prædii Sanctæ Crucis.*

Polyandria. Monogynia.

216. Schwartzia.

Ch. ess. gener.

Nectarium cucullatum, pedicellatum. Antheræ sessiles. Bacca polysperma.

Ch. nat. gener.

Cal. perianth. monophyllum 5-dentatum, superum.
Cor. quinque petala: petalis lanceolatis.
Stam. filamenta brevia viginti. Antheræ oblongæ.
Pist. germen conicum. Stylus nullus; stigma simplex.
Per. bacca pulposa, sub-rotunda.
Sem. plurima, linearia, curvata, nidulantia.
Ad basim pedicelli datur nectarium pedicellatum, sub-rotundum, concavum, rubro-coloratum.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Schwartz Botanici Suetici.

1. S. *glabra*. (Tab. 84.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus, teres.
Ram. sparsi, patentes.
Fol. cuneiformia, integerrima, glabra, sparsa, persistencia ad apices ramorum.
Pedunc. terminales, longissimi, racemosi.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis ad littora maris.

217. Lecythis.

1. L. *minor*. L. foliis petiolatis, lanceolatis, serratis. (Tab. 85.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Fructus magnitudine L. Ollariæ. *Habitat ad insulas sinu Insulæ magnæ*. Caulis est fruticosus; unde nomen triviale *minor*. Floret Aug.

Polyandria. Monogynia.

2. L. *pyramidata*. L. foliis lanceolatis, integerrimis; fructu 3-angulari, pyramidato. (Tab. 86.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Frutex. *Habitat silvis maritimis*. Racemus longissimus, terminales. Corolla flavescens. Fructus obtuse triangularis, e basi ad apicem sensim ampliatus. Folia, pedunculi tomentosa. Floret Maio.

3. L. *compressa*. L. foliis lanceolatis, integerrimis; fructu sub-compresso. (Tab. 87.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Fructus relative ad alia congenera, et non simpliciter est compressus. Racemi terminales, breves, pauciflori. *Habitat fruticetis maritimis*. Floret May.

4. L. *Ollaria*. (Tab. 88.ª T. 5.)

218. Ochna.

1. O. *verticillata*. O. foliis lanceolato-oblongis, verticillatis; pedunculis terminalibus, congestis. (Tab. 89.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia integerrima, hinc, et inde 4, in orbem posita. Racemi terminales 4, compositi. Baccam non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis*.

2. O. *jabotapitta*. O. racemis terminalibus, solitariis; pedicellis laxis. (Tab. 90.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia lanceolata, alterna; racemi terminales, compositi, paniculati instar. Pedicelli laxi, nutantes. *Habitat silvis maritimis Reg. Præd. S. Crucis, campisque apricis*. Toto anno floret.

3. O. *stipulata*. O. floribus terminalibus; foliis lanceolatis; alternis stipulatis. (Tab. 91.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus; rami sparsi; stipulæ hinc inde solitariæ, alia axillaris,

Polyandria. Monogynia.

altera oppositi-folia, subulatæ. Flores 2, vel 3, ad ramorum apices. *Habitat ad declicia Alpium Fluminensium.* Quam describo, offendi prope scaturiginem *fluvii dicti Taguahy silvis Reg. Prædii S. Crucis.* Florem ferebat Aug.

4. O. *terminalis.* O. racemo terminali: foliis lanceolato-ob-ovatis: antheris subulatis. (Tab. 92.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, simplex. Folia breviter petiolata, ob-ovato-lanceolata, serrata. Racemus pauciflorus. Antheræ sessiles, subulatæ. *Habitat maritimis.*

5. O. *vulgaris.* O. racemis terminalibus; foliis lanceolatis, subtiliter incisis. (Tab. 93.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, sub-ramosus. Rami sparsi. Folia lanceolato-oblonga, nutantia, subtiliter incisa. Racemi terminales, simplices. *Habitat campis apricis mediterraneis, et maritimis.* Continuo floret.

6. O. *itineraria.* O. foliis lanceolatis; racemis terminalibus, lateralibusque. (Tab. 94.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia lanceolata. Racemi compositi. *Habitat silvis excultis. Passim offenditur ad vias.* Continuo floret. Hucusque nullam O. inveni, quæ decandra non esset.

219. Nymphæa.

1. N. *nelumbo.* N. foliis peltatis, undique integris. (Tab. 95.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Perianthium hexaphyllum; foliolis ampliatis, lanceolatis. Petala 11. ampla, lanceolata. Folia maxima, orbiculata, peltata. Capsula 18. locularis. Corolla albissima. Vulgò dicitur *Aguapé*. Habitat at aquas sive fluentes, sive stagnantes. *Offendi fossis Reg. Præd. S. Crucis.* Floret Nov. Dec.

220. Mentzelia.

1. M. *aspera.* M. foliis quinque-lobatis; capsula turbinata, striis spiralibus. (Tab. 96.ª T. 5.)

Polyandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, sub-procumbens, pilosus. Folia cordato-quinque-lobata, septem, vel quinque-nervia, alterna, petiolata. Pedunculi terminales, et axillares; biflori. Perianthium superum, multi-dentatum, denticulis reflexis. Petala 5, ob-ovata, concava. Stamina intra petala discumbentia. Nectaria 5, membranacea, superne 5. dentata, erecta, conniventia. Capsula infera, turbinata exterius pilosa, striis spiralibus; interius farta, trilocularis. Semina plurima subvalvulis.

2. M. *urens*. M. foliis cordatis, 5.-lobatis; pedunculis racemosis; nectariis setaceis; capsula campanulata, uni-loculari. (Tab. 97.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis hispidus lineolis nigris notatus, procumbens. Nectaria 5, membranacea, integerrima, conniventia, setis binis exsertis. Capsula obtuse triangularis, uni-locularis, tri-sinuata. Semina plurima sinubus capsulæ. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis.*

221. Loasa.

1. L. *urens*. L. foliis pinnatifidis, laciniatis; capsula sphærica, oblique striata. (Tab. 98.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, procumbens, linearis, hirsutus, teres. Folia petiolata, opposita, pinnatifida, laciniato-sinuata, serrata, hirsuta. Pedunculi axillares, brevissimi, uniflori. Nectaria membranacea, ovato-capitata, conniventia. Capsula sphæroidea, oblique striato, seu torulosa, hirsuta; intus farta, 5.-locularis. *Habitat silvis maritimis mediterraneis transalpinis.* Floret Sept.

222. Bixa.

1. B. *orellana*. (Tab. 99.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Folia cordata, integerrima, alterna. Pedunculi terminales, racemosi. Vulgò dicitur *Urucú*. *Habitat maritimis, et mediterraneis, præcipue*

Polyandria. Monogynia.

prædiis derelictis. Fæcula tinctoria, quæ ex arillis seminum educitur, in Europa nomine *Axiôtli*, seu *Orellana* cognita ad varios inservit usus. Croci loco.

223. Sloanea.

1. S. *monosperma.* S. foliis lanceolatis. (Tab. 100.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, teres. Folia sparsa, breviter petiolata, integerrima, longissima, glabra. Pedunculi axillares, sub-racemosi, brevissimi. Perianthium nullum. Corolla petala 4, lanceolata. Germen conicum. Stylus brevissimus. Stigma bifidum. Capsula echinata, seu hispida, quadrifariam dehiscens. Semen unicum. An aliud genus? *Habitat silvis maritimis Reg. Pred. S. Crucis.* Aug. Sep. floret.

224. Seguieria.

1. S. *americana.* (Tab. 101.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, teres; rami alterni. Folia breviter petiolata, ovato-lanceolata, alterna, integerrima, emarginata, hinc inde spinis solitariis ad basim. Pedunculi terminales, racemosi, compositi, bini. Capsula monosperma ala magna terminata, alulisque lateralibus. *Habitat silvis maritimis mediterraneis.*

225. Cavanilla.

Ch. ess. gener.

Corolla petala 5. Stigma bi-fidum. Capsula tricocca.

Ch. nat. gen.

Cal. perianthium pentaphyllum; foliolis lanceolatis, ciliatis, persistentibus.

Cor. petala quinque, sub-rotunda, hinc inde crenata.

Stam. filamenta plurima corollà breviora. Antheræ sub-rotundæ.

Pist. germen sub-rotundum. Stylus incrassatus. Stigma bifidum.

Per tricoccum, uniloculare, monospermum.

Polyandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Abbatis Cavaniiles plantas Malvatias exhibentis.

1. C. *spinosa.* (Tab. 102.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Caul. herbaceus, erectus, teres, undique aculeatus aculeis brevibus, subramosus.

Ram. patentes.

Fol. breviter petiolata, oblongo-lanceolata, serrata, ad costas aculeata, alterna.

Pedunc. axillares, longissimi, aculeati, solitarii, sub-spicati, floribus ad apicem. Capsula tricocca, sub-rotunda, hirta, aculeata.

OBSERVATIONES.

Habitat fruticetis maritimis Reg. Præd. S. Crucis.

226. Michoxia.

Ch. ess. gener.

Calyptra cucullata, apice bifisso, genitalia tegens.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium diphyllum foliolis brevibus, ob-ovatis.

Cor. petala quinque lanceolata, reflexa. Nectarium calyptra cucullata, apice acuto, bifido.

Stam. filamenta nulla. Antheræ 17, acuminatæ, inferne coalitæ in membranam.

Pist. germen conicum. Stylus subulatus. Stigma***.

Per.***

OBSERVATIONES.

In memoriam Andrææ Michaux.

1. M. *calyptrata.* (Tab. 103.ª T. 5.)

Ch. ess. spec.

Caul. arboreus, teres.

Polyandria. Monogynia

Fol. sparsa, breviter petiolata, ob-ovata, integerrima.
Pedunc. axillares, solitarii, uni-flori.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis. Floret Nov.

227. Lamanonia.

Ch. ess. gener.

Perianthium hexaphyllum, petala nulla. Stigma bifidum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium hexaphyllum: foliolis reflexis, lanceolatis.
Cor. petala nulla.
Stam. filamenta plurima, calyce paulo longiora; antheræ rotundæ.
Pist. germen oblongum. Stylus hirtus. Stigma bifidum.
Peric.***
Sem.***

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Lamanon, globum Comite de Peyrouse circum navigante.

L. *ternata.* (Tab. 104.ª T. 5.)

Ch. nat. gener.

Caul. arboreus, teres.
Rami sparsi.
Fol. composita, ternata, foliolis lanceolatis, serratis, intermediis petiolatis.
Pedunc. racemosi, axillares.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis.

228. Mongezia.

Ch. ess. gener.

Corolla monopetala; drupa nucleo quinque-loculari.

Polyandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, quinque dentatum, infimum, erectum.
Cor. monopetala, quinque-partita: laciniis obtusis, reflexis.
Stam. filamenta plurima, tubo adnata, tribus, vel duabus seriebus disposita, inferne sub-coalita, longitudine corollæ. Antheræ rotundæ.
Pist. germen inferum. Stylus cylindricus, longitudine staminum.
Stigma incrassatum, bi-vel tri-dentatum.
Per. drupa nucleo ovali.
Sem nucleus quinque-locularis.

OBSERVATIONES.

In memoriam Abbatis Mongêz cum D. Peyrouse Orbem circum navigatoris.

Ch. ess. spec.

1. M. *pilosa*. M. foliis elyptico-acuminatis; staminum tribus seriebus. (Tab. 105.ª T. 5.)

Ch. nat. gener.

Caul. fruticosus, ramosus, teres, pilosus
Ram. patentes, alterni.
Fol. breviter petiolata, elyptico-ovalia, alterna, serrata, pilosa, venosa.
Pedunc. racemosi, axillares.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis. Floret Jan. Feb.

2. M. *glabra*. M. foliis lanceolatis; floribus duabus staminum seriebus. (Tab. 106.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Folia serrata. *Habitat campis mediterraneis.*

229. Capparis.

1. C. *nectaria*. C. pedicellis axillaribus; foliis lanceolato-oblongis; nectariis quatuor. (Tab. 107.ª T. 5.)

Polyandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Folia lanceolato-oblonga; pedicelli axillares, aliquando bi vel tri-flori. Receptaculo membranulæ quatuor superne tri-dentatæ pro nectariis, erectæ. *Habitat ad littora maris.* Corolla exalbida.

2. C. *flexuosa.* C. pedunculis racemosis, terminalibus; foliis lanceolatis. (Tab. 108.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Corolla violacea; caulis fruticosus, virgatus. *Habitat fruticetis Reg. Prædii S. Crucis.* Floret mensibus calidis.

3. C. *scandens.* C. floribus solitariis, axillaribus; foliis sub-ovatis. (Tab. 109.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis, et folia pilosa. *Habitat fruticetis maritimis.* Floret Sept.

4. C. *cynophallophora.* C. pedunculis multifloris, terminalibus: foliis ovalibus, obtusis, perennantibus; glandulis axillaribus. (Tab. 110.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus. *Habitat ad littera maris.*

5. C. *declinata.* C. pedunculis sub-racemosis; foliis sub-ob-ovatis. (Tab. 111.ª T. 5.)

OBERVATIONES.

Corolla albida; bacca longa, torulosa. Semina bina. *Habitat ad littora maris.* Floret mensibus calidis.

230. Maerlensia.

Ch. ess. gener.

Corolla monopetala, siliqua linearis.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum; foliolis lanceolatis, erectis, pilosis.
Cor. monopetala, quinque-partita, laciniis lanceolatis.

Polyandria. Monogynia.

Stam. filamenta plurima (17), corollà breviora. Antheræ rotundæ.
Pist. germen ovatum, pilosum. Stylus filiformis. Stigma obtusum.
Peric siliqua (duobus ordinibus seminum) linearis, hirsuta.
Sem. rotunda, Sinapis instar.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Maerlens.

1. M. *hirsuta*. (Tab. 112.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Caul. herbaceus, virgatus, teres, hirsutus, sub-ramosus.
Fol. breviter petiolata, alterna, ovata, serrata, hirsuta.
Infl. oppositi-folia, solitaria, uniflora.

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis. Floret Jan. Feb.

231. Boca.

Ch. ess. gener.

Petala quatuor; germen conicum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium tetraphyllum, inferum, persistens.
Cor. petala quatuor, lanceolata, patentia.
Stam. filamenta plurima corollà breviora. Antheræ rotundæ.
Pist. germen conicum. Stylus brevis. Stigma ***.
Peric. bacca sphæroidea, apice acutiusculo.
Sem. plurima, nidulantia.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Boc. Botanici Germani.

1. B. *serrata*. (Tab. 113.ª T. 5.)

Ch. ess. spec.

Caul. scandens.

Polyandria. Monogynia.

Fol. breviter petiolata, ovato-lanceolata, alterna, glabra, remote serrata, ad apicem integerrima, acuminata.

Infl. terminalis, racemosa, composita.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.

232. Martinieria.

Ch. ess. gener.

Petala quinque. Capsula tri-angularis. Semina alata.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum, inferum, deciduum; foliolis ovatis, acutis.

Cor. petala quinque, ob-ovalia, ampla, patentia.

Stam. filamenta plurima petalis breviora. Antheræ oblongæ.

Pist. germen ovale, triangulare, torulosum. Stylus cylindricus staminibus longior. Stigma tri-capitatum.

Peric. capsula ovalis, carnosa, triangularis, trilocularis.

Sem. compressa, sub-reniformia, alata, imbricata.

OBSERVATIONES.

In memoriam B. Martinier cum D. Peyrouse Orbis circum-navigatoris.

1. M. *arborea*. (Tab. 114.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus, teres; cortice crasso.

Ram. alterni.

Fol. lanceolato-ob-ovata, integerrima, breviter petiolata, approximata, congesta.

Infl. terminalis, sub-racemosa.

Habitat campis apricis mediterraneis. Florebat, fructumque ferebat Dec. Jan.

233. Turetta.

Ch. ess. gener.

Petala quinque; semina duo.

Polyandria. Monogynia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianth. monophyllum, quinque-dentatum, denticulis vix apparentibus.
Cor. petala quinque, ob-ovalia, minima.
Stam. filamenta plurima corolla longiora. Antheræ rotundæ.
Pist. germen ovatum. Stylus longitudine staminum. Stigma obtusum.
Peric. bacca sub-rotunda.
Sem. duo, hinc convexa, inde plana.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Tourette Botanici Galli.

1. T. *racemosa*. (Tab. 115.ª T. 5.)

Ch. ess. spec.

Caul. arboreus, teres.
Ram. alterni, patentes.
Fol. petiolata, lanceolata, alterna, glabra, integerrima.
Infl. axillaris, racemosa, simplex.

OBSERVATIONES.

Caulis punctulis nigris notatus. Bacca apice acuto. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

234. Hieronia.

Ch. ess. gener.

Perianthium diphyllum. Petala quatuor.

Ch. nat. gener.

Cal. perianth. diphyllum; foliolis sub-rotundis, concavis.
Cor petala quatuor, ob-ovata, patentia.
Stam. filamenta plurima petalis breviora. Antheræ rotundæ.
Pist. germen rotundum. Stylus cylindricus longitudine staminum.
Stigma peltatum.
Per.
Sem. unicum.

Polyandria. Monogynia.

OBSERVATIONES.

In memoriam Hieronis Græci.

1. H. *scabra*. (Tab. 116.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Caul. volubilis, seu scandens, teres, ramosissimus.

Ram. alterni.

Fol. breviter petiolata, lanceolata, alterna, scabra, serrata, longa, reticulata, subtus pilosa.

Infl. axillaris, racemosa, pauciflora.

OBSERVATIONES.

Haud exigui usus apud Rusticanos ad sepes conficiendas est hæc planta. Vulgó dicitur a colore refuscente *Sipó Carijó*. *Habitat silvis maritimis, et mediterraneis*. Floret Jan. Petala sunt flavescentia.

233. Barberina.

Ch. ess. gener.

Perianthium monophyllum. Petala quinque; stamina petalis discumbentia.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, quinque-dentatum dentibus obtusis, erectis.

Cor. petala quinque, lanceolata, patentia.

Stam. filamenta plurima petalis discumbentia, breviora. Antheræ rotundæ.

Pist. germen rotundum, inferum. Stylus erectus; stigma simplex.

Per. ***

Sem. ***

OBSERVATIONES.

In memoriam Cardinalis Barberini magnifici Horti Botanici Constructoris.

1. B. *hirsuta*. (Tab. 117.ª T. 5.)

Polyandria. Monogynia.

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus, teres.
Ram. sparsi, aliquando oppositi.
Folia breviter petiolata, lanceolata, integerrima.
Pedunc. axillares, racemoso-compositi.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis.

236. Adhunia.

Ch. ess. gener.

Perianthium pentaphyllum, patens. Stamina longiora.

Ch. nat. gener.

Cal périanthium pentaphyllum; foliolis lanceolatis, patentibus.
Cor. petala quinque, ovalia, patentia, calycis longitudine.
Stam. filamenta plurima petalis longiora. Antheræ rotundæ.
Pist. germen inferum. Stylus filiformis staminibus longior. Stigma simplex.
Per. ***
Sem. ***

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Adhunii Comitis Amburgensis Horti Botanici Constructoris.

1. A. *emarginata*. (Tab 118.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus, teres.
Ram. sparsi.
Fol. breviter petiolata, opposita, lanceolata, emarginata, integerrima.
Infl. racemoso-composita, terminalis. Flores terni ad apices pedunculorum partialium, pedicellis brevibus.

POLYANDRIA.
TRIGYNIA.

237. Receveura.

Ch. ess. gener.

Perianthium pentaphyllum; petala quinque. Germen conicum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium pentaphyllum, laciniis lanceolatis.
Cor. petala quinque, ob-ovata, patentia, perianthio longiora.
Stam. filamenta plurima petalis breviora. Antheræ rotundæ.
Pist. germen conicum. Stylus 3, vel 5 filiformis. Stigma capitatum.
Per. capsula unilocularis, 5-valvis, conica, supera.
Sem. plurima, minutissima.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Receveur cum D. Peyroúse orbem circum-navigantis.

Ch. ess. spec.

1. R. *cordata*. R. foliis cordatis; floribus trigynis. (Tab. 119.ª T. 5.)

Ch. nat. spec.

Caul. herbaceus, erectus, teres, sub-ramosus.
Ram. patentes, breves, oppositi.
Fol. sessilia, cordata, decussata, integerrima.
Pedunc. terminales, spicati, longissimi, bini, bracteati, bracteis subulatis.
Infl. spicata, floribus alternis; remotis, hinc inde bracteis solitariis.

OBSERVATIONES.

In medio duorum pedunculorum ad apicem caulis flos unus insidet, et ex axilla foliorum penultimorum spica solitaria, laterali aliis longior prodit. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Aug.

2. R. *graveolens*. R. foliis lanceolatis, floribus pentagynis. (Tab. 120.ª T. 5.)

Polyandria. Polyginia.

OBSERVATIONES.

Inflorescentia terminalis, tri-flora, duobus pedicellatis, uno intermedio sessili. Est graveolens. Fetorem hircinum redolet.

POLYANDRIA.

POLYGYNIA.

238. Uvaria

1. U. *fluminensis*. U. pedunculi terminalibus. (Tab. 121.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, erectus Folia breviter petiolata, lanceolata, alterna, integerrima Inflorescentia terminalis, pedunculo brevissimo, incrassato. *Habitat maritimis ad ripas maris.*

2. U. *brasiliensis*. U. pedunculis longissimis, oppositi-foliis. (Tab. 122.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, teres. Folia breviter petiolata, lanceolata, longissima, integerrima. Pedunculi oppositi-folii, longissimi, incrassati Baccæ quinque spermæ, incurvæ, sub-torulosæ. *Habitat silvis maritimis.*

3. U. *monosperma*. U. pedunculis axillaribus; baccis monospermis. (Tab. 123.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus; folia lanceolata, integerrima. Pedunculi incrassati, axillares, mediocres, penduli. Bacca ovalis, magnitudine Capsici Comárim, monosperma. *Habitat silvis maritimis.*

4. U. *hirsuta*. U. pedunculis axillaribus; pedicellis brevissimis; baccis acutis, monospermis. (Tab. 124.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia oblongo-lanceolata, reticulata. Gemmæ hirsutissi-

Polyandria. Polygynia.

mæ. Corollæ præcedentis breviores. Baccæ accuminatæ, monospermæ. *Habitat maritimis.* Floret calidis mensibus.

5. U. *sessilis.* U. pedunculis racemosis, pedicellis clavatis; baccis sessilibus, monospermis. (Tab. 125.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia lanceolata, integerrima, breviter petiolata, longissima, alterna. Pedunculi sparsi, breves, incrassati. Pedicelli alterni, clavati; corolla hexapetala perianthio longior. Baccæ sessiles, acuminatæ, monospermæ. Hujus generis plantæ corollam Annonæ imitantur. Fateor me peccasse contra characterem essentialem genericum Linæanum Uvariæ, hoc genus assignando plantis monospermis; cum Uvariæ sit, baccam habere quadri-spermam; sed mihi magis arrisit ita facere, quam genera multiplicare nova. *Habitat maritimis.* Floret mensibus calidis.

239. Annona.

1. A. *muricata.* A. foliis ovali-lanceolatis, glabris, nitidis, planis; pomis muricatis. (Tab. 126.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Corolla tripetala, extus scabra; nectarii petala 3. minora, extus alba, lævia, intus rubra. Fructus non esculentus. Vulgó dicitur *Aratica ponhé*. *Habitat maritimis.*

2. A. *squamosa.* A. foliis oblongis, sub-undulatis; fructibus obtuse subsquamatis. (Tab. 127.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Petala tria perianthio breviora. Fructus conoideus, squamatus. Radix nimis odorifera. Vulgo dicitur *Aratica pitàya*. *Habitat tantummodo maritimis.*

3. A. *silvestris.* A. foliis lanceolatis; fructibus sub-rotundis. (Tab. 128.ª T. 5.)

4. A. *colorata.* A. foliis lanceolatis: floribus solitariis, terminalibus. (Tab. 129.ª T. 5.)

Polyandria. Polygynia.

OBSERVATIONES.

Fructum non vidi: unde aliqua ex Uvariis? Fundus corollæ est rubescens. *Habitat silvis maritimis.*

5. A. *reticulata*. A. foliis lanceolatis; fructibus ovatis, reticulato-areolatis. (Tab. 130.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Vulgó dicitur *fructa de Conde, Pinha*. Caules virgati. Inflorescentia axillaris. Flores bini.

6. A. *exalbida*. A. foliis lanceolatis; caule arboreo; floribus solitariis. (Tab. 131.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Fructum non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

240. Drymys.

1. D. *winteri*. D. pedunculis aggregatis, terminalibus; pistillis quatuor. (Tab. 132.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Folia ob-ovata, glabra. Petala undecim, sub-linearia. Pistilla quinque. Perianthium diphyllum. Cortex arboris acer. Rusticani ad varios usus medicos adhibent. Vulgó dicitur *casca d'Anta*. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Sept. Oct.

241. Clematis.

1. C. *fluminensis*. C. foliis decompositis; pedunculis axillaribus, umbellatis; umbellis compositis. (Tab. 133.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis ad Ripas rivulorum.

2. C. *denticulata*. C. foliis tri-ternatis, denticulatis; umbellis trifloris. (Tab. 134.ª T. 5.)

Didynamia. Gymnospermia.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.

3. C. *integra*. C. foliis quinatis, quinque nerviis, subtus hirsutis; pedunculis ter trifidis; pedicellis trifloris. (Tab. 135.ª T. 5.)

OBSERVATIONES.

Habitat fruticetis mediterraneis.

DIDYNAMIA.
GYMNOSPERMIA.

242. Stachys.

1. S. *flaminensis*. S. verticillis multifloris; foliorum serraturis obtusis; corollis calycibus æqualibus. (Tab. 1.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis quadrangularis, striatus. Folia ovato-lanceolata. Calyx laxus, multidentatus, denticulo uno longissimo. Stylus corollà brevior. Vulgó dicitur *Cordão de S. Francisco*. *Crescit silvis exultis, præcipue ad vias*. Mensibus calidis floret.

2. S. *mediterranea*. S. verticillis amplis, multifloris; corollis exsertis, bilabiatis. Antheris bi-lamellatis. (Tab. 2.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, inanis, erectus, quadrangularis. Folia ovato-lanceolata, obtuse serrata. Petioli longi Verticillus multiflorus. Perianthium laxum, multi-dentatum, denticulo uno longissimo. Corolla flavescens, odorifera, perianthio longior, bi-labiata, labio superiore longiore, revoluto. Antheræ bilamellatæ, exsertæ. Stylus simplex. *Crescit ad ripas fluvii Paraibyba mediterraneis*. Floret Sept.

243. Clinopodium.

1. C. *brasilicum*. C. capitulis sub-rotundis, pedunculatis; bracteis setaceis; foliis multi-angulatis, serratis. (Tab. 3.ª T. 6.)

Didynamia. Gymnospermia.

OBSERVATIONES.

Caulis tetragonus. Folia lanceolata, angulato serrata. Corolla ringens. *Habitat campis, silvisque maritimis excultis.* Floret Sept. Oct.

2. C. *verticillatum.* C. spica verticillata; pedunculis terminalibus; foliis ovatis. (Tab. 4.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis quadrangularis; rami, et folia decussata. Spica multi-verticillata. *Crescit campis, silvisque maritimis.* Floret mensibus calidis.

3. C. *imbricatum.* C. pedunculis terminalibus; spicis binis, decussatis; floribus undique imbricatis. (Tab. 5.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis quadrangularis. Rami brachiati. Folia cordata, petiolata, serrata. Pedunculi terminales, longissimi, multi-spicati. Spicæ binæ, decussatæ, multi-stipulatæ, stipulis setaceis. Flores conferti, imbricati. Tota planta pilosa. *Habitat campis maritimis inundatis.* Jul. Aug. floret.

4. C. *albidum.* C. capitulis axillaribus, pedunculatis; caule tereti; foliis ovatis, tomentosis. (Tab. 6.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Corolla ringens, bi-labiata labio superiore tri-partito, lacinia intermedia longiore; inferiore emarginato. Folia ovato-serrata. *Habitat campis, silvisque maritimis ad Sacellum D. Antonii Joary.* May. Jun. floret.

5. C. *repens* C. capitulis pedunculatis, involucratis; dentibus perianthii capitatis; foliis cordato-sub-rotundis: caule repenti. (Tab. 7.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis repens, crassitudine pennæ anserinæ. Folia sub-petiolata, crispa, rugosa, cordato-sub-rotunda, opposita, serrata, quorum ad petiola duo foliorum paria ejusdem figuræ, diversæ tamen magnitudinis, cruciatim disposita. Pedunculi solitarii, longissimi. Inflorescentia capitata, involucrata. Involucrum hexaphyllum, foliolis lanceolatis, serratis, in orbem positis. Perianthium sex-dentatum denticulis capitatis. Corolla ringens, labio superiore productiore,

tri-partito. Lacinia intermedia sub-rotunda, ex albo violacea. Pistillum simplex.

Crescit silvis maritimis humidis Pharmacopolitanis. Floret mensibus calidis. Facies Mentæ est.

6. C. *cordatum.* C. foliis cordatis; caule quadrangulari; pedunculis spicatis, terminalibus. (Tab. 8.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Folia cordato-serrata. Bracteæ setaceæ. Planta odorifera. Vulgó *Betonica* dicitur. *Crescit maritimis, et mediterraneis.* Floret mensibus calidis.

7. C. *arvense.* C. foliis ovato-serratis; caule tetragono; spicis terminalibus, simplicibus. (Tab. 9.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Tota planta pilosa. Perianthium quadri-dentatum. Corolla bi-labiata. Spicæ simplices, seu paucifloræ. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

244. Ocymum.

1. O. *americanum.* O. foliis lanceolatis; serratis; racemis terminalibus; caule sub-herbaceo. (Tab. 10.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus. Flores cernui. *Sponte crescit prædiis ruderatis, seu exoletis maritimis, et mediterraneis.* Corolla est alba, lineolis coccineis radiata, laciniis subæqualibus.

2. O. *fluminense.* O. caule diffuso; foliis ovato-serratis; ramis alternis. (Tab. 11.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Corolla violacea, lacinia inferiori longiore. *Habitat silvis excultis maritimis.* Floret mensibus calidis.

Didynamia. Angiospermia.

DIDYNAMIA.
ANGIOSPERMIA.

245. Bartsia.

1. B. *coccinea.* B. foliis alternis, linearibus, utrinque bi-dentatis. (Tab. 12.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres, declinatus, simplicissimus. Folia alterna; subulato-lanceolata, sub-petiolata, integerrima. Flores sub-sessiles, axillares, terminalesque. Calyx triphyllus, foliolis duobus corollæ æqualibus; obtusis, emarginatis; tertio longiore, carinato, acuminato. Apices coccinei; corolla ringens, bi-labiata; labium superius erectum, integrum, acuminatum, longum; inferius truncatum, sinuatum, brevius: color totius ex viridi albus. Antheræ inferius crassiusculæ; superius acutiusculæ. Pistillum staminibus brevibus. Stigma sub-fidum. Profecto, si non species alia, varietas. *Habitat fruticetis mediterraneis trans-alpinis.* Floret Oct. Nov.

246. Bignonia.

1. B. *squalus.* B. foliis conjugatis, cordatis; cirrhosis; caule octangulari; siliqua plana, muricata. (Tab. 13.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis volubilis, octangularis. Cirrhus bi-trifidus. Pedunculus longissimus. Calyx laxus, denticulis remotis. Corolla flavescens. Stamina, et pistillum attenuata, ad basim barbata. Habet rudimentum quinti staminis. Siliqua longa, plusquam spithamæa, lata dig. 3, lanceolata, muricata. *Habitat maritimis.* Floret Jun. Jul.

2. B. *triphylla.* B. foliis triternatis; foliolis lanceolatis, intermedio productiore; caule quadrangulari, cirrhoso. (Tab. 14.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Perianthium strictum. Corolla ***. Cirrhus quadrifidus. Habet rudimentum quinti staminis. *Habitat maritimis Pharmacopolitanis.*

Didynamia. Angiospermia.

3. B. *ignea*. B. foliis conjugatis, cirrhosis; foliolis ovatis; racemis terminalibus, antheris ovalibus, simplicibus. (Tab. 15.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis teres, volubilis; corolla ignea laciniis erectis, acuminatis. Antheræ erectæ, ovatæ, simplices, bi-loculares. Habet rudimentum quinti staminis. Perianthium parvum, laxum, sub-truncatum. Cirrhi convoluti, trifidi. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret Jun.

4. B. *trifoliata*. B. foliis ternatis; foliolis ovato-oblongis; perianthio glanduloso. (Tab. 16.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, teres. Corollæ incurvæ. Filamenta attenuata, ad basim pilosa. Habet rudimentum quinti staminis. *Habitat maritimis Reg. Præd. S. Crucis.*

5. B. *falcata*. B. foliis conjugatis, cirrhosis; foliolis cordatis; pedicellis trifloris; siliqua magna, falcata. (Tab. 17.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens. Folia subtus reticulata. Cirrhus convolutus, trifidus. Calyx strictus, brevis. Antheræ sagittatæ cum rudimento quinti staminis. Siliqua longa, plusquam palmaris, lata dig. 3., glabra. Semina utrinque ad latera sinuata. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

6. B. *conjugata*. B. foliis conjugatis; foliolis ovatis; caule tereti; racemis longis. (Tab. 18.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Corolla violacea. Calyx vix dentatus, laxus. Habet rudimentum quinti staminis. Stigma integerrimum, cernuum, capitatum. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

7. B. *coito*. B. foliis conjugatis; foliolis lanceolatis; pedunculis quadrifloris; perianthio lanceolato. (Tab. 19.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Corolla ampla, flavescens. Perianthium ab altero latere disruptum bra-

Didynamia. Angiospermia.

cteam lanceolatam simulans. Habet rudimentum quinti staminis. *Habitat silvis maritimis ad declivia Alpium Jerissinó.* Floret May.

8. B. *unguis.* B. foliis conjugatis; cirrho brevissimo, arcuato, tri-partito. (Tab. 20.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, teres; cirrhi oppositi. Perianthium laxissimum. Folia ovato-acuminata. *Habitat silvis maritimis Paratyensibus.*

9. B. *ternata.* B. foliis ternatis; vel conjugatis, cirrhosis; foliolis ovatis; pedunculis racemosis, multifloris, brevibus. (Tab 21.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Calyx laxus: corolla longa. *Habitat silvis maritimis.*

10. B. *scandens.* B. foliis ternatis, vel conjugatis, cirrhosis; foliolis ovatis; pedunculis brevissimis, multifloris; perianthio truncato; siliqua lanceolata. (Tab. 22.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Cirrhi convoluti, simplices, longissimi. Flores incurvi; siliquæ lanceolatæ, latæ, breves. *Habitat silvis maritimis.*

11. B. *angrensis.* B. foliis ternatis: foliolis cordatis; pedunculis longissimis, racemosis, terminalibus; pedicellis trifloris. (Tab. 23.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Perianthia ad basim ventricosa, quinque dentata denticulis acuminatis. Pedicelli hinc, et inde bracteati, bracteis subulatis. *Habitat silvis maritimis Angrensibus.* Floret Jun.

12. B. *flumnensis.* B. foliis compositis, cirrhosis; foliolis ob-ovatis; floribus solitariis, axillaribus; caule quadrangulari. (Tab. 24.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Compositio foliorum in eo stat, quod constet rachis duobus foliis ternatis, et intermedio quinato. Cirrhus simplex. *Habitat silvis maritimis.*

13. B. *fasciculata.* B. foliis tri-ternatis, foliolis lanceolatis; racemis terminalibus brevibus; corollis sub-bilabiatis. (Tab. 25.ª T. 6.)

Didynamia. Angiospermia.

OBSERVATIONES.

Caulis, folia, pedunculi, perianthia hirsuta. Racemus brevis. Pedicelli triflori. Perianthium quinque-dentatum, denticulis inæqualibus. Corolla exluteo-albida, tubo brevissimo, vix calycis longitudine, limbo amplo, quinque-partito, laciniis inæqualibus, sinuatis, lanceolatis. Pistillum integerrimum. Siliquam non vidi. *Habitat silvis maritimis Reg. Pred. S. Crucis.* Floret May. Jun.

14. B. *longi-siliqua.* B. foliis ternatis; foliolis cordato-ovatis; pedicellis unifloris; siliqua longissima, nutanti. (Tab. 26.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Folia subtus pilis subtilissimis.

15. B. *elegans.* B. foliis conjugatis; foliolis amplis, ovatis; pedunculis racemosis, terminalibus. (Tab. 27.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Corolla lutea; calyx strictus. Pedicelli triflori. Antheræ incumbentes, biloculares. *Offendi ad viam publicam prope Molendinum Saccharíferum vulgò dictum Lamarão.*

16. B. *grandifolia.* B. foliis ternatis; foliolis lanceolatis; racemis terminalibus; pedicellis bracteatis, unifloris. (Tab. 28.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis punctulis nigris notatus. Folia obtusa. Perianthium campanulatum punctulis verrucosis. Rudimentum 5.ª staminis minimum.

17. B. *cordata.* B. foliis conjugatis, cirrhosis; foliolis cordatis, quinque nerviis; pedunculis axillaribus; pedicellis fasciculatis, trifloris. (Tab. 29.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Perianthium parvum, truncatum, strictum. Antheræ barbatæ; laciniæ corollæ acuminatæ. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

18. B. *exoleta.* B. foliis conjugatis; foliolis ovato-lanceolatis; pedicellis bifloris. (Tab. 30.ª T. 6.)

Didynamia. Angiospermia.

OBSERVATIONES.

Calyx truncatus, undulatus, laxus.

19. B. *convoluta*. B. foliis ternatis, aliquando conjugatis, cirrhosis; foliolis ovatis; cirrhis convolutis. (Tab. 31.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Calyx minimus, denticulatus. Antheræ tridentatæ. Pedunculus terminalis. *Habet rudimentum quinti staminis.*

20. B. *dichotoma*. B. foliis conjugatis, cirrhosis; foliolis ovatis; pedunculis axillaribus; pedicellis sub-dichotomis. (Tab. 32.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Inflorescentia racemosa, axillaris. Rudimentum quinti staminis extra alia.

21. B. *unguiculata*. B. foliis conjugatis, cirrhosis; foliolis ovatis; pedunculis axillaribus, quadrifloris. (Tab. 33.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Cirrhi brevissimi, arcuati, tri-partiti. B. ungui assimilatur.

22. B. *perianthomega*. B. foliis tri-ternatis; foliolis cordato-ovatis; pedunculis bifloris; perianthio magno. (Tab. 34.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Cirrhi oppositi-folii, convoluti. Perianthium magnum, laxum, dimidium corollæ, adæquans 5-dentatum.

23. B. *hirta*. B. foliis ternatis, aliquando simplicibus; foliolis lanceolatis, simplicibus, ovatis; pedunculis racemosis, terminalibus, hirtis. (Tab. 35.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Pedicelli triflori. Stipulæ setaceæ.

24. B. *cymosa*. B. foliis ternatis; foliolis cordatis; racemis cymosis terminalibus. (Tab. 36.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Folia aliquando conjugata, cirrhosa. Calyx truncatus, strictus.

Didynamia. Angiospermia.

25. B. *longa*. B. foliis conjugatis, cirrhosis; foliolis cordatis; cirrho longo, tripartito; pedunculis axillaribus; pedicellis fasciculatis; perianthio sub-bifido. (Tab. 37.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Perianthium sub-bifidum, laciniis inæqualibus.

26. B. *triflora*. B. foliis conjugatis, cirrhosis; foliolis ovatis: cirrho convoluto; pedunculis trifloris, axillaribus. (Tab. 38.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Perianthium laxum quinque-dentatum. Habet rudimentum quinti-staminis. Corolla fauce sub-campanulata.

27. B. *rego*. B. foliis conjugatis, cirrhosis; foliolis lanceolatis; pedunculis longissimis, floribus minimis, tetrandris. (Tab. 39.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Vulgó cognita est nomine *Sipó-rego*. Perianthium integerrimum. Corolla minima, purpurascens. Stamina æqualia. Antheræ, et stigma simplicia. Racemi compositi. Siliquæ breves, falcatæ. Caulis, detracto cortice, quinque-striatus.

28. B. *arvensis*. B. foliis ternatis; foliolis linearibus, obtusis; pedicellis terminalibus, unifloris; caule procumbenti. (Tab. 40.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Siliqua ovata. Perianthium vix quinque-dentatum. Corolla flavescens. *Habitat campis apricis mediterraneis trans-alpinis.* Floret Oc. Nov.

29. B. *pedunculata*. B. caule herbaceo; foliis supra decompositis; foliolis lanceolatis, pedunculo solitario, terminali; pedicellis trifloris. Tab. 41.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis cubitalis. Pedunculus cubitalis. Corolla flavescens. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Sept.

30. B. *coccinea*. B. caule scandente; foliis ternatis; foliolis ovalibus; racemo terminali. (Tab. 42.ª T. 6.)

Didynamia. Angiospermia.

OBSERVATIONES.

Calyx colorato-coccineus; corolla flavescens. *Habitat silvis mediterraneis.* Floret Oct.

31. B. *carôba.* B. caule fruticoso; foliis pinātis cum impari; pedunculis racemosis, terminalibus. (Tab. 43.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Foliola lanceolata. Racemi compositi. terminales. Corollæ violaceæ. Vulgó dicitur *Carôba.* Habet vim antiveneream. Ideo rusticani eam magni faciunt. Qualitas amara. *Campis apricis mediterraneis habitat.* Sept floret.

32. B. *ellyptica.* B. caule fruticoso; foliis pinātis cum impari; foliolis lanceolatis; racemi terminalibus; siliqua ellyptica. (Tab. 44.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Pistillum e medio ad apicem tomentosum. Stigma indivisum. Corolla violacea, pendula. Siliqua ellyptica, limbo implicito, sutura intermedia duos seminum ordines dividente. *Habitat silvis mediterraneis trans-alpinis prope prædium dictum Boavista.*

33. B. *ob ovata.* B. caule fruticoso; foliis pinātis cum impari; foliolis lanceolatis; racemis axillaribus; siliquis ob-ovatis. (Tab. 45.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Folium impar, seu supremum productius. Corolla violacea. Siliqua ob-ovata, plana duobus ordinibus seminum. *Carôba* etiam dicitur. *Habitat silvis maritimis, campisque.*

34. B. *tuberculosa.* B. foliis digitatis; foliolis lanceolatis; siliqua sub-rotunda, scabra, quibusdam protuberantiis conferta. (Tab. 46.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Folia tomentosa, rugosa. Siliqua magna, protuberantiis planis, inæqualibus referta exterius. Florem non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

35. B. *digitalis.* B. caule arboreo; foliis digitatis, foliolis lanceolatis; racemis terminalibus; siliquis lanceolatis, trapeziis cælatis. (Tab. 47.ª T. 6.)

Didynamia. Angiospermia.

OBSERVATIONES.

Tota planta tomento subtilissimo rufo tecta. Corolla tubulosa, æqualis, quinque-partita, laciniis 4. reflexis, æqualibus; una latiore, erecta. Antheræ erectæ, simplices. Calyx bifidus. Siliqua superne triangulis cælata. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Sept. Oct.

36. B. *heptaphylla.* B. foliis digitatis: foliolis septem ovato-oblongis; pedunculis terminalibus, racemoso-cymosis. (Tab. 48.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Corolla violacea. Siliqua bi-palmari longitudine, crassa digitum unum, striata, ensiformis. *Habitat silvis maritimis.*

37. B. *leucantha.* B. foliis digitatis: foliolis ovato-acutis; integerrimis; racemis terminalibus; siliquis bi-linearibus, longissimis. (Tab. 49.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Perianthium uni-partitum. Corolla albida, lineolis coccineis notata. Siliquæ longissimæ, pendulæ. *Habitat silvis maritimis.*

38. B. *quinquefolia.* B. foliis digitatis; foliolis lanceolatis, pedunculo racemoso, terminali; siliqua lata dig. 2. longitudine spithamæa. (Tab. 50.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Calyx quinque-dentatus, laxus. Corolla sulphurea. Limbus quinque partitus, erectus. Siliqua lanceolata, striata. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.* Floret Sept. Oct.

39. B. *flavescens.* B. caule fruticoso: foliis digitatis; foliolis lanceolatis, serratis; floribus fasciculatis, axillaribus. (Tab. 51.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Perianthium tridentatum. Vulgó dicitur *Ipéuva, vel Ipè do Campo.*

40. B. *longi-flora.* B. foliis digitatis; foliolis septem serratis, lanceolatis; caule arboreo; pedicellis fasciculatis. (Tab. 52.ª T. 6.)

Didynamia. Angiospermia.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis. Corolla longa, ampla, flavescens. Etiam dicitur *Ipê.*

41. B. *tababuya.* B. caule arboreo; foliis lanceolatis, alternis; floribus terminalibus; rudimento quinti staminis ab altero latere. (Tab. 53.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Corolla ex luteo-alba. Radix eosdem usus habet, quos suberis cortex. *Habitat maritimis ad loca inundata, vel a mari, vel a fluviis.* Continuô floret.

42. B. *leucoxylla.* B. caule arboreo; foliis oppositis, ob-ovatis; floribus terminalibus; perianthio diphyllo; antheris reflexis. (Tab. 54.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Rudimentum quinti staminis ad corollæ medium. Corolla ampla, candida, laciniis magnis, reflexis. Pedunculi terminales, pauciflori. Habitat tum maritimis, cum mediterraneis ad cacumina, et declivia montium. Præbet materiariis lignum tenue. *Hanc offendi apud scaturiginem fluvii Taguahy.* Vulgô dicitur *Caixeta.*

43. B. *curialis.* B. foliis pinātis cum impari (trijugis, vel quadrijugis); foliolis lanceolatis; racemis terminalibus. (Tab. 55.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus; racemi pauciflori, terminales; corolla curvata, violacea, limbo vix quinquefido, laciniis, erectis, rotundis. Stamina ad apices sinistra in dextram, dexta in sinistram transeunt per modum crucis. Antheræ bi-lamellatæ, tenues. Caret rudimento quinti staminis. Perianthium minimum, quinque-dentatum. Etiam vulgô dicitur *Ipê roxo.*—Duritiem, incorruptibilitatem hujus ligni, cæterorumque, quæ ad hanc familiam pertinent, quis est, qui ignoret? *Habitat silvis maritimis, et mediterraneis.*

247. Avicennia.

1. A. *nitida.* A. foliis lanceolatis, utrinque nitidis. (Tab. 56.ª T. 6.)

Didynamia. Angiospermia.

OBSERVATIONES.

Habitat in littoribus maritimis. Folia opposita. Pedicelli axillares, terminalesque.

248. Lantana.

1. L. *aculeata.* L. foliis oppositis; caule aculeato, ramoso; spicis hemisphericis. (Tab. 57.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis quadrangularis. Rami brachiati, aculeis brevissimis, reflexis, vagis. Folia ovato-lanceolata, petiolata, serrata, opposita. Spicæ hinc inde solitariæ. Flores flavi, adultiores coccinei. *Habitat maritimis.*

2. L. *spicata.* L. floribus terminalibus, spicatis, bracteatis; foliis lanceolato-oblongis, utrinque tridentatis; caule tereti. (Tab. 58.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, teres, inermis. Folia opposita, utrinque tridentata, acuminata. Pedunculi axillares, terminalesque, bracteati, spicati, hinc inde solitarii. Bracteæ lineares ad quemvis florem. Flores flavescentes. Habent rudimentum quinti staminis. *Campis mediterraneis habitat.* Continuò floret.

249. Petrea.

1. P. *volubilis.* (Tab. 59.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, teres. Folia breviter petiolata, lanceolato-oblonga; remote serrata. Pedunculi racemosi, axillares, oppositi, longissimi. Perianthium membranaceum, quinque-partitum, laciniis lanceolatis, longissimis, alternantibus denticulis. Corolla monopetala, quinque-partita, tubo brevi, piloso, laciniis limbi brevissimis, rotundis, inæqualibus. Habet rudimentum quinti staminis. Perianthium, et corolla colorato-cærulea. Stamina brevissima intra tubum corollæ. Germen pyriforme. Stylus brevissimus. Stigma capitatum. Denticuli, qui cum laciniis perianthii alternant, post decidentiam corollæ excres-

cunt, ad ostium tubi perianthii, quo pericarpium continetur, inflectuntur, illudque claudunt. Ad quemvis pedicellum bractea lanceolata. *Habitat fruticetis maritimis, mediterraneisque.* Floret calidis mensibus.

250. Orobanche.

1. O. *crenata.* O. caule ramosissimo; foliis lanceolatis; floribus binis, axillaribus; laciniis corollæ crenatis; perianthio pentaphyllo. (Tab. 60.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum. Corollæ recurvatæ, ex viridi-albæ; laciniis inæqualibus, tricrenatis, crena intermedia productiore. Folia sunt carnosa. *Habitat silvis maritimis ad declivia Alpium fluminensium.*

2. *O. carnosa.* O. foliis ellypticis; caule ramoso; corollis recurvis; staminibus exsertis. (Tab. 61.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum. Caulis linearis; folia petiolata, succulenta, subtiliter pilosa. Flores axillares. Calyx quinque-partitus. Corolla incurva, lacinia superiore laxiore, sub-emarginata.

3. O. *fluminensis.* O. caule simplicissimo; foliis magnitudine, et figura alternantibus; floribus axillaribus, nutantibus. (Tab. 62.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica rupium; caulis virgatus, declinatus, crassitudine pennæ anserinæ. Folia opposita, dissimilia, inæqualia, alternantia, ab altero latere petiolata, lanceolata, succulenta, subtus macula coccinea, supra nitida; ab altero parva, ovato-cordata, &. Flores axillares, solitarii, vel bini. Perianthium quinque-partitum, laciniis serratis, subulatis, pilosis. Corolla incurva, flavescens, pilosa. Limbus obliquus, quinque-fidus, laciniis reflexis, sinuatis, acutis, superiore productiore. Stigma exsertum. *Habitat ad rupes Alpium Fluminensium.*

4. O. *brasiliensis.* O. caule ramoso; foliis lanceolatis; perianthio magno, colorato, patente. (Tab. 63.ª T. 6.)

Didynamia. Angiospermia.

OBSERVATIONES.

Parasitica rupium. Caulis ramosus. Folia petiolata, lanceolata. Flores axillares, solitarii. Pedicelli longissimi, nutantes, uniflori. Perianthium amplum, pentaphyllum, coccineo-coloratum; foliolis lanceolatis, e medio ad apicem serratis; corolla ad basim gibbosa; dein ad limbum sensim amplians, flavescens, lineolis atro-rubris notata. Limbus amplus, quinque partitus, laciniis inæqualibus, sub-rotundis. Habet rudimentum quinti staminis, nectaria duo. Stigma sub-fidum. *Habitat ad rupes fluminum Alpium Fluminensium.*

5. O. *verticillata*. O. caule simplicissimo; foliis lanceolatis, verticillatis, pedunculo terminali. involucrato, umbellato, umbellis compositis. (Tab. 64.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum. Caulis teres, erectus, spithamæus, pilosus. Folia 6, petiolata, oblongo-lanceolata, subtiliter pilosa, serrata, verticillariter, vel in orbem posita. Pedunculus terminalis, attenuatus, pilosus, involucratus. Involucrum triphyllum, foliolis lanceolatis, serratis, in orbem positis. Inflorescentia umbellato-composita. Umbellulæ trifloræ. Perianthium quinque-partitum, ciliatum. Corolla incurva, tubulosa, sensim ad os ampliata, tomentosa. Limbus leviter quinque-crenatus, laciniis inflexis os claudentibus. *Habet* rudimentum quinti staminis. Stigma simplex, et nectaria duo.

6. O. *umbellata*. O. caule erecto, simplicissimo; foliis cordato-oblongis, serratis; pedunculo terminali, bi-umbellato. (Tab. 65.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica radicum. Radix tuberosa. Caulis bi-spithamæus, teres, erectus. Folia petiolata, in orbem posita, cordata, longissima, serrata. Pedunculus terminalis, foliis paulò brevior. Umbella prima, composita, involucrata. Involucrum triphyllum, foliis amplis, ovatis, serratis, subtus tomentosis. Umbellulæ quatuor, multifloræ. Umbella terminalis, involucrata, involucris tribus, subulatis, radiis unifloris. Perianthium quinque partitum, laciniis subulatis. Corollæ tubulosæ, coccineæ, tomentosæ. Limbus quinque-fidus, laciniis os corollæ claudentibus. Antheræ simplices. Pistillum longe staminibus brevius. Stigma simplex. Habet rudimentum quinti staminis. *Habitat silvis mediterraneis transalpinis.* Floret Feb. *Offendi prope Prædium Boavista.*

Didynamia. Angiospermia.

7. O. *monanthos.* O. caule simplicissimo; foliis lanceolatis, oppositis, inæqualibus, alternantibus; floribus axillaribus, solitariis; corollis incurvis, cernuis. (Tab. 66.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum. Caulis, folia, corolla &c. pilosa. Folia, etsi opposita, quantitate sunt alternantia. Perianthium quinque-partitum, laciniis utrinque bidentatis. Corolla ad basim incurva, ad os infra ventricosa. Os quinque-partitum rictu angusto, lacinulis duabus acutis, tribus rotundis. Stigma integerrimum. *Habitat ad declivia Alpium Fluminensium silvis maritimis.*

8. O. *serpens.* O. caule sub-ramoso, repente; foliis ovato-lanceolatis; floribus solitariis, axillaribus. (Tab. 67.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum. Caulis radices emittens. Perianthium quinque-partitum. Corolla ad faucem ventricosa; os angustum, quinque-partitum, lacinulis reflexis, rotundis, æqualibus. Nectariâ duo. Stigma bi-fidum. Folia subtus pilosa.

9. O. *perianthomega.* O. caule ramoso, erecto; foliis lanceolatis, secundis; floribus axillaribus, unilateralibus; perianthio magno. (Tab. 68.ª T. 6).

OBSERVATIONES.

Parasitica rupium. Caulis crassus, ramosus, ascendens. Folia opposita, magnitudine alternantia. Petioli longissimi, et breves alternatim, ad idem latus contorti. Pedicelli brevissimi. Perianthium magnum, utrinque bis crenato-sinuatum, coloratum. Corolla perianthio longior, pilosa, flavescens, ad os supra, infraque fornicato-corniculatum. Rictus oris rotundus, lacinulis reflexis quinque. Nectaria duo. Pistillum longitudine perianthii. Stigma clavatum. *Habitat ad declivia Alpium Fluminensium, vulgò dictarum Serra do Machado, prope locum Guarda grande.*

10. O. *fissa.* O. caule ramoso, ascendente; foliis ovato-lanceolatis; floribus axillaribus, binis; limbo quadripartito, fisso. (Tab. 69.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica rupium, vel arborum. Caulis declinatus, crassus. Folia pilosa.

Didynamia. Angiospermia.

Flores oppositi, axillares. Corollæ coccineæ ore quadripartito quadam fissura versus inferiora, supra verò fornicatæ. Perianthium quinque-partitum, laciniis subulatis, ciliatis.

11. O. *tuberosa*. O. caule erecto, brevissimo, sub-ramoso; foliis sparsis, ovato-lanceolatis, serratis; floribus sub-spicatis, spicis confertis. (Tab. 70.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica radicum. Radix tuberosa, tubere magno, sub-rotundo. Caulis erectus, semi-palmaris, teres, tomentosus, sub-divisus. Folia sparsa, approximata, longissima, supra, infraque brevi tomento, ovata, serrata, acuminata, sub-arcuata. Inflorescentia sub-spicata. Pedunculus terminalis, brevis. Pedicelli brevissimi, conferti. Perianthium ultra dimidium corollæ longum, quinque-angulatum, quinque-partitum, tomentosum, laciniis erectis. Corolla ex luteo-ignescens, rictu oris amplo, limbo quinque-partito, lacinis rotundis, patulis. Habet rudimentum quinti staminis, et quinque nectaria. *Habitat silvis mediterraneis.*

12. O. *cernua*. O. caule simplici; foliis cordato ovatis, verticillatis; pedicellis terminalibus, fasciculatis; floribus incurvis, cernuis. (Tab. 71.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica rupium. Radix tuberosa, magna. Caulis brevissimus, erectus. Folia petiolata, crenata, amplissima, verticillata. Pedicelli 8, caule multo longiores, uniflori, æquales. Perianthium quinque-partitum, integerrimum, nudum, corollà longe brevius, laciniis erectis. Corollæ ad basim contortæ, cernuæ, violaceæ, sensim ampliatæ, rictu oris amplissimo, limbo quinque-partito, lacinis patulis, rotundis, æqualibus. Caret rudimento. Habet quinque nectaria. *Habitat ad rupes maris prope Indorum Pagum, Mangaratiba vulgo dictum.*

13. O. *racemosa*. O. caule ramoso; foliis lanceolato-serratis; pedunculo racemoso, terminali. (Tab. 72.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica rupium. Perianthium quinque-partitum, laxum, breve, laciniis patulis. Corolla ex viridi-alba, punctis atro-rubris notata; tubo brevi longitudine perianthii; dein ventricosa, limbo quinque-partito, hiatu, magno,

laciniis sub-rotundis, inferioribus brevioribus. Stamina exserta. Caret rudimento. Habet nectaria quinque, et pistillum incrassatum. Apices corollæ ante explicationem coccinei. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

14. O. *pedunculata*. O. caule erecto, brevissimo; foliis binis, vel ternis; pedunculo longissimo, colorato; floribus binis, vel ternis. (Tab. 73.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica radicum. Radix fibrosa; caulis erectus, teres, brevissimus, simplicissimus, pilosus. Folia bina, vel terna breviter petiolata, lanceolato-ovata, serrata, pilosa. Pedunculus triplo longior terminalis. Flores sub-spicati, bini, vel terni, bracteati; bractea solitaria, viridis, lanceolata. Perianthium 5-dentatum, denticulis acuminatis. Corolla tubulosa perianthio valde longior, ad fauces primum ventricosa; dein angustior. Limbus quinque-fidus, laciniis æqualibus patentibus, acutis. Caret rudimento quinti staminis. Nectaria 5: sed quatuor exilitate potius nectariorum videntur rudimenta, quam stricte nectaria. Stigma capitatum. Pedunculus, corolla, perianthium sunt colorato-coccinea, tomentosa. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.*

15. O. *ventricosa*. O. caule ramoso, pendulo; foliis lanceolatis; floribus axillaribus, solitariis, ad fauces ventricosis; laciniis inæqualibus. (Tab. 74.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum. Caules, et rami nutantes, filiformes. Tota planta nuda. Perianthium, et corolla exterius badii coloris. Perianthium 5-partitum; laciniis lanceolatis, integerrimis, corolla brevioribus. Corolla interius alba lineolis badiis, ad faucem supra incurva, infra ventricosa. Limbus 5-partitus, laciniis 4, æqualibus, sub-rotundis, inferiore productiore. Antheræ coccineæ vix exsertæ; caret rudimento quinti staminis. Nectarium unicum coccineum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

16. O. *fornix*. O. caule ramoso; foliis lanceolatis; floribus solitariis, alternis, axillaribus, ore supra tubi medium. (Tab. 75.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica rupium. Caulis fruticosus, ramosus, erectus. Folia subtus pilosa; flores alterni, axillares, saturate coccinei. Perianthium 5-partitum ex-

Didynamia. Angiospermia.

albidum, laciniis lanceolatis. Corolla satis ampliata, fornicata adeo, ut os videatur laterale, seu paulo supra corollæ dimidium. Rictus brevissimus, quinque-partitus, laciniis æqualibus, minimis, reflexis. Quinti staminis rudimento caret. Nectaria duo habet. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

17. O. *tubulosa*. O. caule simplicissimo; foliis bis verticillatis; floribus terminalibus, umbellatis, umbellis compositis. (Tab. 76.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica radicum. Radix tuberosa. Caulis erectus, simplex, teres, pilosus, ad dimidium 1.° verticillatus foliis sex, ad summum iterum foliis tribus ovato-lanceolatis, petiolatis, serratis, costis, nervisque coccineis. Foliationis instar duo habet florum verticilla: primum ad pedunculi exordium, cui pro involucro tria sunt foliola lanceolata, serrata, quorum singulis umbellula singularis, pedunculata, tri vel quinque-flora consonat. 2.° videtur umbella terminali ad summum apicem. Perianthium parvum, foliaceum, 5-partitum. Corolla tubulosa exalbido rubra, lineis atris vermiculata; limbo erecto aliquantulum incurvo, vix dentato denticulis acutis, erectis. Caret rudimento quinti staminis. Nectariis duobus gaudet. *Habitat silvis mediterraneis trans-alpinis.*

18. O. *melancholica*. O. caule simplici, erecto; foliis lanceolato-ovatis; petiolis coloratis; floribus axillaribus, aggregatis. (Tab. 77.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

An parasitica? Caulis erectus, simplex, nudus. Folia saturate viridia, nuda, integerrima. Petioli albidi, pilosi. Flores axillares, tres, vel quatuor; pedicelli uniflori, breves, ex albo-lutei, pilosi; perianthium 5-partitum, ex albo-luteum, laciniis lanceolatis, integerrimis. Corolla ex albo-lutea, ad os aliquantulum gibbosa. Limbus dehiscens, 5-partitus, laciniis acuminatis, brevibus. Stamina ad basim sensim ampliata. Anteræ simplices, cernuæ. Caret rudimento. Germen conicum. Nectarium depressum. *Habitat silvis maritimis Reg. Præd. S. Crucis.*

19. O. *spicata*. O. caule erecto, simplicissimo; foliis sparsis; spica terminali. (Tab. 78.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica radicum. Radix tuberosa, rotunda. Caulis erectus, teres, pilosus. Folia petiolata, ovata, sparsa, crassa, crenata, rugosa, pilis rubris cons-

persa. Spica terminalis, floribus sub-alternis, lateralibus. Perianthium colorato-badium, quinque-partitum, laciniis integerrimis lanceolatis corolla paulo brevioribus, rubro-ciliatis. Corolla ad basim ventricosa, contorta, ad fauces angustior, os patens. Limbus quinque-partitus, laciniis sub-rotundis, inferioribus productioribus. Corollæ color est ex flavescente-coccineus. Habet rudimentum quinti staminis, germen colorato rubrum, duoque nectaria. *Habitat silvis mediterraneis trans-alpinis prope pagum Cunha dictum.*

20. O. *hirta*. O. foliis ternis, ovalibus, hirtis subtus; racemo terminali, conferto. (Tab. 79.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Parasitica radicum. Radix tuberosa, radiculis capillaribus tecta. Caulis erectus, hirtus. Folia terna, ovalia, crenata, intus hirta, subtus pilosa. Racemus terminalis. Corollæ nondum explicatæ, cum inventa fuit. Forte O. spicata ?

231. Besleria.

1. B. *bonodora*. B. caule fruticoso; foliis alternis; floribus terminalibus. (Tab. 80.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, ramosus. Folia lanceolata, integerrima. Inflorescentia terminalis, pauciflora. Perianthium persistens, quinque-dentatum, dentibus obtusis. Corolla sub-hypocrateriformis; limbus amplus, quinque-partitus, aliquantulum sinuatus, ad os coangustatus. Corolla violacea, odorifera.

2. B. *inodora*. B. caule arboreo; foliis lanceolatis; floribus terminalibus; stigmate bifido. (Tab. 81.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Cætera ut in præcedenti. *Silvis habitat maritimis.*

3. B. *arborea*. B. caule arboreo; foliolis digitatis, pedunculis umbelliferis, axillaribus, decussatis. (Tab. 82.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Rami patentes, pilosi. Folia petiolata petiolis longitudine

foliorum digitata, pilosa, foliolis lanceolatis. Pedunculi attenuati, longitudine petiolorum, axillares, oppositi, pilosi. Inflorescentia umbellata; umbella simplex, pedicellis brevibus. Calyx monophyllus, cum flores adsunt, laciniis vero hinc inde dentatis, cum frutescit. Corolla sub-ringens, violaceo-cærulea, labio superiore quadri-partito, laciniis duabus æqualibus longioribus, labio inferiore ampliori, productiore, emarginato. Stamina ad basim barbata. Habet rudimentum quinti staminis. Stigma semifidum. Bacca ovalis. *Habitat fruticetis maritimis.*

4. B. *pentaphylla.* B. foliis digitatis; foliolis ob-ovalibus, extimis majoribus; pedunculis cymosis, compositis. (Tab. 83.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Planta pilosa Antheræ rotundæ, biloculares. Corolla ex albida. Caret rudimento quinti staminis. *Habitat iisdem locis.* Floret mensibus supra citatis.

5. B. *ampla.* B. foliis digitatis, ovato-lanceolatis; pedunculis cymoso-compositis, axillaribus. (Tab. 84.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Differt a præcedentibus antheris linearibus, perianthio baccæ integerrimo, foliis, et inflorescentia. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

252. Mendoncia.

Ch. ess. gener.

Perianthium diphyllum, inferum. Corolla monopetala. Drupa carnosa.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium bifoliaceum, inferum, persistens; foliolis maximis, ciliatis, lanatis, conniventibus, costa longitudinali prominentibus.

Cor. monopetala, infera. Tubus basi, et apice gibbus; limbus quinquefidus; laciniis minimis, obtusis, revolutis.

Stam. filamenta minima, medio tubi affixa. Antheræ maximæ, didymæ, oblongæ, acutæ, insidentes.

Pist. germen sub-rotundum. Stylus filiformis, persistens. Stigma bifidum.

Per. drupa carnosa.

Didynamia. Angiospermia.

Ch. ess. spec.

1. M. *albida*. M. foliis ovatis, acutis; antheris infilamentis; perianthio ovato, concavo. (Tab. 85.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Drupa sphærica. Perianthium ovatum, concavum. Folia ovato-lanceolata. Corolla ex viridi-alba. Antheræ in filamentis. Habet rudimentum quinti staminis.

2. M. *coccinea*. M. antheris sessilibus; perianthio plano, lanceolato-ovali, colorato. (Tab. 86.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Perianthium rubro-coloratum, corolla paulo brevius, lanceolato-ovale. Laciniæ corollæ sub-æquales. Antheræ sessiles, inferne inæquales. Volubilitate caulis, figura foliorum, pedunculis binis, lateralibus, oppositis; foliis brevioribus, nucleo ob-ovato, inferne crenato, cæterisque cum præcedenti convenit. Inter Beslerias, cum hæc scribo, jam positæ erant authoritate, et exemplo CL. Linnæi, filii in discriptione Besleriæ bivalvis; sed postquam CL. Vandelli Floræ Lusitanicæ, et Brasiliensis specimen legi, in quo hic Historiæ Naturalis apud Nostrates Regius Professor aliud novum genus constituit in memoriam*** mentem mutavi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

253. Scrophularia.

1. S. *fluminensis*. S. foliis lanceolato-serratis, ad basim angulatis; floribus axillaribus, solitariis, oppositis. (Tab. 87.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, teres, pilosus. Rami brachiati. Folia decussata, sub-sessilia, pilosa, tri-nervia. Flores axillares, sessiles, oppositi. Perianthium monophyllum, quinque-partitum, laciniis longitudine tubi corollæ, pilosis. Corolla quadri-partita, laciniis inæqualibus, superiore ampliore, emarginata, cæteris rotundis. Capsula sub-rotunda, obtusa, bilocularis. Semina in utraque loculamenta se insinuantia. *Habitat silvis mediterraneis trans-alpinis.* Floret Feb.

2. S. *sub-hastata*. S. foliis sessilibus, lanceolato-hastatis; caule quadrangulari; floribus axillaribus, binis, vel solitariis. (Tab. 88.ª T. 6.)

Didynamia. Angiospermia.

OBSERVATIONES.

Caulis quadrangularis, ascendens, hirsutus. Rami brachiati; folia sessilia, lanceolata, ad basim ampliata, amplexicaulia, serrata. Flores axillares, pedicellati. Perianthium septem-partitum, laciniis subulatis corolla paulò brevioribus. Corolla campanulato-ringens, ore bi-labiato, labio superiore emarginato, inferiore trifido, laciniis rotundis. Capsula ovata, uni-locularis. Semina plurima. *Habitat silvis maritimis mediterraneis.* Floret Jan. Feb.

3. S. *procumbens.* S. caule procumbente; foliis sessilibus, cordato-rotundis; floribus axillaribus, binis. (Tab. 89.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis teres, pilosus, procumbens, radicans, fungosus. Folia sessilia, amplexi-caulia, opposita, integerrima, cordato-rotunda, glabra. Flores bini, axillares, pedicellati, uniflori, oppositi. Pedicelli filiformes, foliis paulo longiores. Perianthium pentaphyllum, foliolis duobus externis sub-cordatis, ciliatis, tribus internis lanceolatis. Corolla infundibiliformis, limbo quinque partito, laciniis sub-rotundis, inferioribus brevioribus. Germen ovale. Stigma bifidum. Pericarpium ovale, uniloculare. *Locis aquosis tum mediterraneis, cum maritimis inhabitat.* Floret Jan.

254. Sesamum.

1. S. *brasiliense.* S. foliis ovato-lanceolatis, remote serratis. (Tab. 90.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Defectus foliorum inferiorum trifidorum speciem a cognitis aliam constituere videtur. Folia superiora integerrima, decussata: caulis tetragonus; rami brachiati. *Colitur hortis cum maritimis, tum mediterraneis.*

255. Ruellia.

1. R. *comosa.* R. foliis lanceolatis; pedunculis terminalibus, comosis, spicatis. (Tab. 91.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis virgatus, suffruticosus, teres, erectus. Folia petiolata, lanceolata,

approximata, longissima, integerrima. Pedunculus terminalis, solitarius, foliis brevior, bracteatus, multi-florus; bracteæ ovatæ, erectæ, laxæ, integerrimæ, imbricatæ, quaternæ. Flores solitarii, sessiles, coma valde longiores. Perianthium monophyllum, quinque-partitum: laciniis inæqualibus, subulatis. Corolla infundibiliformis. Tubus bracteæ longior. Limbus 5-partitus: laciniis inæqualibus, superioribus lanceolatis, inferioribus sub-linearibus. Stamina ex ampliatione tubi, sub labio superiore, filiformia. Antheræ sagittatæ. Germen ovatum, receptaculo carnoso. Stylus filiformis, longitudine corollæ. Stigma sub-bifidum. Cætera invisa.

2. R. *spicata*. R. foliis lanceolatis; spicis ternis, terminalibus. (Tab. 92.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, declinatus, teres, inanis. Rami oppositi. Folia petiolata, lanceolata, integerrima, opposita, approximata, longissima. Pedunculi terminales, terni, spicati. Bracteæ lanceolatæ, minimæ ad quemvis florem. Perianthium breve, quinque-partitum, laciniis oblongis. Corolla longissima, angusta, ad os ampliata, incurva. Limbus quinque-fidus, laciniis brevibus, acutis. Stamina supra basim corollæ inserta, eique æqualia. Antheræ oblique incumbentes, oblongæ. Germen ovatum. Stylus corolla paulo longior; stigma vix bifidum corolla longius. Capsula brevis, trivalvis: semina bina, rotunda. Corolla ex luteo-rubra. *Habitat silvis Reg. Prœdii S. Crucis.* Jan. floret.

3. R. *geniculata*. R. foliis lanceolatis; spica comosa; corolla bilabiata; semine solitario. (Tab. 93.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres, geniculatus, erectus, bi-palmaris, sub-ramosus. Folia lanceolata, velosa, integerrima, opposita, longissima. Pedunculi terminales, comosi, fasciculati, foliis breviores. Bracteæ comæ lanceolatæ, laxæ, integerrimæ, imbricatæ; singularis bractea ad quemvis florem. Perianthium, minimum, quinque-dentatum denticulis inæqualibus, erectis, acutis. Corolla bilabiata, labio superiore erecto, acuminato, emarginato; inferiore reflexo tripartito, laciniis acutis. Capsula lanceolata, bivalvis; semina solitaria.

4. R. *difusa*. R. foliis ovato-lanceolatis; caule difuso; spica comosa. (Tab. 94.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres, sub-repens, palmaris. Rami difusi. Folia petiola-

Didynamia. Angiospermia.

ta, mediocria, subtus pilosa. Pedunculi axillares et terminales, breves. Bracteæ lanceolatæ, laxæ, imbricatæ, pilosæ. Præterea intus hinc, et inde bracteolis sub-linearibus. Perianthium quadri-partitum, laciniis subulatis. Corolla bilabiata: labio superiore acuminato, longiore; inferiore tripartito, laciniis sub-rotundis, intermedia aliquantulum productiore. Stamina ad ampliationem tubi, corolla breviora. Antheræ conniventes; germen ovatum; stylus tubo brevior; stigma bifidum. Capsula bivalvis, ad medium coangustata, ad apicem acuta. Semina duo rotunda.

5. R. *solitaria*. R. foliis lanceolatis; flore solitario, terminali. (Tab. 95.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres, erectus, sub-geniculatus, bi-palmaris, simplicissimus. Folia opposita, integerrima. Inflorescentia sessilis, terminalis, solitaria. Perianthium persistens, quinque-partitum, laciniis erectis, lanceolatis, longitudine tubi. Corolla infundibiliformis perianthio valde longior. Limbus quinque-partitus, sub-bilabiatus, amplus, patens, labio superiore laciniis duabus brevioribus, sub-rotundis; inferiore tribus æqualibus. Antheræ acuminatæ, approximatæ, simplices intra tubum corollæ. Germen ovatum. Stigma bifidum. Capsula teres, bi-locularis ad medium angustior. Semina tria, sub-rotunda.

6. R. *hirsuta*. R. foliis lanceolatis; floribus terminalibus, aggregatis. (Tab. 96.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Herbacea, multicaulis, ascendens, pilosa, teres, linearis palmaris, geniculata, sub-ramosa. Folia breviter petiolata, lanceolata, pilosa, opposita. (Ad quamvis axillam duo, vel quatuor folia gemmacea). Inflorescentia terminalis, sessilis, multiflora. (4). Perianthium, et corolla, sicut in R. solitaria. Antheræ acuminatæ, biloculares, erectæ. Rudimentum quinti staminis intra tubum corollæ. Stigma lanceolatum; capsula bilocularis.

7. R. *quadrangularis*. R. foliis lanceolato-ovatis; spica comosa, quadrangulari. (Tab. 97.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, teres, simplicissimus, spithamæus, crassitu-

Didynamia. Angiospermia.

dine pennæ anserinæ. Folia ut in præcedentibus. Pedunculus terminalis, comosus, spicatus, solitarius. Comæ lanceolatæ, strictæ, concavæ, quadrangulatæ, imbricatæ. Perianthium heptaphyllum, foliolis lanceolatis, inæqualibus. Corolla flavescens coma valde longior. Tubus intra comam; limbus quinquepartitus, laciniis duabus labium superius, tribus inferius simulantibus, superioribus æqualibus, cuneiformibus, erectis, inferioribus productioribus, reflexis Stamina intra corollam ad ampliationem tubi inserta. Antheræ erectæ, acuminatæ, approximatæ. Rudimentum quinti staminis. Germen ovatum; stylus filiformis; stigma clavatum, oblique truncatum. Capsula minima, bivalvis. Semina bina. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis. Offendi ad ripas fluvii Paraty-merim vulgó dicti.* Nov. florentem vidi.

8. R. *prismatica.* R. foliis lanceolatis; spica comosa, quadrangulari. (Tab. 98.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

R. quadrangulari perquam simillima, spica valde longior. Corolla patens, laciniis sub-æqualibus, erectis; tubo contorto. Perianthium minimum, persistens. Capsula lanceolata, quadrilocularis, cuspidato-obtusa. Semina solitaria, sub-rotunda, dissepimento intermedio. Rudimentum quinti-staminis.

9. R. *colorata.* R. foliis lanceolatis; spica comosa: corolla bilabiata. (Tab. 99.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, simplicissimus. Folia lanceolata, subtus colorato-violacea. Spica terminalis, imbricata. Bracteæ ovatæ, colorato-coccineæ, laxæ. Perianthium sex-partitum, foliolis lanceolato-oblongis, exalbido-luteis, corolla paulò brevioribus. Corolla exalbido-lutea, bilabiata. Tubus angustus, perianthio brevior. Limbus bilabiatus, lacinia superiore lanceolata, reflexa; inferiore ampliata, trilobata. Lobis lateralibus brevioribus, acutis; intermedio rotundo, fisso ampliore, productiore. Filamenta brevia ad faucem corollæ. Antheræ lineares, erectæ, incurvæ, conniventes, seu approximatæ, luteo-coloratæ, exsertæ. Germen ovatum, receptaculo carnoso. Stylus antheris longior. Stigma sub-bifidum. *Habitat silvis maritimis.* Floret mensibus calidis.

10. R. *pilosa.* R. foliis lanceolatis; floribus sessilibus, axillaribus, terminalibusque. (Tab. 100.ª T. 6.)

Didynamia. Angiospermia.

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, pilosus. Cætera ut in præcedentibus. Perianthium quinque-partitum, laciniis quatuor subulatis, ciliatis, ultima ovato-lanceolata. Corolla infundibiliformis, exalbida, extus pilosa, quinque-partita laciniis patentibus, inæqualibus, superioribus amplioribus, productioribus. Staminum filamenta attenuata, ad amplitudinem corollæ. Antheræ erectæ, sagittatæ, aliquantulum exsertæ. Germen lanceolatum. Stylus filiformis. Stigma sub-bifidum, lacinula alia longiore, persistens. Capsula lanceolata, bilocularis. Semina plurima, subrotunda, dissepimento intermedio inhærentia. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Jan.

236. Digitalis.

1. D. *dracocephaloides.* D. caule fruticoso; foliis oppositis; perianthio monophyllo. (Tab. 101.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis virgatus, declinatus, simplicissimus. Folia opposita, petiolata, ovato-oblonga, crenata, acuminata. Inflorescentia pedicellata, solitaria, axillaris, opposita. Perianthium monophyllum, lanceolatum, ab altero latere fixum, integerrimum. Corolla sub-campanulata, ex rubro-lutea, quinque-partita, sinuata, laciniis superioribus productioribus (facies Dracocephali). Filamenta ad basim corollæ, ad medium verò tomentosa. Antheræ sagittatæ, cernuæ. Pistillum exsertum. Stigma incrassatum. Capsulæ lanceolatæ, acuminatæ. *Habitat ad cacumina Alpium Paratyensium.* Floret Feb.

2. D. *pilosa.* D. caule herbaceo; foliis ovato-lanceolatis; racemo terminali; pedicellis trifloris. (Tab. 102.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, spithamæus, pilosus. Petioli longissimi. Folia ovato-lanceolata, pilosa, integerrima, amplissima, acuminata. Racemi terminales, terni compositi. Pedunculi partiales, triflori, duobus pedicellatis, uno sessili. Ad axillas pedunculorum hinc inde floribus solitariis, aliquando pedicellatis. Perianthium quinque folium, foliolis subulatis. Corolla sub-campanulata, limbo quinque-fido, sub-bilabiato, labio superiore bifido, inferiore trifido, laciniis æqualibus, acutis. Antheræ exsertæ. Rudimentum quinti staminis.

Didynamia. Angiospermia.

Germen ovatum. Stigma bifissum. Capsula bilocularis, oblonga, acuminata. Semina plurima. *Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Jan.

237. Crescentia.

1. C. *cuyeté.* C. foliis cuneato-lanceolatis (Tab. 103.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Habitat tum maritimis, tum mediterraneis. Floret Sept.

238. Pedicularis.

1. P. *sceptrum marianum.* P. caule tetragono; laciniis perianthii linearibus; corolla monopetala, irregulari; staminibus exsertis. (Tab. 104.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, quadrangularis, simplex. Rami brachiati. Folia decussata, sub-cordata. Racemi terminales. Perianthium monophyllum, quinque-partitum, laciniis linearibus, albo-punctatis. Corolla coccinea, intus ad tubum flavescens. Limbus explicatus, quinque-partitus, laciniis obovatis, inferioribus tribus productoribus. Stamina valde longiora. Antheræ incumbentes, flavescentes. Capsula obovata, acuminata, erecta, bilocularis. Semina plurima. *Habitat campis mediterraneis.* Instar. P. sceptri Carolini, in memoriam D. Augustæ Sceptrum Marianum dixi.

2. P. *sessilis.* P. caule ramoso; foliis lanceolatis; floribus sessilibus, axillaribus; corolla bilabiata. (Tab. 105.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, quadrangularis, fistulosus. Rami oppositi, patentes. Folia petiolata, lanceolato-ovata, integerrima. Flores sessiles, axillares, congesti. Perianthium pentaphyllum, foliolis subulatis. Corolla ringens labio superiore integerrimo, erecto; inferiore bis crenato, reflexo. Stamina sub labio superiore. Germen ovatum. Stigma appendiculatum. Capsula lanceolata, bilocularis. Semina plurima. Corolla albida, pedicularis. *Habitat silvis maritimis ad loca inundata.*

3. P. *comosa.* P. caule herbaceo, tereti; pedunculis terminalibus, ternis comosis. (Tab. 106.ª T. 6.)

Tetradynamia. Siliculosa.

OBSERVATIONES.

Calix quadrifolius, foliolis quatuor, subulatis. Bractea lanceolata. Corolla purpurea, labio quinque-partito, superiore duabus laciniis brevioribus, erectis; inferiore tribus reflexis. Stamina intra tubum. Antheræ didymæ. Rudimentum quintistaminis. Germen ovatum. Stigma cum appendice. Capsula lanceolata, bilocularis. Semina plurima. Pedunculi terminales, terni, spicati, comosi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

4. P. *acaulis*. P. foliis radicatis, sessilibus, spathulato-lanceolatis; pedunculis coloratis, quadrifloris, fasciculatis. (Tab. 107.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi exalbo-violacei, nutantes. Perianthium pentaphyllum, coloratum, foliolis lanceolatis, integerrimis, nudis, ex albo-violaceis. Corolla monopetala, ex albo-cærulea. Stamina intra tubum corollæ. Filamenta brevissima. Germen ovatum. Stigma obtusum, cernuum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Forte aliud genus?

TETRADYNAMIA.

SILICULOSA.

239. Lepidium

1. L. *americanum*. L. foliis impari-pinnatifidis; foliolis obovatis, ab altero latere bi, vel trifidis, laciniis inæqualibus. (Tab. 108.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis, procumbens, linearis, sub-ramosa. Folia alterna, petiolata, pinnata cum impari. Foliola a latere superiori trifida, laciniis obtusis.

Inflorescentia oppositi-folia, racemosa. Pedunculus longitudine foliorum. Flores vel apetali, vel ecaliculati. Corolla, si perianthium non dixeris, tetrapetala, crucitormis. Stamina tetradynamia; sed quatuor minora castrata, vel sine antheris. Silicula sub-rotunda, compressa, bi-locularis, &c. *Ubique sponte crescit.* Floret Sept. Oct. Eosdem usus, quos Lepidium, sativum, præbet.

Tetradynamia. Siliquosa.

TETRADYNAMIA.
SILIQUOSA.

260. Sisymbrium.

1. S. *fluviatile*. S. foliis pinnatis; foliolis lanceolatis, utrinque angulatis; racemis oppositi-foliis; siliquis erectis. (Tab. 109.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus. Folia composita, alterna. Foliola etiam alterna, sub-sessilia, seu ad petiolos aliquali spansione, pinnatifidorum instar. Racemi terminales, aliquando oppositi folii. Perianthium petalis duplo minus. Stamina longiora, quatuor longitudine petalorum. Antheræ oblique insidentes. *Habitat mediterraneis ad rivulos.* Floret Febr.

261. Cleome.

1. C. *dodecaphylla*. C. floribus gynandris; foliis undecim; siliquis apice bicuspidatis. (Tab. 110.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, spinosus. Folia palmata, foliolis undecim, imis brevioribus; dein sensim excrescentibus, lanceolatis. Racemi terminales, bracteati. Bracteæ cordatæ. Stylus brevissimus. Siliquæ pedicellatæ, nutantes, didymæ, bi cuspidatæ. Semina circum radiata. *Habitat silvis mediterraneis ad loca inaquosa.*

2. C. *pentaphylla*. C. floribus gynandris; foliis quinatis; caule inermi. (Tab. 111.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Habitat maritimis et mediterraneis.

3. C. *pedunculata*. C. foliis septemnatis; pedunculo, et siliquis longissimis, ebracteatis. (Tab. 112.ª T 6.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis herbaceus, erectus, inermis, simplicissimus. Folia

septemnata, foliolis lanceolatis, petiolis,nervisque colorato-rubris. Pedunculus terminalis, caule duplo longior, ebracteatis. Corolla petalis longissimis, linearibus, declinatis, exterius dilute violaceis, interius ex-viridi-luteis. Filamenta staminum dilute violacea. Antheræ linearis, bi-locularis, flavescentes. Germen triangulare. Pistillum staminibus brevius. Siliqua longissima. Semina rotunda. *Habitat locis inundatis mediterraneis trans-alpinis.*

4. C. *triphylla*. C. floribus gynandris; foliis ternatis; caule inermi. (Tab. 113.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Habitat maritimis. Floret Oct.

MONADELPHIA.
TRIANDRIA.

262. Souza.

Ch. ess. gener.

Corolla hexapetala; antheræ acuminatæ; pistillum semitrifidum; capsula trilocularis.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium nullum.

Cor. petala sex, ovalia, plana, æqualia.

Stam. filamenta tria, inferne connata, petalis breviora; antheræ acuminatæ, incumbentes.

Pist. germen trigonum; stylus filiformis, semitrifidus; stigmata simplicia.

Per. capsula trilocularis, triangularis, angulis obtusis.

Sem. plurima, rotunda.

OBSERVATIONES.

In memoriam Illustrissimi, ac Præstantissimi Domini Aloysii de Vasconcellos e Souza IV. Pro-Regis Ditionis Brasilicæ, rei herbariæ amantissimi Promotoris, ac Protectoris, Dominique mei.

Monadelphia. Triandria.

1. S. *marchio*. S. caule procumbente; foliis alternis, vaginantibus, imbricatis, carinatis; floribus terminalibus. (Tab. 1.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis, ramosa (graminis instar, quod inter, et plantas liliaceas medium tenere videtur) geniculata. Folia vaginantia, imbricantia, carinata, adpressa. Pedicelli terminales, ad basim vaginati, terni. Corolla lutea. *Habitat ad loca aquosa, campis mediterraneis trans-alpinis.* Floret. Nov.

2. S. *comes*. S. foliis radicalibus, ensiformibus; scapo vaginato, sub-racemoso. (Tab. 2.ª T. 7)

OBSERVATIONES.

Folia radicalia. Pedunculi bini, ex apice foliorum in binos pedicellos divisi ad quodvis geniculum. Corolla lutea petalis desinentibus in setam. Stamina tria, inferne connata, filamentis brevissimis. Antheræ triangulares, conniventes. Stigma trifidum. *Habitat campis mediterraneis.* Floret Oct.

3. S. *pro-regia*. S. foliis ensiformibus, radicalibus, ad basim alternatim vaginatis; pedunculis brevissimis. (Tab. 3.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Habitat maritima ad littora.

MONADELPHIA.
PENTANDRIA.

263. Waltheria.

1. W. *capitata*. W. foliis cordato-ovatis, serratis, tomentosis; capitulis pedunculatis, axillaribus. (Tab. 4.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, cubitalis, vel amplior; folia lanugine exalbida. Inflorescentia axillaris capitulis pedunculatis. Perianthium quinque-dentatum. Sti-

pulæ hinc inde ad basim petiolorum. Flores sessiles; bracteæ subulatæ. *Habitat silvis, seu campis maritimis.*

2. W. *pentagynia*. W. foliis ovatis, tomentosis; pedicellis geminis; floribus pentagyniis. (Tab. 5.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, bi-cubitalis, vel amplior. Folia ovata, serrata, tomentosa. Pedunculi axillares. Pedicelli gemini, uniflori. Antheræ ovales; styli quinque; stigmata simplicia.

3. W. *monogynia*. W. foliis sub-cordatis, serratis, nudis; flore monogynio, axillari, solitario. (Tab. 6.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Serratura foliorum declinat ad crenam. Antheræ rotundæ; stigma simplex.

4. W. *terminalis*. W. foliis sub-spathulatis, e medio ad apicem serratis, tomentosis; floribus terminalibus; stylo semitrifido; capsula polysperma. (Tab. 7.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Corolla terminalis, solitaria, ampla; laciniis sub-ovatis. Filamenta subulata. Antheræ lineares, incurvæ; stylus semitrifidus; stigmata penicillata. Bacca rotunda, polysperma; semina ovalia. Corolla flavescens, macula rubra notata.

264. Mainea.

Ch. ess. gener.

Petala quinque. Capsula triangularis. Semina plurima, lanata.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, quinque-partitum.

Cor. petala quinque, tria linearia, quartum brevius, quintum amplum, sub quo stamina.

Stam. monadelphia; antheræ minimæ, rotundæ.

Monadelphia. Octandria

Pist. germen sub-rotundum, triloculare. Stylus simplex longitudine staminum ; stigma bifidum.

Peric. capsulæ tres, ovales, connatæ, uniloculares.

Sem. plurima, lanata.

OBSERVATIONES.

In memoriam Rever. admodum Fr. Josephi a Jesu Maria Maine Theolog. Profes. Sacerdotum, qui sunt a Davibus Regiis maximi, rerum naturalium Promotoris, qui Musæum bene constructum paravit.

1. M. *racemosa*. (Tab. 8.ª T. 7.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus.

Ram. oppositi, patentes.

Fol. lanceolata, petiolata, opposita, integerrima.

Pedunc. racemosi, terminales.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis.

MONADELPHIA.
OCTANDRIA.

265. Zaentha.

Ch. ess. gener.

Calyx monophyllus. Corolla quadri-partita.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, quadri-partitum, laciniis sub-rotundis.

Cor. monopetala, quadri-partita, laciniis rotundis, patulis.

Nectaria quatuor ad incisuras petalorum, ob-ovata, plana, minima.

Stam. filamenta ad tubum connata. Antheræ octo, sessiles externe ad tubum.

Monadelphia. Polyandria.

Pist. germen ovatum; stylus longitudine tubi antheriferi; stigma simplex.
Per. ***
Sem. ***

1. Z. *nutans*. (Tab. 9.ª T. 7.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, erectus, simplex.
Fol. petiolata, lanceolato-oblonga, approximata, ad apicem caulis conferta, sparsa, ad limbos spinosa.
Pedunc. filiformes, sparsi, breves, pedicellis oppositis.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis ad radices Alpium Fluminensium. Floret Aug.

MONADELPHIA.
POLYANDRIA.

266. Sida.

1. S. *jamaicensis*. S. foliis ovatis, serratis, tomentosis; floribus axillaribus, sub-pedunculatis; seminibus quinis bicornibus. (Tab. 10.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Capsulæ septem, totidem cum seminibus. Folia mihi ovato-lanceolata, oblonga. Semina aristis setaceis. *Habitat maritimis, æque ac mediterraneis.*

2. S. *angulata*. S. foliis ovato-angulatis, serratis tomentosis; floribus axillaribus; stipulis subulatis. (Tab. 11.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Capsulæ tredecim; petala ob-cordata, ab altero latere truncata. Stipulæ subulatæ; perianthii laciniæ ad apicem bifissæ.

3. S. *scoparia*. S. foliis oblongo-ovalibus, serratis; floribus terminalibus. (Tab. 12.ª T. 7.)

Monadelphia. Polyandria.

OBSERVATIONES.

Capsulæ novem, acuminatæ, bi-cornutæ. Stipulæ ad quodvis folium hinc et inde solitariæ, subulatæ. Flores frequentius terminales. Species hucusque relatæ horam meridianam in Floræ Brasilicæ horlogio explicatione corollæ assignant. Silvis, campis, atriisque prædiorum habitat. A Lusitanis *Vassoira* dicitur; quia domos, atriaque earum fasciculis verrunt. In materia medica defectum Malvarum, utpote earum affines, perfecte supplent.

4. S. *malvacea*. S. foliis ovato-lanceolatis, serratis; capsulis tri-cornibus. (Tab. 13.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Flores terminales, solitarii. Cornua capsularum pilosa. *Habitat ad littora maris, ad ripas fluviorum silvis maritimis.*

5. S. *tomentosa*. S. foliis cordato-ovatis, tomentosis, serratis; floribus terminalibus, axillaribusque. (Tab. 14.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Capsula quinque; semina bis-aristata. Planta ex tomento albida. *Habitat ad littora maris.*

6. S. *racemosa*. S. caule fruticoso; foliis cordatis, integerrima; spicis racemosis, terminalibus. (Tab. 15.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Corolla alba; stylus semi-quadrifidus; stipulæ subulatæ; capsulam non vidi.

7. S. *ecornis*. S. foliis cordatis, serratis, septem nerviis; floribus terminalibus. (Tab. 16.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Planta tomentosa. Corolla violacea, lineolis viridibus notata; stylus duodecim-fidus. Capsulæ duodecim, rotundæ; semina tria, reniformia. *Habitat silvis maritimis ad loca humida.* Floret mensibus calidis.

8. S. *truncata*. S. caule fruticoso; foliis cordatis, serratis, quinque-nerviis; floribus terminalibus; capsulis octodecim, truncatis. (Tab. 17.ª T. 7.)

Monadelphia. Polyandria.

OBSERVATIONES.

Corolla flavescens, lineolis violaceis; stylus 18.-fidus. Capsula totidem, ad apices truncatæ, externe cornutæ. Planta pilosa. *Habitat silvis mediterraneis ad ripas rivulorum.* Floret Nov.

9. S. *fluviatilis.* S. caule fruticoso; foliis peltatis, multi-angulato-crenatis, septem-nerviis, reticulatis, pilosis; floribus amplis, terminalibus. (Tab. 18.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Perianthium, et corolla amplissima. Stylus decem-fidus; stipulæ ad petiolos solitariæ, subulatæ. *Habitat silvis maritimis ad ripas fluminum.*

10. S. *campi.* S. caule herbaceo, hirsuto; foliis lineari-lanceolatis, obtusis; floribus terminalibus. (Tab. 19.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis, foliaque hirsutissima Folia integerrima, obtusa. Stipulæ solitariæ, subulatæ. Flores terminales, racemosi. Stigma simplex.

11. S. *hirsuta.* S. caule fruticoso; foliis cordatis, utrinque uni-angulatis; floribus terminalibus. (Tab. 20.ª T. 7).

OBSERVATIONES.

Planta pilosa. Corollæ amplissimæ; staminum tubus quinque-fidus. Laciniæ tubi polyandræ, antheris liberis. Capsulæ 16; ad apicem truncatæ. Semina tria. *Habitat silvis maritimis.*

12. S. *amplexi-caulis.* S. caule herbaceo; foliis cordatis, supremis, amplexicaulibus; pedunculo longissimo, simplicissimo; floribus spicatis. (Tab. 21.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi terminales longitudine caulis, seu paulo minus. Folia integerrima, subtus albescentia. Capsulæ quinque; semina cordata, mutica. Corolla flavescens; stylus sex-fidus. *Habitat silvis excultis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Jan. Feb.

13. S. *polystachia.* S. caule fruticoso; foliis cordatis, integerrimis; pedunculis solitariis, compositis, spicatis. (Tab. 22.ª T. 7.)

Monadelphia. Polyandria.

OBSERVATIONES.

Stylus semi-trifidus. Capsulæ sex, truncatæ; semina ovata. Pedunculi solitarii, amplexi-cauli breviores, sed ex aliis compositi. Folia petiolata, petiolis longioribus. *Habitat fruticetis maritimis.*

14. S. *mendanha*. S. caule fruticoso; foliis cordatis, integerrimis; petiolis nutantibus; floribus terminalibus. (Tab. 23.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis, et folia subtus albescentia. Petala lanceolato-oblonga, dilute-violacea, lineolis albidis. Stylus semidecem-fidus. Capsulæ decem, supra depressæ. *Habitat silvis nondum cultis ad radices alpium Jerissinó.*

15. S. *triflora*. S. caule fruticoso; foliis cordatis, integerrimis; pedunculis terminalibus, trifloris. (Tab. 24.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Petala ob-ovata, concava, saturate coccinea. Stylus semitredecim-fidus. Capsulæ tredecim. Flores, cum senescunt, in violaceum colorem abeunt. *Habitat silvis maritimis ad loca humentia.*

16. S. *lineata*. S. caule fruticoso; foliis cordatis, serratis; floribus terminalibus. (Tab. 25.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Corollæ flavescentes, lineolis violaceis. Stylus quindecim-fidus; stipulæ hinc et inde solitariæ ad petiolos. *Habitat ad declivia Alpium Paratyensium.* Florebat Oct.

17. S. *pilosa*. S caule herbaceo; foliis cordatis, serratis, pilosis; floribus axillaribus, solitariis, pedicellatis. (Tab. 26.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Folia pilosa; pili albi. Pedicelli petalorum longitudine. Corolla flavescens; stylus octo-fidus; stipulæ lanceolatæ. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.*

18. S. *sessilis*. S. caule fruticoso; foliis cordatis, serratis, sessilibus; floribus terminalibus, axillaribusque. (Tab. 27.ª T. 7.)

Monadelphia. Polyandria.

OBSERVATIONES.

Caulis sub-ramosus, virgatus. Capsulæ quatuordecim, sub-rotundæ; semina tria. *Habitat ad littora maris.*

267. Hibiscus.

1. H. *porophyllus*. H. caule sub-arboreo, foliis cordatis, peltatis, integerrimis, septem-nerviis, subtus, nervorum plexu, poro; calyce externo decem-dentato, interno quinque-partito, poro singulari ad quamvis laciniam. (Tab. 28.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, ramosus; folia subtus exalbida, pilosa, poro singulari, oblongo ad plexum nervorum; nervi flavescentes. Perianthium interium quinque-partitum, aliquando poro singulari ad lacinias. Antheræ liberæ, sparsæ per tubum. Pistillum incrassatum. Stigma quinque-angulatum. Capsula quinque locularis. Semina plurima, rotunda. *Habitat ad ripas fluviorum, præcipue ad Ostium maris.* Floret Oct. Nov.

2. H. *trilobatus*. H. caule fruticoso, inermi; foliis cordatis, angulatis, serratis; floribus axillaribus. (Tab. 29.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Folia quinque nervia, sub-peltata, tri-vel quinque-angulata; pedicelli breves. Calyx exterior foliolis decem linearibus, ad apicem horizontaliter ad utrumque latus ampliatis, foliolis calycis interioris brevioribus. Perianthium interius pentaphyllum. Foliola lanceolata, pilosa, persistentia. Petala multoties perianthio longiora, coccinea, cunei-formia. Capsula decem-locularis. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis, ad loca humentia.* Floret Nov.

3. H. *sabdariffa*. H. foliis serratis, inferioribus ovatis, indivisis; superioribus septem-partitis; floribus sessilibus. (Tab. 30.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *azedas*. Apud Æthiopes usus in comestionibus haud infrequens, minime autem apud cæteros. Colitur hortis. Condimenta, quæ de eo confici possunt, hoc est, vinum a Gallis dictum *Vin d'oseille*, ab Anglis *Sorrel chol drink*. Jus concretum, cæteraque apud D. Jacquin videnda.

Monadelphia. Polyandria.

4. H. *esculentus*. H. foliis quinque-partitis, pedatis; calycibus interioribus latere rumpentibus. (Tab. 31.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis. Vulgo *Quigombô*, seu *Quiabo*. Dantur species duæ, vel varietates, quarum descriptionibus, cum neutra praesens sit, supersedeo. De eo etiam, si videbitur, consuli poterunt et Marcgravius, et Jacquinus. Apud nostrates in ferculis frequentissimus est usus.

5. H. *crenatus*. H. caule herbaceo; foliis ovatis, crenatis; floribus terminalibus. (Tab. 32.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres, erectus, linearis, palmaris, simplicissimus, pilosus; folia alterna, breviter petiolata, ovata, crenata, pilosa. Flores solitarii, vel bini, breviter pedicellati. Perianthium duplex; exterius decaphyllum, foliolis linearibus, teretibus, ad apicem incrassatis, seu clavatis; interius quinque-partitum; laciniis lanceolatis, perianthio exteriori sub-æqualibus. Petala ampla, coccineo-colorata. Stigmata semi-septem-fida. Capsulam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis ad pagum Cunha.* Floret Aug.

6. H. *bracteatus*. H. foliis quinque-lobatis, angulato-serratis; caule fruticoso, hirsuto; floribus terminalibus, sub-sessilibus, congestis, bracteatis, stipulatis. (Tab. 33.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Perianthium duplex; exterius laciniis linearibus, longioribus; interius quinque-partitum, laciniis subulatis, hirsutis. Ad quemvis pedicellum stipulæ duæ lineares, longissimæ, et bractea una, undecim nervia, ovata, dentata, hirsuta. Corolla ex candido-coccinea, perianthiis vel æqualis, vel brevior. Capsulæ quinque, parvæ, triquetro-turbinatæ. Semina plurima, minutissima. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis ad ripas rivulorum.* Floret Jan.

7. H. *fluminensis*. H. caule fruticoso, aculeato; foliis cordatis, trilobatis; floribus terminalibus, amplis. (Tab. 34.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Aculei per caulem, ramos, petiolos minimi, sparsi. Folia quinque, vel trilobata, sinuata, leviter serrata, pilosa, quinque-nervia. Calyx exterior deca-

Monadelphia. Polyandria.

phyllus, foliolis filiformibus, ad apicem bi-furcatim ampliatis; interior quinque-fidus, laciniis lanceolatis, brevioribus: petala multoties longiora, ampliioraque. Antheræ sessiles annulatim ad tubum; stigma quinque-angulare. Capsula quinque locularis. Semina binatim posita. *Habitat salsis maritimis ad Ripas fluviorum.* Floret Jan. Febr.

8. H. *agioxillos.* H. caule fruticoso, aculeato; foliis cordatis, tri-lobatis, lobis posticis angulatis; floribus axillaribus. (Tab. 35.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis aculeatus, aculeis minimis, sparsis per caulem, petiolosque; folia cordato-tri-lobata, lobis posticis, serratis; sinuatis, acuminatis, subtiliter pilosis. Flores axillares, solitarii. Perianthium exterius dodecaphyllum, foliolis subulatis; interius quinque-fidum, laciniis lanceolatis. Petala multoties longiora, ex purpureo-coccinea. Antheræ per tubum sparsæ; stigma capitato-peltatum. Capsula decem; valvis, forte decem-locularis. Semina incuria non observavi. *Habitat locis supra citatis.*

9. H. *quinque-lobatus.* H. foliis quinque-lobatis, serratis; floribus binis, terminalibus. (Tab. 36.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, virgatus, rarissime aculeatus. Folia ad apices approximata, quinque-lobata, sinuata. Flores terminales, bini. Perianthia sicut in præcedentibus. Antheræ sessiles, alternatim per tubum. *Habitat locis, et floret mensibus supra citatis.*

10. H. *axillaris.* H. caule fruticoso; foliis cordatis, quinque-angulatis, serratis; floribus axillaribus, sub-sessilibus. (Tab. 37.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Perianthium simplex, etsi aliis congruat, a congeneribus hanc speciem exulare videtur. Proprium genus dicat, qui capsulam, et semina viderit. Corolla recens coccinea, senescens violacea; quo nihil in Malvacearum familia proprius. Flores sessiles, axillares. Antheræ sessiles, sparsæ e dimidio tubi ad apicem. *Habitat maritimis.* Floret mensibus calidis.

11. H. *arvensis.* H. foliis cordatis, serratis, obtuse angulatis; floribus terminalibus, lateralibus, solitariis. (Tab. 38.ª T. 7.)

Monadelphia. Polyandria.

OBSERVATIONES.

Caulis sub-fruticosus, sub-ramosus. Flores terminales, ex ramusculis axillaribus. Perianthium duplex; exterius decem foliolis filiformibus, ad apicem horizontaliter ampliatis; interius quinque-fidum, laciniis lanceolatis. Corolla sicut in cæteris ampla, flavescens. Stamina libera per tubum. Capsulam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis prope Pagum Cunha.* Floret Sept. Oct.

12. H. *herbaceus.* H. caule herbaceo; foliis lanceolatis, serratis; floribus axillaribus (Tab. 39.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, sub-ramosus. Perianthium exterius monophyllum, octo-partitum, laciniis subulatis; interius quinque-dentatum. Petala ex albo-coccinea, hoc est, ad basim albida, ad apices coccinea. Antheræ sessiles e dimidio tubi ad apicem. Stigmata decem fida, rubro-colorata. Capsulam non vidi. *Habitat silvis nondum cultis.* Floret mensibus calidis.

13. H. *apricus.* H. caule herbaceo; foliis ovatis, serratis; petiolis stipulatis; perianthio exteriore filiformi, ad apices dilatato. (Tab. 40.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, leviter pilosus, simplicissimus. Stipulæ hinc inde ad petiolos subulatæ. Flores terminales. Perianthium exterius dodecaphyllum, foliolis filiformibus, ad utrumque latus dilatatis. Stamina e tubi dimidio ad apicem libera. Stigma planum, quinque-angulatum. Differt ab H. crenato; 1.° stipulis: 2.°: dilatatione perianthii exteriores: 3.°: foliis. Corolla est ex albo-coccinea. *Habitat campis apricis mediterraneis ultramarinis.* Floret Nov.

268. Urcena.

1. U. *xanthium.* U. foliis quinque-lobatis, serratis; pedunculis axillaribus, multifloris. (Tab. 41.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, simplicissimus, orgyalis, pilosus, teres, rubro-coloratus. Folia cordato-peltata, quinque-lobata; lobis sinuatis, serratis; petioli longi;

Monadelphia. Polyandria.

pedunculi axillares, longitudine petiolorum. Perianthium exterius quinque-partitum, laciniis subulatis; interius quinque-dentatum. Antheræ sessiles e medio tubi ad apicem. Stigmata decem-fida, reflexa. Capsula quinque-locularis, hispida. Corolla coccinea. *Crescit fruticetis maritimis, ac mediterraneis.* Floret Nov.

2. U. *mediterranea.* U. foliis cordatis, peltatis, oblongis, integerrimis; floribus solitariis, axillaribus, terminalibusque. (Tab. 42.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, orgyalis, lævis, sub-ramosus. Rami sparsi, patentes. Folia petiolata, peltata, cordata, integerrima oblonga, lævia, alterna, angulis posticis sub-acutis. Flores pedicellati, axillares, terminalesque. Perianthium exterius quinque-partitum, laciniis rotundis; interius lanceolatis, productioribus. Corolla ampla, coccinea; stamina libera à medio tubi ad apicem. Stigmata multifida. Germen quinque-loculare. Capsulam non vidi. *Habitat campis apricis, mediterraneis transalpinis prope pagum Cunha.* Floret Oct.

3. U. *hastata.* U. foliis cordato-sub-hastatis, serratis, angulis obtusis; floribus axillaribus, terminalibusque. (Tab. 43.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis orgyalis, ramosus. Rami sparsi. Stipulæ ad ramos foliaceæ, falcatæ, serratæ, hinc inde solitariæ, ad petiolos subulatæ, integerrimæ. Folia petiolata, cordata, serrata, sub-hastata, lobis obtusis, brevibus, intermedio longissimo. Flores axillares, terminalesque, pedicellati. Pedicelli mediocres, uniflori. Perianthium exterius quinque-partitum, laciniis linearibus; interius lanceolatis, utrisque pilosis, integerrimis. Corolla ampla, patens, flavescens. Petala sub-rotunda. Stamina ab altero latere tubi è basi ad apicem erumpentia, libera. Pistillum ad apicem quinque-fidum. Capsula quinque-locularis, compressa ad peripheriam. Semina solitaria. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis prope prædium Boavista.* Floret Jan.

4. U. *trilobata.* U. foliis trilobatis, serratis, pilosis; floribus axillaribus, sub-sessilibus. (Tab. 44.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis sicut in præcedentibus. Folia petiolata, trilobata, trinervia, pilosa.

serrata, lobo intermedio paululum productiore. Flores axillares, sub-sessiles, solitarii, vel bini. Perianthium exterius laciniis subulatis; interius lanceolatis, utrisque integerrimis. Corolla longior, coccinea. Antheræ minimæ, sessiles è medio tubi ad apicem. Stigma sub-peltatum, indivisum. Capsula quinque-locularis, echinata, supra truncata, aculeis minimis. Semina solitaria, reniformia. *Habitat fruticetis maritimis, et mediterraneis.* Floret calidis mensibus.

5. U. *hirta.* U. foliis cordato-hastatis, incisis, hirtis; stipulis utrinque binis, subulatis, incisis; floribus terminalibus. (Tab. 45.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Differt ab. U. hastata;—1.° hirsutie: 2.° incisione foliorum: 3.° figura stipularum. *Habitat locis, et floret mensibus supra relatis.*

6. U. *sidoides.* U. caule herbaceo; foliis lanceolatis, serratis; floribus pedunculato-capitatis. (Tab. 46.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Perianthium exterius quinque-fidum interiore productius, cui in omnibus assimilatur. Stamina libera ad apicem tubi. Stigma divisum.

7. U. *campestris.* U. caule fruticoso; foliis cordato-oblongis, peltatis, crenatis; floribus solitariis, axillaribus. (Tab. 47.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis virgatus, hirsutus. Folia petiolata, alterna, cordato-oblonga, subpeltata, crenata, hirsuta, ad angulos posticos aliquantulum utrinque coangustata. Flores pedicellati, axillares, uni-flori, aliquando bi-flori. Perianthium exterius quinque-fidum, laciniis lanceolatis latioribus; interius strictioribus. Laciniæ corollæ patentes, contortæ, apicibus concavis, seu inflexis. Stamina libera ad apicem tubi. Stigma undecim-fidum. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis, ad pagum Cuuba.* In aliquibus U. mediterraneæ congruit. Floret Nov.

269. Malva.

1. M. *flaminensis.* M. caule erecto; foliis lanceolato-ovatis, serratis; pedunculis terminalibus, spicatis. (Tab. 48.ª T. 7.)

Monadelphia. Polyandria.

OBSERVATIONES.

Caulis pilosus, erectus, plusquam linearis, ramosus. Petioli longitudine foliorum. Folia lanceolato-ovata, serrata, quinque, vel septem-nervia. Pedunculi terminales, spicati, conferti. Perianthium duplex; exterius triphyllum, foliolis subulatis hirsutis; interius lanceolatis, subtus stipulis pilosis in orbem positis, pappi instar. Corolla parva, flavescens; petala ad apices emarginata. Stamina ad limbum tubi libera. Stigma dodecafidum. Capsula duodecim rotundo-compressæ. Semina solitaria, reniformia. *Habitat ad littora maris.* Floret Jan.

270. Gossypium.

1. G. *arboreum.* G. lobis lanceolatis; caule fruticoso (Tab. 49.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, ramosus. Folia quinque-lobata (lobis vix serratis) alterna, quinque-nervia. Stipulæ lanceolatæ. Pedicelli oppositi-folii, longitudine petiolorum, uniflori, solitarii. Perianthium exterius triphyllum corolla paulo brevius, quindecim nervium, quindecim laciniatum, laciniis inæqualibus. Cum sit planta notissima, de cæteris supersedeo. Coluntur etiam à Mangonibus aliæ species ab Asia, vel Africa adductæ de quibus consulendi sunt, qui ex professo de his agunt. Consuetudine Brasilica *Aminiu* nuncupatur.

271. Bombax.

1. B. *endecaphyllum.* B. foliis digitatis; foliolis duodecim, ob-ovato-lanceolatis, integerrimis; supremis productioribus. (Tab. 50.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Foliolorum petioli partiales, attenuati. *Habitat maritimis.*

2. B. *octophyllum.* B. foliis digitatis: foliolis octo, lanceolato-cuneiformibus, sub-æqualibus; petiolis ad basim incrassatis. (Tab. 51.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Habitat maritimis.

Monadelphia. Polyandria.

3. B. *hexaphyllum.* B. foliis digitatis; foliolis sex cuneiformibus, apice acuto; supremis productioribus. (Tab. 52.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *Imbirussû. Habitat maritimis, et mediterraneis.*

4. B. *heptaphyllum.* B. foliis digitatis, foliolis septem cuneiformibus; supremis productioribus. (Tab. 53.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus; folia crassa; fructus turbinatus. *Habitat ad ripas maris inter Scopulos dictos Cayrussû.*

5. B. *sex-digitatum.* B. foliis digitatis, foliolis sex, ob-ovato-lanceolatis. (Tab. 54.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Corolla sordide alba. Caulis arboreus. *Habitat maritimis.*

6. B. *pentaphyllum.* B. foliis digitatis, foliolis quinque, cuneiformibus; supremis productioribus. (Tab. 55.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Fructus sub-rotundus. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

7. B. *aculeatum.* B. foliis quinatis, foliolis lanceolatis, serratis. (Tab. 56.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Arbor aculeata. Petala ad basim flavescentia, coccinea ad laminas. Antheræ quinque, bi-loculares, extus ad os tubi sessiles. Pulcherrima arbor, cum flores fert. Vulgo dicitur *Paineira. Habitat silvis mediterraneis transalpinis.* Floret Aug.

8. B. *carolinum.* B. foliis digitatis, senis, foliolis lanceolatis; petalis sex. (Tab. 57.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Diu hæsitavi an Pachira aquatica Cl. Aubletii? quæ a D. Linnê, filio,

sub nomine triviali—Carolinea princeps—novum genus fuit constituta: nam character utriusque Pachira, scilicet, et Bombacis, ob id a me Carolini dicti, idem esse videtur; sed cum Carolineam locis aqua marina immersis habitare, et semina tosta edi dicant, quæ neutiquam bombaci meo congruere possunt, cum locis siccis inhabitet, et semina inedulia; magis mihi placuit Bombacibus adscribere, quousque aliquis sapientior jus dirimat; vel si tempus adfuerit, accuratius examinetur.

Nunc satis sit. Arbor non magna; cortex trunci stuppaceus. Indiginæ ideo *Imbirussú* dicunt. Rami alterni; folia petiolata, composito-digitata, foliolis sex, lanceolatis. Flores solitarii, pedicellati, axillares. Perianthium membranaceum, sub-globosum, integerrimum, decem glandulis purpureis extus ad basim. Petala 5, calyce multo longiora, extus tomento badii coloris, lanceolato-linearia. Filamenta staminum basi tubo cylindrico per paria coadunata. Antheræ rubræ, rotundæ. Pomum oblongum. *Habitat ubique.* Floret Nov.

DIADELPHIA.

OCTANDRIA.

272. Polygala.

1. P. *disperma*. P. floribus imberbibus, racemosis, caule erecto; foliis lanceolatis. (Tab. 58.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Racemi terminales, compositi. Corolla exalbida. *Habitat fruticetis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

2. P. *bicolor*. P. floribus imberbibus, axillaribus; caule erecto, aculeis terminalibus, solitariis; foliis ovatis, acuminatis. (Tab. 59.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis, et rami ad apices in aculeos (seu spinas) abeunt acerosos, erectos: ex quibus, sicut in aliquibus plantis, anno insequenti juniores forte rami prodeunt; nam nullus datur ramusculus, quin ita terminetur. Alæ corollæ patentissimæ, ad apice-concavæ, violaceæ. Quod cæterum est flavescens; inflo-

rescentia axillaris. Pedicelli bini, vel terni, uniflori. Capsulam non vidi. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Sept.

3. P. *scandens.* P. floribus imberbibus; racemis terminalibus; caule subscandente; foliis ob-ovatis. (Tab. 60.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Alæ, sicut in præcedenti, patentissimæ. Caulis fruticosus, declinatus. Capsulam non vidi, sed stigma sub-bifidum genus determinavit. *Habitat silvis fruticetisque maritimis.* Floret Oct.

4. P. *punctulata.* P. floribus imberbibus; racemis terminalibus; caule erecto; foliis lanceolatis, oppositis. (Tab. 61.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis punctulis nigris undique notatus, fruticosus. Folia opposita, perianthium quinque-partitum, stigma indivisum, quibus a congeneribus recedit, aliud genus importare videntur. Capsulam non vidi. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

5. P. *aculeata.* P. floribus imberbibus, racemosis, terminalibus, aculeatis; caule erecto; foliis lanceolato-oblongis. (Tab. 62.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus, bi-vel tripedalis, aculeatus, sub-ramosus. Aculei oppositi, solitarii, inflexi, breves, supra, vel infra foliorum axillas. Folia breviter petiolata, lanceolata, oblonga, acuminata. Pedunculi terminales, simplices, aculeati, racemosi. Pedicelli vix apparentes. Carina corollæ supra fornicata, integerrima.

6. P. *lanceolata.* P. floribus imberbibus, racemosis; caule herbaceo; foliis ovato-lanceolatis. (Tab. 63.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, ramosus. Carina trifida; lacinia intermedia ampliore, productiore, rotunda; lateralibus acutis, brevioribus. Racemi axillares, aliquando terminales, simplices, undique conferti.

7. P. *bona visio.* P. floribus imberbibus, spicatis; caule herbaceo; foliis ovato-oblongis, acuminatis. (Tab. 64.ª T. 7.)

Diadelphia. Octandria.

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, pedalis, striatus, sub-ramosus. Folia breviter petiolata, ovato-oblonga, acuminata. Spicæ terminales, floribus undique confertis thyrsi ad modum, bracteis capillaribus. Corollæ albidæ. *Habitat campis apricis medititerraneis.* Floret Nov.

8. P. *quinque-angularis.* P. floribus imberbibus; caule quinque-angulari; spicis terminalibus; foliis ternis, lanceolatis. (Tab. 65.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, spithamæus, quinque-angularis, ramosus. Anguli alis membranaceis. Folia breviter petiolata, lanceolata, sub-imbricata, sub-ternata. Spicæ sicut in P. *bona visio.* Carina corollæ ad apicem appendiculata, appendice bifida, sed non penicillata. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Febr.

9. P. *appendiculata.* P. floribus imberbibus, sed appendiculatis, sub-spicatis; pedunculis terminalibus, longissimis; caule herbaceo; foliis subulatis. (Tab. 66.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, sub-ramosus, semi-linearis, bi-pedulis. Folia lanceolato-linearia, sessilia. Pedunculi longissimi, racemosi, simplicissimi. Flores subconferti. Carina duabus appendicibus integerrimis. *Habitat campis ad littora maris apricis. Offendi prope regium Molendinum farinam e manduoca conficiendi a incolis consumendum.* Floret Sept.

10. P. *humilis.* P. floribus appendiculatis; caule herbaceo, ramoso; pedunculis brevibus; foliis lanceolato-linearibus. (Tab. 67.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Immediate præcedenti perquam similis. Quantitate differt. Caulis spithamæus, ramosus; rami virgati; pedunculi breviores. Doctiores, si confundendæ, utpote varietas, videant. *Habitat campis suburbeis prope Molendinum, quo oryza aqua decorticatur.* Floret Feb.

11. P. *maritima.* P. floribus appendiculatis; racemis terminalibus; caule herbaceo; foliis lanceolato-ovatis. (Tab. 68.ª T. 7.)

Diadelphia. Octandria

OBSERVATIONES.

Radix tuberculosa. Caulis ramosus, pedalis; rami alterni. Folia breviter petiolata, ovato-lanceolata. Carina appendicibus integerrimis, acuminatis. Stigma indivisum; corolla ex albido-flavescens. *Habitat silvis maritimis Regii Prœdii Sanctæ Crucis.* Floret Dec.

12. P. *virgata.* P. floribus barbatis; racemis terminalibus caule virgato; foliis lanceolato-oblongis, acuminatis. (Tab. 69.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, debilis, sub-geniculatus, sub-ramosus, bi-cubitalis. Folia lanceolato-oblonga, acuminata. Corolla albida. Carina concava, quinque appendicibus pro barba. *Habitat silvis Pharmacopolitanis maritimis.*

13. P. *glandulosa.* P. floribus barbatis; pedunculis racemosis: caule virgato; foliis oblongis, ad basim glandulosis. (Tab. 70.ª T. 6.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa, herbacea, multicaulis, simplicissima. Folia oblonga, obtusa, albida, brevissime petiolata, glandulis solitariis hinc inde ad basim petiolorum. Pedunculi terminales, longissimi, simplicissimi, racemosi. Pedicelli uniflori glandulis duabus hinc inde solitariis ad basim. Flores purpurascentes; stamina, barbæ, capsulæque flavescentia; capsulam ala membranacea purpurea circumambiente ad apicem, et ad basim. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov.

14. P. *multicaulis.* P. floribus barbatis; pedunculis racemosis (Tab. 71.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caules virgati, multi (tredecim) sub-ramosi, rubro-colorati, pedales, vel paulo plus, eadem longitudine, verticillariter circa radicem, quæ est napiformis, in alias sub-divisa. Corollæ ex albo flavescentes, apicibus purpurascentibus. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov.

Non supervacaneum autumo addere Polygalas a me descriptas Brasilico nomine *Uvapacari* recognitas esse; etsi non omnes: earum radices sunt suave olentes. Si Machaoniæ artis Professores nostri Botanicæ studerent, individuis hujus familiæ, forte tantæ vis, ut Polygalæ Senega, materiam medicam, imo et patrioticam, locupletarent. Indiginæ vestes, corporaque sua cum abluunt propter odorem *Uvapacarî* fricant.

Diadelphia. Octandria.

273. Securidaca.

1. S. *erecta*. S. caule erecto. (Tab. 72.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia (mihi) ovato-lanceolata, obtusa, apiculo acuminato. Racemi axillares, compositi. Rami contra Cl. Jacquinium robustissimi; unde vereor, ne alia species sit ab a Cl. Lin. assignata. *Habitat locis arenosis, et fruticetis Regii Prœdii S. Crucis.* Aug. jam. semina sicca ferebat.

2. S. *declinata*. S. caule scandente, declinato. (Tab. 73.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, potius forte dicerem, caulis declinatus. Folia ovali-lanceolata. Flores purpureo-violacei, sicuti est etiam perianthium. Racemi terminales, simplices. Alæ emarginatæ. Vexillum appendiculatum, appendice emarginata. Carina ad apices lamellis petaloideis ampliata. Fructus cultratus, ac cristatus. *Habitat fruticetis maritimis, ac mediterraneis.* Floret mensibus calidis.

3. S. *volubilis*. S. caule scandente. (Tab. 74.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, herbaceus, ramosus, teres. Rami alterni; folia petiolata, alterna, ovalia, integerrima. Pedunculi oppositi-folii, brevissimi, racemosi. Perianthium diphyllum. Corolla ex viridi-lutea. Vexillum duplex hinc, et inde marginibus inflexis, canaliculi instar, apicibus rubro-coloratis. Alæ duæ, triangulares; unguibus perianthio adhærescentes. Carina appendiculata, cæteris petalis longior. Pistillus declinatus, staminibus productior. Legumen uni-cristatum, alatum. *Habitat fruticetis sub-urbicis.* Floret Nov.

DIADELPHIA.
DECANDRIA.

274. Nissolia.

1. N. *nyctitans*. N. caule arboreo; foliis composito-pinnatis; aculeis duobus, lateralibus. (Tab. 75.ª T. 7.)

Diadelphia. Decandria.

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Rami alterni. Folia composito-pinnata, octo juga, plus minusve; foliolis ovalibus, ita alternantibus, ut supremum impar appareat. Capsulæ rubro-coloratæ. Folia nyctitant. *Habitat campis, prope quos ex hac urbe iter ad Austrum fit.* Floret Aug. Sept.

2. N. *uncinata*. N. caule scandente; foliis compositis, pinnatis; aculeis uncinatis, lateralibus. (Tab. 76.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Folia multi-juga: foliolis cuneiformibus, oppositis cum impari. Aculei hinc inde ad petiolos uncinati, solitarii. *Habitat fruticetis inundatis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Sept.

3. N. *declinata*. N. caule fruticoso, scandente; foliis tri-jugis cum impari; foliolis lanceolatis. (Tab. 77.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis.

4. N. *hirta*. N. caule erecto, aculeato; foliis multi-jugis, abrupte pinnatis; foliolis ovalibus, emarginatis; aculeis planis, patentibus. (Tab. 78.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, erectus, hirsutus. Aculei ad caulem, et ramos bini, sparsi, plani, adpressi. *Habitat locis, et flores mensibus supra relatis.*

5. N. *aculeata*. N. caule scandente; foliis pinnatis: foliolis ovali-lanceolatis, alternis; aculeis reflexis, ad basim petiolorum hinc inde solitariis. (Tab. 79.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Racemi axillares. Foliola, si alterna dici possunt conjuga, sunt septem-juga. *Habitat silvis Pharmacopolitanis maritimis.* Floret Dec.

6. N. *spinosa*. N. caule arboreo, aculeato; foliis pinnatis; racemis axillaribus; aculeis uncinatis per caulem sparis. (Tab. 80.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Foliola sunt obovata, quadri, vel quinque-juga. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

Diadelphia. Decandria.

7. N. *debilis*. N. caule fruticoso; foliis pinnatis, bi-jugis cum impari; racemis axillaribus, longissimis, compositis; capsulis brevibus. (Tab. 81.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, orgyalis, punctulis nigris notatus. Folia juniora opponuntur, senescentia alternantur. Sunt lanceolata: impar est amplius. Racemi relative ad racemos cæterarum longissimi. Corollæ ampliores, sed capsulæ breviores. *Habitat silvis maritimis ad ripas fluvii Tagualy.*

8. N. *incorruptibilis*. N. caule arboreo; foliis pinnatis, multi-jugis cum impari; foliolis lanceolato-acuminatis; pedunculis brevibus. (Tab. 82.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Arbor altissima, quæ præstantissimum illud lignum materiariis præbet Brasilico nomine *Jacarandá* cognitum, quod etiam ab Indigenis in alias dividitur species, scilicet, *Jacarandátan*, &c. Quæ divisio vel a colore, vel a duritie, vel ab aliis circunstantiis, ab eis communiter desumitur. Nos veró alias duas species infra hic botanice designabimus. *Hæc habitat silvis mediterraneis transalpinis.* Floret Mayo.

9. N. *firma*. N. caule arboreo; foliis pinnatis, multi-jugis cum impari; racemis axillaribus (Tab. 83.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Folia multi-juga (quatuordecim, vel quindecim foliolis ovalibus; apice acutiusculo; petiolis sub-alternantibus. Racemi compositi, longissimi, multiflori, sub-paniculati. Capsulæ ala latiuscula. Rami tenelli; folia, pedunculi, petioli hirta. Dicitur etiam *Jacarandá*. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

10. N. *legalis*. N. caule arboreo; foliis abrupte pinnatis; pedunculis infra axillaribus, paucifloris. (Tab. 84.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Folia abrupte pinnata, foliolis lanceolato-oblongis, sub-oppositis. Etiam cum præcedentibus duabus *Jacarandá* dicitur. Si diutius in hoc labore immorarer, et pondera, et qualitates lignorum prospecta haberem; sed angustia temporis hoc facere non concessit. Non deerunt, qui res naturales Brasilicas

Diadelphia. Decandria.

corde habentes, hæc omnia absolvant. *Habitat silvis maritimis ad ripas fluvii Taguahy.*

Monitum volo, aliquot arbustula extare, quæ etiam nomine Jacarandâ apud vulgum gaudent, quæ a tribus assignatis toto cœlo differunt, scilicet, *Jacarandà banana*, quod ad genus mimosa, et classem Polygamiam pertinet, *Jacarandà do campo*, *Jacarandà preto*, seu *Cariuuna*, quæ ad genus Pterocarpi, et ad hanc eamdemmet classem spectant.

11. N. *robusta*. N. caule arboreo; foliis pinnatis cum impari; foliolis ovato-oblongis; capsula ampla, ad basim spinosa, ad alam cristata. (Tab. 85.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Arbor altissima. Europæ, et Americæ satis nota ob præstantiam ligni ad omne opus fabrile idonei. *Araribà* dicitur. Foliola sunt amplissima, opposita. Capsula maxima, aculeis acerosis, rectis, undique conferta; sed ala membranacea inermis. *Tantum-modo habitat silvis maritimis. Datur etiam ad fruticeta, et campos alia species seu varietas, quæ fruticis terminos non excedit.* Floret cum Nissoliis *Jacarandà* iisdem mensibus May. Jun. Perianthium est hirtum, et badii coloris; corolla flavescens; pedunculi racemosi, longissimi.

12. N. *fruticosa*. N. caule fruticoso, declinato. (Tab. 86.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Brevitas descriptionum duarum N. a Cl. Lin. relatarum claram de illis ideam concipere non sinit, cum tot dentur species, quod huc usque palam feci, aliæ arboreæ, erectæ; aliæ fruticosæ, declinatæ; unde istiusmodi nomina specifica ab eo assignata, cum cuicumque a me descriptis congruere possint, æquivocationem parient. Esto. Nissoliam caule volubili nondum offendi. Quam fruticosam voco, sic describo—caule fruticoso, declinato; foliis alterne pinnatis; foliolis ovato-oblongis; pedunculis axillaribus, racemosis. *Frequentissime habitat fruticetis maritimis.* Floret Nov.

13. N. *lanceolata*. N. caule fruticoso, scandente, declinato; foliis alterne pinnatis cum impari; foliolis lanceolato-ovatis; racemis compositis. (Tab. 87.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Folia pinnata, bi-juga, vel tri-juga. Foliolum supremum productius. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

Diadelphia. Decandria.

14. N. *reticulata*. N. caule sub-arboreo; foliis alterne pinnatis; foliolis lanceolato-ovatis; racemis simplicibus. (Tab. 88.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Folia reticulata. Racemi simplices, et corollæ ampliores aliam a præcecente, cui congruere videtur, constituunt. Si recte, sapientiores judicent. *Habitat et locis, et floret mensibus supra relatis.* Floret Nov.

273. Pterocarpus.

1. P. *ecastaphyllum*. P. foliis simplicibus, ovatis, acuminatis, subtus sericeis. (Tab. 89.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis frutescens, reclinatus. Folia ovata, acuminata, integerrima, sed ad apicem aliquantulum bi-fida. Flores albi, axillares, conferti, sub-sessiles. Capsula ovato-falcata, nuda, semen solitarium; stamina æqualiter diadelphia. *Habitat frequenter ad littora maris, et ad ripas fluminum.*

2. P. *quercinus*. P. foliis alterne pinnatis cum impari; floribus racemosis; capsulis ob-ovato-falcatis. (Tab. 90.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

A Cl. Lin. juniore ductus P. Santalinum describente hanc, quam nunc describo, ad hoc genus pertinere existimavi; nam cum Moutouchi Cl. Aubletii congruit. Quam describo, cum fruticetis habitaret, frutex erat. Existimo eas, quæ in silvis nascuntur ad arborem excrescere Vulgó dicitur *Jacarandá do Campo* ab aliqua similitudine. Caulis erectus, sub-arboreus; rami alterni. Folia alterne pinnata cum impari; foliolis lanceolato-ovatis. Pedunculi racemosi, axillares. Capsula ob-ovata, pedicellata, sub epidermide varicosa, non dehiscens. Semen solitarium, oblongum, aliquantulum incurvum. Hilo ad apicem. *Habitat fruticetis, silvisque maritimis.* Florem non vidi. Fructum ferebat Jul. Utinam Empyrici nostri experirentur, si eisdem viribus medicis gaudeat, quibus Santalus ruber, seu, ut Botanici dicunt, P. Santalinus, congener suus.

3. P. *niger*. P. caule arboreo; foliis alterne pinnatis; foliolis ovalibus minimis; racemis axillaribus; capsulis lanceolato-falcatis. (Tab. 91.ª T. 7.)

Diadelphia. Decandria.

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *Caviuna*. Cæteris Brasilicis lignis materiei præstantia et colore ad quædam domestica utensilia conficienda haud dubio palmam eripere norunt omnes. Naves onerariæ quotannis magna copia in Europam exportant, magnoque pretio venditur. Cum flores non adspicerem, de Classe, ordine, et genere nihil certi proferre dubeo, sed habitum consulens ad Diadelphiam pertinere existimo, et ad Pterocarpos, si decandrius; ad Dalbergias, si octandrus ordo fuerit. Sed pro nunc inter Pt. utpote genus plus tritum locum assignare magis placuit. Florem visuro locum proprium assignandi jus relinquitur. Aliqua de naturali charactere promam. Arbor altissima; rami sparsi, patentes; folia alterne, et abrupte pinnata: foliolis parvis, breviter petiolatis, ovalibus. Undecim juga plus, minusve. Pedunculi axillares, racemosi, compositi, mediocres. Legumina oblonga-falcata, foliacea, carinata; ab utraque extremitate attenuata, non dehiscentia. Epidermis venosa. Semina ad medium solitaria (aliquando duo) reniformia. *Habitat silvis maritimis.* Legumina Julio ferebat. *Offendi ad molendinum Saccharíferum tractu Parochiæ Campo grande.*

4. P. *luteus*. P. caule fruticoso; foliis pinnatis cum impari; leguminibus lanceolatis. (Tab. 92.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-arboreus. Rami oppositi, patentes; folia composito-pinnata, bijuga cum impari: foliolis brevissime petiolatis, lanceolato-ovatis, supremo ampliore. Racemi mediocres, seu longitudine foliorum. Corolla flavescens; stamina diadelphia: legumen lanceolato-falcatum, venosum, foliaceum, ad extrema attenuatum, non dehiscens. Semen oblongum, ovale, ab altero latere aliquantulum incurvum, solitarum, ad medium leguminis. *Habitat silvis, fruticetisque maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Jan.

5. P. *falcatus*. P. caule sub-arboreo; foliis alterne pinnatis cum impari: foliolis ovato-acuminatis; leguminibus carinatis. (Tab. 93.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis medium tenet fruticem inter et arborem quantitate molis. Rami sparsi, patentes: folia alterne pinnata cum impari: foliola ovato-acuminata, petiolata. Pedunculi mediocres, racemosi, compositi. Corolla flavescens. Vexillum cæteris petalis ad apicem amplius, emarginatum. Stamina diadelphia:

Diadelphia. Decandria.

legumen oblongum, sensim ad medium ampliatum, carinatum, apice sursum acuminato. Semen rotundum, duo, vel solitarium in dilatatione leguminis. *Habitat silvis, et fruticetis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

6. P. *polyspermus*. P. caule arboreo; foliis abrupte pinnatis; foliolis lanceolatis; leguminibus polyspermis. (Tab. 94.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus: rami sparsi. Folia quadri-juga, vel sex-juga. Legumen latum, oblongum, ad basim coangustatum, ad apicem aliquantulum carinatum, apice rotundo. Semina ampla; quatuor, remota, reniformia. Flores non vidi.

7. P. *cultratus*. P. caule fruticoso; foliis pinnatis cum impari; foliolis lanceolatis; racemis axillaribus; leguminibus ad basim, et apicem carinatis. (Tab. 95.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, sub-arboreus. Folia opposite pinnata cum impari; foliolis petiolatis, lanceolatis. Pedunculi racemosi, simplices, axillares; flores purpurei. Perianthium integerrimum. Vexillum cæteris amplius, sub-rotundum, concavum. Stamina novem-fida: legumen incurvum, bis-carinatum ad apicem, et basim, falcatum; ad dorsum compressum, membrana ad utrumque latus crenate discurrente. Semina duo, aut tria reniformia. *Habitat silvis maritimis.*

8. P. *frutescens*. P. caule declinato; foliis pinnatis cum impari; foliolis ovato-acuminatis; racemis axillaribus; leguminibus foliaceis. (Tab. 96.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis hirtus, fruticosus, declinatus, ramosus. Rami patentes: folia alterne pinnata cum impari; foliolis ovato-acuminatis, petiolatis. Racemi axillares, simplices; flores non vidi. Legumen foliaceum, ad utrumque extremum attenuatum, sub-venosum, non dehiscens. Pt. nigræ, et fruticosæ leguminibus assimilatur. Semen solitarium, reniforme ad medium. *Habitat silvis, et fruticetis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Jul.

276. Abrus.

1. A. *lusorius*. A. foliis ternatis; caule volubili; leguminibus brevibus, dispermis. (Tab. 97.ª T. 7.)

Diadelphia. Decandria.

OBSERVATIONES.

Folia ternata; foliolis sub-cordatis. Pedunculi axillares, longissimi, compositi: flores breviter pedicellati, dilute flavescentes. Perianthium monophyllum, quinque-dentatum, denticulis acuminatis, æqualibus. Vexillum amplius; limbus integerrimus, acuminatus; carina concava, brevior, apice truncato, vel acutiusculo. Alæ angustiores, lineares, carina paulo longiores. Stamina diadelphia simplex, et novem ad apicem solummodo divisa. Legumen lanceolatum, ad medium utrinque coangustatum, dispermum: semen sub-reniforme, coccineum, macula nigra e regione hili notatum. *Habitat maritimis, præcipue ad scopulos, qui mari adstant.* Floret Novembri. Aliquando hæc planta cum aliqua varietate offenditur, ex. gr., pilis, etiamque figura foliorum, scilicet, impar, et supremum folium trapezii formia; petalorum denique, vel truncata, vel acuminata; quæ aliis examinanda: si species? relinquo.

2. A. *precatorius.* A. foliis abrupte pinnatis; multi-jugis, obtusis. (Tab. 98.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis volubilis, sub-compressus: folia alterna, abrupte pinnata; foliolis multi-jugis (14-15.) ovalibus, obtusis, apice acutiusculo. Pedunculi longissimi (hoc est, foliis compositis paulo longiores) supra axillares. Pedicelli brevissimi, sub-alterni, multiflori. Perianthium 5.-dentatum, denticulis obtusis. Petala colore, et figura ut in præcedenti. Stamina diadelphia vix ad basim unita; pistillum brevissimum, legumen longum, cultratum, apice declinato, acuminato, inflexo. Semina tria, ovata, coccinea, macula nigra hilo (quod præcedenti adversatur) notata. *Habitat undequaque campis, fruticetisque duntaxat maritimis.* Floret Nov.

3. A. *arboreus.* A. caule arboreo; foliis quadri-jugis cum impari. (Tab. 99.ª T. 7.

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus: rami patentes, sparsi: folia composito-pinnata, quadrijuga cum impari; foliolis cordato-ovalibus, apice acuminato, sensim excrescentibus. Pedunculi terminales, racemosi, compositi. Perianthium quinquepartitum; laciniis duabus amplioribus, acuminatis. Corolla violacea: vexillum brevius; stamina vix ad basim coalita. Pistillum declinatum. Germen hirtum. Legumen oblongum, carinatum, apice declinato, acuto. Semina duo rotunda,

coccinea, macula nigra lateraliter notata. *Habitat tum maritimis, tum mediterraneis.* Floret Sept.

277. Piscidia.

1. P. *erythrina.* P. foliis pinnatis, tri-jugis cum impari: foliolis ovato-lanceolatis. (Tab. 100.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *Goranà-timbô.* Defectu librorum, qui de re herbaria Americana agerent, Linnæanam mentem in hac planta, multisque aliis consequi nequivi. Synonimiæ ab eo allatæ me doctiorem non fecerunt. Quidquid sit. Quod sentio, exhibeam.--Planta fruticosa, teres, bi, vel tri-cubitalis. Rami virgati: folia pinnata, tri-juga cum impari, foliolis ovato-lanceolatis, supremo productiore. Pedunculi racemosi, simplices, terminales. Flores purpurei, nutantes, ad apicem pedunculi undique conferti. Legumen longum spithamam unam, latum digitum cum semisse, duobus isthmis, qui parum comprimunt. Semina ovata ab altero latere sinuata. *Habitat silvis maritimis ad ripas riuulorum, atque etiam campis apricis, fruticetisque mediterraneis.* Indigenæ nostrates, ni fallor, eà ad pisces imbriandos (quod dicere Piscidia vult) non utuntur: ad hoc Paullinias, quæ *Timbó* pariter dicuntur, adhibent: bene vero ad scabies, et impetigines ejus ablutionibus medicandas. Floret Augusto.

278. Erythrina.

1. E. *corallodendrum.* P. foliis ternatis, inermibus; caule aculeato, arboreo. (Tab. 101.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-arboreus, erectus, aculeatus: rami sparsi, aliquando oppositi, sæpe furcati, aculeati, patentes, aliquando divergentes: folia petiolata, sparsa, composito-ternata: foliolis imis ovatis, acutis, supremo rhombeo, productiore, ante efflorescentia plerumque deciduis. Pedunculi sparsi, longitudine foliorum, virides, racemosi: racemus simplex: pedicelli virides, patentes, approximati, uniflori. Perianthium ab altero latere productius. Corolla saturate coccinea: carina falcata, dipetala, unguiculata, alis duplo longior. Alæ unguiculatæ.

Diadelphia. Decandria.

Stamina vexillo paulo breviora. Legumen ad semina protuberans, spatiis, quibus a se invicem illa distant, isthmicis, seu coangustatis. *Habitat silvis maritimis, præcipuè ad loca humentia.* Floret Aug: utitur ad sepes conficiendas: stolonibus propagatur: vulgo dicitur *Tuinamtiiba.*

2. E. *verna.* E. caule arboreo; foliis ternatis; pedunculis coloratis; racemis secundis, seu lateralibus. (Tab. 102.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Hyeme foliis penitus denudatur, adventumque veris Septembri pedunculis, pedicellis, perianthio, corollis coccineis solummodo vestita, atque ornata lætanter prævenit, nuntiatque. Fructificatione peracta, quod anno superest, foliis vestitur. Arbor altissima caudice Rami ad apicem sparsi, aculeati: folia ternata, ut in præcedenti. Pedunculi racemosi, longi, arcuati, sparsi, approximati. Racemi sub-secundi. Pedicelli nutantes, uniflori, ad basim alio pedicello coadunato. Perianthium æquale: corolla collective sumpta præcedentis latior: carina monopetala, cordata, nec unguiculata. Alæ ovatæ, brevissimæ, nec unguiculatæ. Stamina novem coalita, et aliud divisum: legumen non vidi. *Maritimis habitat.*

3. E. *mediterranea.* E. caule arboreo, aculeato; foliis ternatis; foliolis ovato-lanceolatis. (Tab. 103.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Incolæ mediterranei ferunt hac sub arbore solum perpetuò extare madidum, quod ejus transpirationi ducunt. Nec florem, nec legumen vidi. *Habitat silvis mediterraneis transalpinis prope prædium Boavista.*

E. apud nostrates caret usu alio, nisi ad sepes conficiendas; sed apud Asiaticos quam plurimos habet mechanicos, et medicos, de quibus consulendus Rajus.

279. Lumbricidia.

Ch. ess gener.

Perianthium quadri-dentatum. Germen pedicellatum. Capsula monosperma.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, quadri-dentatum.

Diadelphia. Decandria.

Cor. papilionacea. Vexillum lanceolatum, reflexum, lateribus plicatis. Alæ sub-falcatæ vexillo paulo breviores. Carina recta longitudine alarum.

Stam. filamenta decem inferne coalita, parum incurva, carina breviora. Antheræ rotundæ.

Pist. germen pedicellatum, subulatum, incurvum.

Peric. drupa ovata, apice obliquo.

Sem. solitarium, ovale.

OBSERVATIONES.

Hæc arbor in Historia plantarum Cayanensium a Cl. Aubletio conscripta in appendice absque classe, et genere; quia florem non vidit. Apud nostrates nomen *Angelim* audit. A vi anthelmintica in lumbricos, nomen triviale botanicum *Lumbricidia*, dixi.

Ch. ess. spec.

1. L. *anthelmia*. L. caule fruticoso; foliis pinnatis cum impari; fructu ovato. (Tab. 104.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus, ramosus: rami alterni, patentes: folia septem juga cum impari, foliolis lanceolato-oblongis, petiolatis. Stipulæ hinc inde ad petiolos communes solitariæ, subulatæ. Pedunculi axillares, longi. Racemi compositi; pedunculi partiales alterni, breviores. Corolla violacea. Bacca ovo gallinaceo minor. *Habitat silvis, et campis tum maritimis, cum mediterraneis.*

2. L. *legalis*. L. caudice arboreo; drupa tuberculata. (Tab. 105.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Truncus arboreus: rami sparsi, conferti: folia sparsa, conferta, præcipue ad apices, pinnata: foliolis sex-jugis cum impari, ovalibus, oppositis, ad petiolos partiales hinc, et inde stipulis solitariis, subulatis. Drupa maxima, extus scabrosa. Cætera ut in præcedenti. Floret Aug. *Habitat silvis maritimis.* Lignum materiariis præbet perquam optimum ad omne fabrile opus.

280. Crotalaria.

1. C. *racemosa*. C. foliis simplicibus, lanceolatis; pedunculis racemosis, terminalibus; caule fruticoso. (Tab. 106.ª T. 7.)

Diadelphia. Decandria.

OBSERVATIONES.

Pedunculi longissimi, simplices, cernui. Perianthium corolla paulo brevius: foliorum juniorum petioli per caulem decurrentes. Caulis sub-ramosus. Rami virgati: folia opposita. Corolla flavescens: legumen non vidi. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret Sept.

2. C. *cærulea.* C. foliis simplicibus, ovalibus; pedunculo racemoso, terminali: caule herbaceo. (Tab. 107.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, stipulatus, sub-ramosus. Stipulæ hinc inde ad petiolos solitariæ, subulatæ. Folia alterna, subtus tomentosa. Racemus simplex, longissimus. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov.

3. C. *triphylla.* C. foliis ternatis; foliolis lanceolatis. (Tab. 108.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, orgyalis: rami alterni, patentes: petioli longi, ad basim incrassati: folia pilosa. Pedunculi terminales, bracteati, pilosi. Racemus simplex. Corolla lutea. *Habitat fruticetis, silvis excultis mediterraneis.* Floret Nov.

4. C *stipulata.* C. foliis ternatis; petiolis stipulatis. (Tab. 109.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Stipulæ ad petiolos hinc, et inde solitariæ, subulatæ. Antheræ quinque rotundæ, quinque acuminatæ. Cætera sicut in præcedenti. *Habitat mediterraneis, et maritimis.*

5. C. *diffusa.* C. foliis ternatis; pedunculis axillaribus. (Tab. 110.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis cubitalis, diffusus. Foliola lanceolato-ovata. Tota hirsuta. *Habitat pascuis Reg. Prædii S. Crucis.*

6. C. *sagittalis.* C. foliis simplicibus, lanceolatis; stipulis decurrentibus, solitariis, bi-dentatis. (Tab. 111.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, pedalis, sub-ramosus. Folia simplicia, ovalia, pilosa,

Diadelphia. Decandria.

alterna. Stipula decurrens, connata, e basi ad apicem sensim ampliata, angulis exterioribus productioribus. Flores terminales, sub-fasciculati, sub-petiolati, pauci. Corolla lutea. *Habitat campis apricis maritimis.* Floret Aug. Sept.

281. Cytisus.

1. C. *heptaphyllus.* C. caule herbaceo; foliis septemnatis; foliolis cunei-formibus. (Tab. 112.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Planta hirsuta. Caulis cubitalis, stipulis, et bracteis caret: corolla lutea: legumen non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov. Forte aliud genus?

2. C. *unilateralis.* C. caule simplicissimo; foliis ab altero latere. (Tab. 113.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, teres, pilosus, cubitalis, simplicissimus: petioli brevissimi, contorti: folia ovato-lanceolata ab uno tantum latere. Pedunculus terminalis, racemosus, declinatus. Corolla flavescens: stamina simplex, et novem-fidum. *Habitat campis apricis mediterraneis prope montem Boavista.* Floret Novemb.

3. C. *brasiliensis.* C. caule herbaceo; foliis ternatis; racemis axillaribus, paucifloris. (Tab. 114.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis, pedalis. Folia ovalia. Corolla flavescens; stamina decem-fida. Legumen non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct.

4. C. *boavista.* C. caule herbaceo, foliis alternis; pedunculis axillaribus, longissimis, bi-floris. (Tab. 115.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis, pedalis, simplicissima. Folia ampla, ovalia. Corolla lutea: stamina decem-fida. Legumina non vidi. Tota pilosa. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct.

Diadelphia. Decandria.

5. C. *cajan*. C. floribus axillaribus, erectis; foliolis sub-lanceolatis, tomentosis, intermedio longius petiolato. (Tab. 116.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *Guandos*. Originaria ex Africa. Colitur hortis. Floret Mayo. De eà, qui ampliorem notionem habere voluerit, Cl. Jacquinum consulere poterit.

6. C. *arvensis*. C. caule herbaceo; foliis ternatis; foliolis ovalibus; racemo terminali. (Tab. 117.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis pedalis, erectus, pilosus, stipulatus: petioli longissimi, stipulati ad dimidium: stipulæ hinc, et inde solitariæ, subulatæ, pilosæ. Folia subtus pilosa. Flores purpurei, remoti: perianthium coloratum, inæquale, pilosum. Vexillum adscendens, cæteris petalis amplius. Stamina simplex, et novem-fidum: legumen non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct.

7. C. *procumbens*. C. caule procumbente, foliis ovato-acuminatis; racemis terminalibus. (Tab. 118.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Planta pilosa. Folia remota, pauca: racemi simplices: pedicelli stipulati. Corolla lutea; vexillum adscendens: perianthium laciniis acuminatis, æqualibus. Stamina simplex, et novem-fidum. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct.

282. Æschynomene.

1. Æ. *fluminensis*. Æ. caule herbaceo, lævi; leguminibus hinc profunde, inde vix crenatis; foliolis lanceolato-linearibus. (Tab. 119.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, ramosus, lævis, bi-cubitalis: rami sparsi, patentes: folia pinnata, sparsa: foliolis multi-jugis, minimis, lanceolato-linearibus. Flores axillares, solitarii: corolla flavescens. Stamina bi-fida. Semina reniformia. Digitorum attactu foliola (M. sensitivæ instar) segniter clauduntur. *Habitat maritimis ad loca humentia.* Floret Jan.

Diadelphia. Decandria.

283. Indigofera.

1. J. *anil.* J. foliis pinnatis, ob-ovatis; racemis brevibus; caule fruticoso. (Tab. 120.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Foliola multi-juga (7, 8, 9,) cum impari, acuminata: stipula axillaris, solitaria, subulata. Racemus axillaris, simplex; legumen arcuatum. *Habitat maritimis.* Ab Indigenis dicitur *Caa-ru*, id est, herba colorem azureum exhibens. Inquilinis Fluminensibus satis nota, et accurate culta propter feculam tinctoriam nomine ab Isate usurpate Anil, quam quotidie naves onerariæ in Lusitaniam exportant. Floret Oct.

284. Coronilla.

1. C. *scandens.* C. caule scandente, flaccido. (Tab. 121.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens: folia bi-juga cum impari: foliola ob-ovata, apice acutiusculo. Racemi axillares, brevissimi: perianthium calyculatum. Flores flavescentes; stamina decem-fida. Legumen articulatum, scabrum, ad articulos pilosum, pendulum, arcuatum, brevissime pedicellatum, polyspermum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

2. C. *hirsuta.* C. caule volubili, hirsuto; foliis pinnatis; foliolis sub-cuneiformibus. (Tab. 122.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Folia pinnata cum impari: foliolis 4, vel 5-jugis: racemi axillares, erecti. Corolla flavescens: stamina simplex, et novem-fidum, legumen non vidi. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret Febr.

285. Phaseolus.

1. Ph. *bicolor.* P. caule volubili; foliolis ovatis; pedunculis bi-floris. (Tab. 123.ª T. 7.)

Diadelphia. Decandria.

OBSERVATIONES.

Ad quemvis petiolum hinc inde stipulæ subulatæ, solitariæ. Vexillum amplum, emarginatum, ex albo-viride. Alæ flavescentes. Stamina simplex, et decem-fidum: perianthium quadri-partitum: legumen longum, lineare, ad apicem acuminatum. Semina plurima reniformia. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Oct.

2. Ph. *violaceus.* P. caule volubili; foliolis ovato-acuminatis; alarum lateribus inflexis. (Tab. 124.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Corolla violacea. Vexillum magnum, rotundum, concavum. Alæ amplæ lateribus inflexis. Carina lanceolata, longitudine staminum, spiraliter contorta. Antheræ bi-loculares: stigma clavatum, pilosum. Lacinia perianthii antica productior, apice acutiusculo, lateraliter, inflexo. Ad calycem bracteæ hinc inde solitariæ, subulatæ, pilosæ. Legumen non vidi. *Habitat ad littus quadam insula amphractu Pharmacopolitano.* Floret Jul.

3. Ph. *candidus.* P. caule volubili; foliolis ovatis; allis amplis, reflexis. Tab. 125.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis ramosus. Pedunculi axillares, racemosi, pauciflori. Corolla candida. Vexillum rotundum, sub-emarginatum. Alæ lanceolatæ, reflexæ, macula purpurea ad medium. Carina lanceolata, contorta, duabus ungulis linearibus. Stamina decem-fida, unum præ cæteris productius, incrassatum, pilosum. Legumen lineare. *Habitat ad ripas fluvii Paraty prope Pharmacopolim.* Floret mensibus calidis.

4. Ph. *cochleatus.* P. caule volubili; foliolis lateralibus ovatis, intermedio lanceolato. (Tab. 126.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Perianthium quinque-dentatum. Vexillum magnum, revolutum. Pone carinam appendices quatuor lineares. Stamina diadelphia. Corolla flavescens. *Habitat silvis maritimis Regni Prædii S. Crucis.* Floret Jan.

5. Ph. *dolichoides.* P. caule volubili; foliolis lanceolatis; petalis æqualibus. (Tab. 127.ª T. 7.)

Diadelphia. Decandria.

OBSERVATIONES.

Corolla violacea. Carina, et stamina semi-spiraliter contorquentur. Stamina decem-fida. Stigma bi-fidum: perianthium quadri-dentatum, denticulo uno latiore. Racemus brevis. *Habitat silvis maritimis.*

286. Clitoria.

1. C. *fluminensis*. C. foliis ternatis, foliolis ovatis; perianthio integerrimo, a bracteis duabus tecto. (Tab. 128.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Vexillum amplum, emarginatum, flavescens; ad centrum vero macula purpurascente, quæ etiam alarum apices inficit. Cætera petala flavescentia, angustiora. Perianthium monophyllum, campanulatum, limbo integerrimo; hinc et inde bractea solitaria, concava, lanceolata, productior, et amplior perianthium tegens, decidua. Legumen bis carinatum; ad apicem falcatum: semina flavescentia punctulis sanguineis. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Jan.

2. C. *brasiliana*. C. foliis ternatis, foliolis ovatis; perianthii denticulo producto, uncinato. (Tab. 129.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Perianthium quadri-dentatum, tribus minimis, singulari ampliore, productiore, rostrum uncinatum efficiente. Ab altero alæ latere denticulus unus: legumen latum, ab altero latere carinatum, ad apicem declinatum, rostratum. Semina reniformia, plurima, compressa. *Habitat silvis maritimis.*

3. C. *gemina*. C. foliis ternatis, foliolis lanceolatis; pedunculis geminis. (Tab. 130.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Corolla violacea; vexillum emarginatum. Alæ angustiores, breviores. Carina genitalia obumbrans, et ad apicem angustior, declinata. Legumen longum, lineare, apice utrinque attenuato. *Habitat maritimis ad maris littora.* Floret Sept.

4. C. *insulana*. C. foliis ternatis, ovato-lanceolatis; perianthio bracteato, quadri-dentato, denticulo uno productiore. (Tab. 131.ª T. 7.)

Diadelphia. Decandria.

OBSERVATIONES.

Corolla violacea; vixillum amplum, emarginatum. Alæ breviores lateribus inflexis ad apicem, tubum efformantes. Bractea cordata, concava. Legumen ab utroque latere carinatum, ad apicem attenuatum. Pedunculus racemosus. Folia stipulata. *Habitat Insulis amphractu Pharmacopolitano ad sinum Insulæ magnæ.* Floret Dec.

287. Lotus.

1. L. *fluminensis.* L. leguminibus obtuse quadrangularibus, aristatis. (Tab. 132.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, bi-cubitalis. Folia petiolata, terna, cunei-formia, alterna, patentia. Pedunculi patentes, axillares, longitudine foliorum bi vel tri-flori. Bractea ad quemvis florem hinc inde solitaria, parva, erecta, lanceolata. Perianthium campanulatum, longum, persistens, quinque-dentatum, dentibus æqualibus. Flores breviter petiolati, ex albo-cærulei. Vexillum amplissimum, deorsum flexum. Stamina simplex, et novem-fidum, inæqualia: legumen subcylindricum, striatum, artistatum: semina ovata. *Habitat fruticetis, campisque maritimis.*

2. L. *maritimus.* L. caule erecto; foliis ternatis, foliolis lineari-lanceolatis; pedunculis longissimis, paucifloris, spicatis. (Tab. 133.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, cubitalis, sub-ramosus. Foliola intermedia longius petiolata. Pedunculi axillares, longissimi. Corolla purpurascens: perianthium 5-dentatum, persistens. *Habitat campis maritimis.* Floret Nov.

3. L. *americanus.* L. caule fruticoso; foliis ternatis; pedunculis axillaribus, brevissimis, quadrifloris. (Tab. 134.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis virgatus, sub-ramosus. Foliola lanceolata: pedicelli brevissimi. Corolla coccinea: stamina simplex, et novem-fidum. Legumen lineare, ad utrumque extremum attenuatum, polyspermum: semina sub-ovata. Planta pilosa. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct.

Diadelphia. Decandria.

4. L. *coccineus.* L. caule suffruticoso, erecto; foliis ternatis; foliolis linearibus. (Tab. 135.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Inflorescentia verticillata, utrinque pedicellis unifloris, cernuis. Corolla coccinea: stamina simplex, et novem-fidum: legumen non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov.

5. L. *erectus.* L. caule suffruticoso; foliis ternatis, foliolis lanceolatis; floribus axillaribus. (Tab. 136.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Flores sub-racemosi, axillares: legumen lineare, pilosum, ad apicem utrinque acuminatum: semina plurima, approximata. Quod reliquum est, præcedenti cohæret. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov.

6. L. *palustris.* L foliis pinnatis, multi-jugis, caule fruticoso. (Tab. 137.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, fruticosus, humanæ altitudinis, seupaulo amplius, sub-striatus, sub-ramosus. Folia multi-juga: foliolis lanceolatis. Pedunculi axillares, foliis breviores. Flores flavescentes: stamina simplex, et novem-fidum: perianthium quinque-dentatum, persistens. Legumen teres, attenuatum: semina non vidi. *Habitat locis paludosis Regii Prædii S.Crucis.* Floret Nov.

288. Ervum.

1. E. *mediterraneum.* E. pedunculis terminalibus, paucifloris; seminibus globosis. (Tab. 138.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis procumbens. Rami alterni: folia sparsa, sub-petiolata, lanceolata. Cirrhus terminalis, dichotomus. Pedunculus terminalis, pauciflorus; perianthium quadri-dentatum, persistens, corolla brevius. Stamina decem-fida. Legumen carinatum: semina plurima, rotunda. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.* Floret Febr.

Diadelphia. Decandria.

2. E. *tetraphyllum*. E. foliis bis conjugatis; stipulis geminis; cirrhis multifidis. (Tab. 139.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis procumbens, ramosus. Folia bis, terque conjugata, cirrhosa. Cirrhus e medio foliorum multifariam divisus. Stipulæ ad exortum foliorum hinc, et inde geminæ, subulatæ, decussim repræsentantes. Cætera non vidi. A facie externa ad Ervi genus, donec flos inspiciatur, retuli. *Habitat loco nuper laudato.*

3. E. *capricornium*. E pedunculis racemosis, axillaribus; floribus ab altero latere; cirrhus ad apicem foliorum. (Tab. 140.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis procumbens, ramosus. Folia pinnata, cirrho terminata, foliola lanceolata. Cirrhus longus, tri-fidus. Pedunculis axillaris, solitarius, filiformis, longitudine foliorum. Flores ab altero latere ad apicem: perianthium quinque-dentatum; denticulis æqualibus: stamina decem-fida: legumen non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

4. E. *australe*. E. pedunculis racemosis, terminalibus; floribus oppositis. (Tab. 141.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Radix fasciculata. Caulis ascendens: ramusculi axillares, foliati. Folia bina, sessilia, lanceolata, tri-nervia; interiora longiora, latiora, patentia; exteriora patentissima. Cirrhi axillares, longi, tri-partiti, divisionibus revolutis. Pedunculi axillares, vel terminales, ad apicem ab utroque latere floribus pedicellatis. Flores cærulei: perianthium quinque-dentatum, denticulis æqualibus. Stamina simplex, et dece-fidum. Pistillum adscendens: legumen compressum: semina plurima, rotunda. *Habitat silvis cultis mediterraneis.* Floret Jan.

5. E. *cirrhosum*. E. pedunculis racemosis, nudis, axillaribus; cirrhis bis-trifidis. (Tab. 142.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Caulis scandens; folia quaterna, bina, sessilia, sub-cordata, exteriora, breviora; bina lanceolata, nervosa. Cirrhi bis-tri-fidi, axillares. Ra-

Diadelphia. Decandria.

cemi pedunculati, simplices: flores violacei, alterni. Stamina diadelphia, simplex, et novemfidum: legumina falcata, compressa; semina rotunda. *Habitat silvis transalpinis mediterraneis.* Floret Mart.

289. Trifolium.

1. F. *fluminense.* F. foliis ternatis; foliolis lanceolatis, acuminatis, pedunculis axillaribus, paucifloris. (Tab. 143.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-scandens, linearis, ramosus. Rami diffusi, stipulati; stipulæ hinc inde solitariæ, subulatæ: folia remota, integerrima, breviter petiolata. Flores terminales, sub-sessiles: perianthium quinque-partitum, laciniis inæqualibus, acuminatis. Stamina simplex, et novem-fidum: legumen longitudine calycis: semen solitarium, reniforme. *Habitat silvis maritimis. Offendi prope molendinum Sacchariferum vulgo Santõ Antonio de Joary.* Mayo floret.

2. F. *mediterraneum.* F. foliis ternatis, oblongo-lanceolatis; stipulis quinque, verticillatis. (Tab. 144.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, ramosus, erectus. Stipulæ quinque, vel sex, subulatæ, in orbem positæ. Flores terminales, flavescentes, sub-pedicellati, bini: vexillum cæteris petalis amplius: semina non vidi. *Habitat silvis cultis mediterraneis. Offendi prope pagum Cunha.* Floret Febr.

290. Glycyrrhiza.

1. G. *mediterranea.* G. foliis ternatis, lanceolato-oblongis, petiolatis; stipulis minimis ad apicem petiolorum. (Tab. 145.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis. Caules pedales, ramosi; foliola integerrima, patentia. Racemi breves, axillares; flores violacei: vexillum sub-ob-cordatum: stamina decemfida; legumen non vidi. Radix dulcis. Eosdem usus medicos habet, quos Europæa. *Habitat campis apricis mediterraneis prope pagum Cunha.* Floret Febr.

Diadelphia. Decandria.

291. Arachis.

1. A. *hypogæa.* (Tab. 146.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres, ramosus. Rami patentes: folia pinnata, bi-juga, foliolis ovalibus. Stipula ad quemvis ramum, et folia maxima, subulata, solitaria hinc, et inde: petioli longissimi. Corolla flavescens, resupinata: flores nutantes, pedicellati, solitarii: legumina ad radices. Colitur hortis.

292. Hedysarum.

1. H. *bi-folium.* H. foliis conjugatis; bracteis geminis, lanceolatis, calcaratis, sessilibus. (Tab. 147.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis. Caules lineares, adscendentes, bi-palmares, stipulati, ramosi. Stipulæ hinc, et inde ad petiolos geminæ, subulatæ; altera ad superiora, altera ad inferiora versus. Folia petiolata, composita, binata, foliolis lanceolatis, acuminatis. Pedunculi vel axillares, vel oppositi-folii, longissimi, multiflori, bracteati. Bracteæ geminæ ad quemvis florem, lanceolatæ, calcaratæ; flores alterni, sessiles, flavescentes; calyx tubulosus, quadri-dentatus, denticulo uno ampliore. Carina, et alis caret. Bracteæ alarum, et vexillum carinæ loco ponuntur, seu vices gerunt. Vexillum ad basim unguiculatum, ad laminam subcordatum. Stamina decem-fida, adscendentia; pistillum cylindricum. Legumen moniliforme, articulatum. Semina solitaria. *Habitat inter gramina pascuis Regii Prædii Sanctæ Crucis.* Floret Mayo. An Amorpha, vel aliud genus novum?

2. H. *violaceum.* H. foliis ternatis, subtus scabris; caule hispido floribus racemosis, conjugatis. (Tab. 148.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis repens. Foliola lanceolato-ovata. Pedunculi longissimi; racemosi, simplices, axillares. Pedicelli geminati, vel simplices. Corollæ violaceæ; stamina simplex, et novem-fidum; perianthium quadri-dentatum; legumina bis articulata, scabra (vestimentis adhærescunt, quare a Lusitanis amores metha-

phorice vocantur.) Ab Indigenis *mundubirana* dicitur. Vi medica refrigeranti pollet, ideo gonorrhæis applicari solet. *Habitat maritimis, et mediterraneis campis.*

3. H. *erectum*. H. caule erecto; foliis ternatis; pedunculis racemosis; terminalibus. (Tab. 149.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus, hirsutus, ramosus. Folia ternata; foliolis ovato-lanceolatis, ad petiolos stipulatis; stipulæ solitariæ, subulatæ. Pedunculi racemosi, compositi, stipulati: calyx quadri-dentatus: corolla sub-cærulea: stamina simplex, et novem-fidum: legumen non vidi. *Habitat fruticetis maritimis transalpinis.* Floret Jan.

4. H. *procumbens*. H. foliis ternatis; caule procumbente; floribus racemosis. (Tab. 150.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis, procumbens, pedalis. Caulis simplex. Folia composito-ternata, foliolis ovalibus, ad apicem sub-emarginatis: petioli communes alterni, hinc, et inde stipula solitaria, lanceolata. Racemi terminales, compositi, subfasciculati, hirsuti: corolla flavescens: legumina sub-falcata, plana, tri vel quadri-articulata. *Habitat campis sub-urbicis ad ripas fluvii dicti Andray.* Floret Oct.

5. H. *hirtum*. H. foliis pinnatis, foliolis ovalibus; floribus axillaribus. (Tab. 151.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis procumbens, herbaceus, linearis, bi-pedalis, hirtus, sub-ramosus. Rami sparsi: ramusculi sub-alterni. Folia alterna, petiolata, pinnata, hinc, et inde foliolis quinque, ovalibus. Petiolus communis, hirtus, stipulatus. Stipula ad utrumque latus petioli solitaria, sub-cordata, acuminata: pedunculi axillares: corolla ***: legumen bis articulatum. *Habitat campis paulo supra relatis.* Floret Oct.

6. H. *fruticosum*. H. foliis pinnatis; caule erecto, fruticoso; legumine multi-articulato. (Tab. 152.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, fruticosus, teres, sub-ruber, ramosus. Rami alterni, atte-

Diadelphia. Decandria.

nuati, patentes, ad basim pilis crassis glandulosis. Folia sub-opposite pinnata: foliolis hinc, et inde quatuordecim, ovalibus. Petiolus communis, sicuti et in ramis, pilis glandularibus ad basim. Pedunculi racemosi, axillares, foliis compositis paulo breviores, pilis glandulosis ad basim: perianthium tetraphyllum, duobus amplioribus longitudine petalorum: corolla flavescens: vexillum lanceolatum, alis amplius. Alæ longitudine vexilli: carina bi-partita: laciniæ semi-falcatæ. Stylus adscendens: stamina simplex, et novem-fidum; legumina pedicellata, nutantia, falcata, plana, multi-articulata (11-12.) Semina reniformia. *Habitat silvis maritimis sub-urbicis.* Floret Oct. Nov.

7. H. *diffusum.* H. foliis pinnatis; caule sub-diffuso. (Tab. 153.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Est multicaulis, et hirta. Folia pinnata, foliolis tri-jugis, alternis, ob-ovatis. Stipulæ ad quemvis petiolum hinc et inde solitariæ, subulatæ. Pedunculi axillares: flores flavescentes: legumina polysperma. *Habitat campis maritimis. Offendi ad urbis collem, quo inædificatum est Divi Antonii Cœnobium.* Nov. jam floribus carebat.

293. Dolichos.

1. D. *altissimus.* D. leguminibus racemosis, hirtis, æqualibus; seminibus hilo cinctis; foliis utrinque glabris. (Tab. 154.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Planta pilosa: altissimas arbores scandit. Ad pedicellos stipula solitaria, subulata, hinc, et inde. Pedunculus longissimus; corolla violacea, macula flavescente ad medium vexilli. *Habitat silvis maritimis.* Floret Dec. Jan.

2. D. *ruffus.* D. volubilis; leguminibus racemosis; stipulis duabus ad dimidium pedunculi. (Tab. 155.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Ad tantam altitudinem, sicut præcedens, non ascendit. Pili ruffi. Perianthium, corolla ex-albo-flavescentia; vexillum vero ex-albo-violaceum: legumina non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov.

3. D. *urens.* D. volubilis; leguminibus racemosis; valvulis sub-carinatis, hirtis; pedicellis ternis. Tab. 156.ª T. 7.)

Diadelphia. Decandria.

OBSERVATIONES.

Planta glabra. Pedunculus longissimus, funiformis, nutans; sed ad apicem indurescit, ubi pedicelli terni, alternique. Corolla ex badio violacea: legumen hirsutum, transversaliter sulcis exaratum, ad basim attenuatum, et ad apicem: ad dorsum tri-carinatum. Silentium Linnæi de pedunculo nutante filiformi me timore afficit: an alia sit? *Habitat silvis maritimis.* Floret Dec. Jan.

4. D. *pungens.* D. caule volubili, lævi; pedunculis brevibus, racemosis; legumine sulcato. (Tab. 157.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Sicut præcedentes, scandit. Pedunculus brevissimus: corolla flavescens: legumen sulcis transversalibus exaratum; pilis flavescentibus obsitum. Planta glabra. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Jan.

5. D. *coccineus.* D. caule volubili; foliis ternatis, foliolis ovato-lanceolatis; pedunculis spicatis; floribus brevibus. (Tab. 158.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Planta glabra. Folia subtus albida; pedunculi longissimi, erecti, spicati: perianthium purpureum. Cætera ex albo coccinea. Vexillum sub-rotundum: legumen non vidi. *Habitat silvis, fruticetisque maritimis.* Floret Nov.

6. D. *geminus.* D. caule volubili; pedunculis geminis, oppositi-foliis; legumine truncato. (Tab. 159.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Planta glabra. Pedunculi longitudine foliorum gemini: flores sessiles, caduci. Vexillum sub-truncatum, ad apicem saturate rubrum; cætera dilute. Stamina decem-fida: legumen breve, lineare, ad apicem truncatum. *Habitat campis, fruticetisque maritimis.*

7. D. *littoralis.* D. caule procumbente; foliolis ob-ovatis; pedunculis axillaribus, spicatis; leguminibus linearibus. (Tab. 160.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi erecti, foliis multo longiores. Flores terni, sessiles, remoti: corolla purpurascens, ad basim vexilli macula alba. Stamina simplex, et novem-

fidum: vexillum cordatum: legumen longum 3 dig., aut. 4. Semina plurima sub-reniformia. *Habitat ad littora maris Pharmacopolitana.* Floret Aug.

8. D. *arvensis.* D. caule scandente; foliolis lanceolatis; racemis simplicibus. (Tab. 161.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Caulis pilosus; folia ternata. Corolla saturate rubra: petala sub-æqualia: stamina simplex, et novem-fidum. Laciniæ perianthii inæquales, id est, alterne longiores: legumen non vidi. Hic apposui, donec genus accuratius cognoscatur. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Jan.

9. D. *racemosus.* D. caule scandente; foliolis lanceolato-oblongis; pedunculis racemosis; pedicellis trifloris. (Tab. 162.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Presse loquendo differt a præcedenti; foliolis pilosis; corollæ colore ex rubro-violaceo; pedicellis trifloris. Legumen non vidi. Debet iterum contemplari, ut genus certius determinetur. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret tempore præcedenti exhibito.

POLYADELPHIA.

POLYANDRA.

294. Brotera.

Ch. ess. gener.

Perianthium duplex. Stigma simplex. Pericarpium quinque-loculare, conicum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium duplex, deciduum; exterius enneaphyllum; foliolis lanceolatis, angustis, hirsutis; interius pentaphyllum; foliolis falcatis, latis.

Cor. pentapetala: petalis ovalibus perianthio latioribus, longioribusque.

Stam. filamenta plurima, quinque membranulis distinctis vel adhærescentia, vel adnata. Antheræ reniformes, incumbentes.

Polyadelphia. Polyandra.

Pist. germen torulosum. Stylus cylindricus vix filamentis longior, incrassatus. Stigma simplex, peltatum.

Per. capsula ovalis, hirsuta, quinque-locularis, quinque-valvis.

Sem. solitaria.

In memoriam Felicis d'Avellar Brotero, qui elementa Botanices Lusitano idiomate conscripta Parisiis nuperrime edidit.

Ch. ess. spec.

1. B. *maritima*. B. perianthio exteriore novem folio. (Tab. 163.ª T. 7.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus, teres.

Ram. patentes, alterni.

Fol. petiolata, ovato-lanceolata, serrata, reticulata.

Pedunc. terminales, foliis breviores, sub-racemosi, pauciflori.

OBSERVATIONES.

Flores exalbidi, inodori. Ad Malvacearum familiam, nisi classis obstaret, pertinere tuto videretur. Sed cum in aliquot speciebus hoc obstaculum nullum existimatur, cuicui a Sapientioribus æquius recensitum fuerit, libenter annuam. Ejus ligno ad aliquot opera mechanica, nempe, crepidas ligneas, et clitellas Brasilicas, conficienda utitur. *Habitat maritimis campis.* Floret Aug.

2. B. *mediterranea*. B. perianthio exteriore hexaphyllo. (Tab. 164.ª T. 7.)

OBSERVATIONES.

Flores saturate coccinei, satis odori. Membranæ, quibus stamina adnascuntur, alii membranæ latiori partiales extus obtegenti, seu circumvallanti, quodam filo adhærescunt, quæ quidem membrana exterior etiam ad apices in stamina evadit. Utraque species sermone Lusitano *Souta Cavallo* nuncupatur, ad eosdemque inservit usus. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Aug.

SYNGŒNESIA.

POLYGAMIA ÆQUALIS.

293. Chrysocoma.

1. C. *aphylla*. C. multicaulis, nuda; pedunculis terminalibus, spicatis. (Tab. 1.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caules ramosi, spithamæi, lineares, nudi. Rami virgati: pedunculi caulo duplo longiores. Flores sessiles: perianthium squamosum, imbricatum, cylindricum: pappus longitudine corollæ. *Habitat campis mediterraneis.* Floret Oct. Nov.

2. C. *oligiphylla*. C. foliis lonceolatis, serratis, pedunculo terminali, paucifloro. (Tab. 2.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Planta pilosa. Folia sparsa, pauca, 6, approximata ad basim: pedunculus longissimus triplo caule longior: caulis longitudo pollicaris. Flores terminales, sessiles, laterales, sub-pedicellati: corolla quadri-partita, laciniis subulatis, patentibus: pappus pistillo duplo brevior: pistillus ad medium pertusus: corolla violacea. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

3. C. *sancta*. C. caule herbaceo: foliis lanceolatis, serratis; pedunculis terminalibus, racemosis. (Tab. 3.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-sexangularis, erectus, striatus, ramosus, rami axillares, patentes. Folia glabra, viscosa, acuminata, alterna: racemi compositi; pedunculi partiales, triflori; calyx conicus. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.* Floret Febr. Qualitate vulneraria pollet: ideo sancta.

4. C. *phosphorica*. C. caule fruticoso, multi-striato; foliis lanceolato-oblongis, acuminatis. (Tab. 4.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Radix cortice denudata in tenebris lucet. Caulis punctulis nigris notatus. Folia petiolata, integerrima. Spicæ terminales, compositæ. Flores sessiles. Perianth. campaniforme: pappus corollæ æqualis: stamina, pistillaque exserta: stigmata reflexa. *Habitat fruticetis mediterraneis, Pharmacopolitanisque.*

5. C. *pauciflora.* C. caule erecto; foliis ovato-serratis; racemis cymosis, paucifloris. (Tab. 5.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, quadrangularis: rami brachiati: folia remote serrata, acuminata. Pappus longitudine corollæ. Stigmata exserta. *Habitat fruticetis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret April, May.

6. C. *maculata.* C. caule tereti; foliis lanceolato-serratis; floribus subracemosis; pedicellis vel unifloris, vel trifloris. (Tab. 6.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, debilis: folia subtus pilosa: perianthii foliola apicibus rotundis, maculatis. Stamina, pistillaque exserta. *Habitat fruticetis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret May.

7. C. *singularis.* C. suffruticoso erecto; foliis lanceolato-ob-ovalibus; racemis terminalibus. (Tab. 7.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Recedit a congeneribus foliis sparsis, stigmate capitato, corolla limbo quinque-dentato. Caulis striatus: perianthium commune cylindricum: pedicelli triflori. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.* Floret Aug.

8. C. *crassa.* C. caule erecto; foliis ovalibus, serratis, sub-sessilibus; floribus terminalibus. (Tab. 8.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus: folia crassa, tomentosa: pedunculi brevissimi. Flores sub-sessiles, cymosi. Perianthium commune cylindricum. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct. Nov.

9. C. *decussata.* C. caule herbaceo; foliis ovalibus, utrinque ad apicem bi-crenatis, decussatis; floribus axillaribus. (Tab. 9.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Caulis diffusus, linearis: folia crassa, decussata, sub-adpressa, sub-petiolata: calyx cylindricus: flores sub-solitarii, sessiles, axillares. Pappus longitudine corollæ. Stamina, stigmataque exserta. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret mensibus supra citatis.

10. C. *cruciata.* C. caule sub-fruticoso; foliis lanceolatis, decussatis; floribus terminalibus. (Tab. 10.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis orgyalis. Rami virgati, brachiati, patentes: folia sub-petiolata, approximata: racemi sub-fasciculati: calyx cylindricus: stigmata exserta. *Habitat locis, et floret mensibus supra citatis.*

11. C. *arborea.* C. caule fruticoso, foliis lanceolatis, alternis, serratis; spicis axillaribus, cymosis. (Tab. 11.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Spicæ compositæ: flores remoti, sub-secundi, erecti, violacei, calyce cylindrico: corolla calyce longior: stigmata exserta. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret Nov.

12. C. *indivisa.* C. caule fruticoso; foliis lanceolato-ovalibus; racemis terminalibus; stigmate indiviso. (Tab. 12.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Folia sparsa, approximata; calyx cylindricus. *Habitat fruticetis maritimis, atque mediterraneis.* Floret Oct.

13. C. *repanda.* C. caule declinato; foliis ovato-acuminatis, petiolis alatis; spicis uni-lateralibus. (Tab. 13.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Folia leviter serrata: pedunculi alii bi-furcati; alii simplices, arcuati. Corollulæ limbo quinque dentato, violaceæ. Stigmata exserta. Vulgó dicitur *Predcaá. Habitat ad loca humida.* Floret Mart. Apr.

14. C. *paniculata.* C. caule erecto; foliis ovato-oblongis; pedunculis spicatis; spicis radiatis. (Tab. 14.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Planta hirsuta, herbacea. Ad apices ramusculorum, seu pedunculorum prodeunt diversi pedunculi partiales æquales, simplices, vel bi-furcati. Corollulæ violaceæ: stigmata exserta: perianthium cylindricum. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Febr.

15. C. *medio-serrata.* C. caule erecto; foliis lanceolato-oblongis et plusquam dimidio ad apicem serratis; floribus supra axillaribus, solitariis, sessilibus. (Tab. 15.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Planta hirsuta, herbacea: folia breviter petiolata, acuminata: perianthium cylindricum: corollulæ perianthio multó longiores, violaceæ, quadripartitæ. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Mart.

16. C. *cymosa.* C. caule erecto; foliis lanceolatis, sparsis, e dimidio ad apicem serratis; pedunculis axillaribus; spicis sub-cymosis. (Tab. 16.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Folia glabra, petiolata: flores sessiles, violacei, suave-olentes. Perianthium cylindricum: pappus brevis: corollulæ calyce longiores. Vulgó dicitur *Saudades do Brêjo* propter odoris suavitatem. *Habitat maritimis ad loca humida.* Floret Apr. Radices habet longissimas Smilacis ad modum, propter quod ei sufficiunt in extirpandis morbis Venereis.

17. C. *pilosa.* C. caule erecto; foliis lanceolato-ovatis; pedunculo terminali, racemoso. (Tab. 17.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis erectus, pedalis, pilosus, simplicissimus: folia pauca, pilosa, sparsa: pedunculus longissimus, pilosus: flores violacei, ad apicem sub-racemosi. Perianthia tria, monophylla, septem dentata, imbricata, pilosa: pappus, et corollæ perianthio, longiora. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Mart.

18. C. *oppositi-folia.* C. caule erecto; foliis cordato-ovatis; sub-amplexicaulibus; racemis terminalibus, lateralibusque. (Tab. 18.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, subtiliter pilosus: pedunculus longissimus: flores ad apices pedunculorum partialium duo, vel tres: stigmata exserta. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Apr.

19. C. *integerrima.* C. caule sub-fruticoso; ramis virgatis; foliis ovalibus, sub-sessilibus; racemis terminalibus. (Tab. 19.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Folia caulina, sparsa, ramea, opposita: pedunculi racemosi, cymosi. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Apr.

20. C. *sessilis.* C. caule fruticoso; foliis lanceolato-ovatis, serratis; pedunculis terminalibus, foliatis; floribus sessilibus, uni lateralibus. (Tab. 20.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-arboreus: folia caulina, serrata, amplissima, ramea, lanceolato-ovata: spicæ laxæ, unilaterales, ad quemvis florem foliatæ: corollulæ albidæ. *Habitat ad declivia Alpium Paratyensium.* Floret Aug.

21. C. *lateralis.* C. caule fruticoso, erecto; foliis ob-ovato-lanceolatis; pedunculis terminalibus, axillaribusque. (Tab. 21.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caules ramosi: stigma indivisum, pilosum. *Habitat fruticetis mediterraneis.*

22. C. *maritima.* C. caule arboreo; foliis sparsis, serratis; floribus axillaribus, sub-racemosis. (Tab. 22.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Serratura foliorum remota: florem non observavi. *Habitat fruticetis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

23. C. *serrata.* C. caule herbaceo; foliis ovatis, serratis; racemis axillaribus, compositis. (Tab. 23.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis, cæteraque pilosa: caulis pedalis; racemi axillares, pauci-flori. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Mart. Apr.

Syngenesia Polygamia Æqualis.

24. C. *volubilis*. C. caule scandente; foliis ovatis, acuminatis, serratis; floribus cymosis. (Tab. 24.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis teres. Inflorescentia terminalis ad apices ramusculorum axillarium: pedicelli tri-flori: corollæ candidæ, quinque-dentatæ. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Jun.

25. C. *quadrangularis*. C. caule quadrangulari, scandente; foliis cordatis; pedunculis brevissimis, binis, axillaribus; inflorescentia cymosa. (Tab. 25.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Planta levissime tomentosa: folia ampla, integerrima: petioli contorti. *Habitat silvis maritimis.* Floret Jun.

26 C. *verticillata*. C. caule sub-scandente; foliis lanceolatis; floribus verticillatis, sessilibus. (Tab. 26.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis punctulatus, rigidus: pappus corolla longior. *Habitat silvis maritimis, mediterraneisque.* Floret Febr. Mart.

27. C. *linearis*. C. caule herbaceo, erecto; foliis linearibus; inflorescentia cymosa; terminali. (Tab. 27.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Planta pilosa, pedalis; corollula quinque-dentata. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Aug.

28. C. *horizontalis*. C. caule herbaceo; foliis oblongis; pedunculo trifido, pedunculis partialibus patentissimis, foliatis. (Tab. 28.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis pedalis, simplicissimus: folia integerrima, acuminata: pedunculi partiales terni. Flores sessiles. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov.

29. C. *herbacea*. C. caule herbaceo; foliis lanceolato-ovatis; pedunculo bis-bifido. (Tab. 29.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Planta hirsuta: folia pauca, ampla, breviter petiolata, venis rubris. Pedunculus terminalis, violaceo-hirsutus, stipulatus: partiales, oppositi: flores sessiles, unilaterales: perianthium et corolla violacea. *Habitat locis, et floret mensibus supra citatis.*

30. C. *obscura*. C. caule herbaceo; foliis lanceolatis; flore solitario, terminali. (Tab. 30.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis pedalis, simplicissimus, pilosus: folia sparsa. Corolla violacea, quinque-partita. *Habitat locis, et floret mensibus supra citatis.*

31. C. *purpurascens*. C. foliis oblongis, serratis; pedunculis ternis, compositis; caule herbaceo. (Tab. 31.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis simplicissimus: folia decussata: pedunculi longitudine caulis. Inflorescentia racemoso-cymosa, composita, foliata. Perianthium, et corollulæ purpurascentes. *Habitat locis, et floret mensibus supra citatis.*

32. C. *pumilla*. C. caule herbaceo; foliis lanceolato-oblongis, sub-ternis; floribus terminalibus. (Tab. 32.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis pedalis, simplicissimus. Folia tria, alternantia, acuminata. Flos terminalis, purpurascens: pappi fili quinque: corolla quinque-partita. *Habitat locis, et floret mensibus supra citatis.*

33. C. *monantha*. C. caule herbaceo; foliis alternis, lanceolato-oblongis, pilosis; perianthio simplici; flore terminali, solitario. (Tab. 33.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis, pedalis, simplicissima, pilosa. Radix tuberosa. Corollulæ purpurascentes: antheræ flavæ. *Habitat locis, et floret mensibus supra citatis.*

34. C. *imberbis*. C. caule herbaceo; foliis alternis, lanceolato-ovatis; inflorescentia terminali, sub-umbellata. (Tab. 34.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Caulis bi-pedalis, erectus, pilosus. Folia glabra, venis lutescentibus. Perianthium albidum: corollulæ violaceæ, extra perianthium reflexæ, sine pappo. *Habitat locis, et floret mensibus supra citatis.*

35. C. *adpressa*. C. caule herbaceo, erecto; foliis subulatis, imbricatis, adpressis; floribus terminalibus. (Tab. 35.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis pedalis, sub-ramosus. Folia sessilia. Flores terminales, sub-sessiles (tres, vel quatuor): perianthium imbricatum, cylindricum: semina papposa. Hanc plantam arescentem vidi. *Habitat locis, mensibusque floret supra laudatis.*

36. C. *tuberosa*. C. foliis lanceolatis, integerrimis; racemis terminalibus. (Tab. 36.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis cubitalis, simplex. Folia breviter petiolata, sub-alterna, lævia: radix tuberosa. *Habitat campis apricis.* Floret Oct.

37. C. *pedunculata*. C. caule fruticoso; foliis lanceolatis: pedunculis partialibus, alternis, longis, ad basim foliatis. (Tab. 37.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quando hanc plantam offendi, jam in senectutem abierat; sed cum sit frequens campis mediterraneis, de ea aliqua dicere, consultum habui. Caulis fruticosus: folia integerrima, breviter petiolata: pedunculi alterni, longi, patentes. Flores pedicellati, remoti: semina axillo piloso, pappo multi-piloso. *Habitat campis mediterraneis.* Floret Aug.

38. C. *tomentosa*. C. caule fruticoso; foliis sparsis, confertis, ovalibus, tomentosis: pedunculis sub-spicatis. (Tab. 38.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Planta tomentosa. Rami sparsi. Caulis scaber. Folia tomentosa. Corollulæ sordide albidæ. *Habitat locis, floret que mensibus supra laudatis.*

39. C. *precaà*. C. caule fruticoso, piloso; foliis lanceolato-ovatis; spicis bifurcatis. (Tab. 39.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Caulis erectus. Rami declinati. Folia integerrima. Pedunculi terminales, pilosi, bi-furcati. Pedunculi partiales recurvati. Flores sessiles, unilaterales. Corollulæ ex albo-violaceæ, quinquedentatæ, denticulis minimis. *Habitat maritimis ad loca humentia.* Floret mensibus calidis.

40. C. *alterna.* C. caule fruticoso; foliis lanceolato-ovatis; pedunculis terminalibus, floribus alternis. (Tab. 40.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, sub-ramosus, glaber. Pedunculi terminales, incurvati. Flores sessiles, alterni. Corollulæ violaceæ, limbo quinque-partito. Stamina tubo corollæ adnata. *Habitat locis, floret que mensibus supra laudatis.*

41. C. *hirsuta.* C. caule fruticoso, foliis lanceolato-oblongis, sub-serratis; pedunculis axillaribus, terminalibusque; floribus alternis, sessilibus. (Tab. 41.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Planta hirsuta. Ex foliorum axillis prodeunt ramusculi aliquibus foliolis, qui in pedunculos compositos abeunt. Flores alterni, sessiles, violacei, perianthio longiores. Pappus brevis. *Habitat ad declivia alpium Fluminensium.* Floret Jul.

42. C. *albida.* C. caule fruticoso; foliis ovato-lanceolatis, serratis: floribus sub-racemosis, terminalibus. (Tab. 42.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus. Folia alterna, petiolata. Flores ex apice ramusculorum. Pedunculi partiales bi, vel triflori. Corollulæ albidæ. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.* Floret Jul.

43. C. *trinervis.* C. caule fruticoso; foliis lanceolato-oblongis, serratis, tri-nerviis; floribus terminalibus, sub-racemosis. (Tab. 43.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, glaber. Folia reclinata. Ramusculi axillares. Racemi ad apicem ramusculorum. Perianthium, et corollulæ albidæ. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret May. Jun.

Syngenesia Polygamia Æqualis.

44. C. *florida*. C. caule fruticoso; foliis lanceolato-ob-longis, serratis; pedunculis laxis. (Tab. 44.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Rami sparsi. Flores ad apices ramusculorum, pedicellis sparsis, bi, vel trifloris. Corollulæ albidæ. Pappus brevis. *Habitat silvis maritimis ad declivia Alpium.*

45. C. *purpurea*. C. caule fruticoso; foliis lanceolatis, brevibus; floribus terminalibus, sub-racemosis. (Tab. 45.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus. Rami sparsi. Folia lanceolata, brevia. Flores ad apices ramorum sub-racemosi. Corollulæ purpureæ. *Habitat fruticetis mediterraneis.*

46. C. *opposita*. C. caule fruticoso; foliis lanceolatis, serratis; floribus solitariis, axillaribus, oppositis (Tab. 46.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Rami brachiati. Folia opposita, subtus tomentosa. Perianthium albidum. Pappus multi-radiatus. Flosculos non vidi. *Habitat fruticetis mediterraneis.*

47. C. *dentata*. C. caule fruticoso; foliis lanceolatis, e dimidio serratis; floribus racemosis. (Tab. 47.ª T. 8)

OBSERVATIONES.

Rami sparsi. Folia sub-opposita. Corolla albida, quadridentata. Stigma exsertum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

48. C. *alata*. C. caule fruticoso; foliis cordatis, serratis; petiolis alatis. (Tab. 48.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Petioli alato-serrati, declinati. Folia pilosa. Pedunculi racemosi, terminales. Perianthium purpureo-coloratum. Corolla quinque-dentata, dilute purpurea. *Habitat ad declivia Alpium Fluminensium.*

49. C. *punctulata*. C. caule fruticoso, foliis oppositis, ovato-ob-longis, serratis; racemis terminalibus. (Tab. 49.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Caulis albescens, maculis atro-viridibus notatus. Rami brachiati. Folia decussata, deflexa. Racemi terminales, foliati, et bracteati. Corolla quinque-dentata, ex viridi-alba. Stigmata lutescentia. *Habitat fruticetis maritimis.*

50. C. *nuda*. C. caulibus nudis; floribus terminalibus. (Tab. 50.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Forte varietas C. aphyllæ? Flores pauci sessiles. Perianthium, et flosculi ex-luteo-albidi. Corollulæ limbo quinque dentato. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct. Nov.

2946. Cacalia.

1. C. *crenata*. C. caule herbaceo; foliis lanceolato-crenatis; racemis umbellatis, terminalibus. (Tab. 51.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, pilosus, simplicissimus. Folia petiolata, sub-alterna, lanceolato-obtusa, subtus hirta. Racemi umbellati. Umbella quinque-radiata. Ad quemvis radium flores sessiles. *Habitat campis mediterraneis transalpinis.* Floret Mart.

2. C. *emarginata*. C. caule sub-fruticoso, ramoso; foliis lanceolato-crenatis; racemis umbelliferis, capitatis. (Tab. 52.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-scandens, teres, pilosus, ramosus. Rami brachiati. Folia petiolata, lanceolato-ovata, crenata, opposita, hirsuta. Pedunculi terminales, bini, vel terni, umbellato-capitati. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret Apr.

3. C. *cordata*. C. caule scandente; foliis cordatis; racemis umbellatis, terminalibus. (Tab. 53.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quadriflora. Rami oppositi. Folia petiolata, integerrima. Petioli contorti. Umbellæ involucratæ. Involucrum diphyllum; foliolis lanceolatis. Corolla com-

Syngenesia Polygamia Æqualis.

posita, quadriflora. Semen ob-longum. *Habitat fruticetis maritimis.* Floret Apr. May.

4. C. *trilobata.* C. caule scandente; foliis sub-hastatis; pedunculis racemoso-umbelliferis, axillaribus. (Tab. 54.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quadriflora. Vulgo dicitur Sipó-issicca: quia ex illa educitur resina mastichi similis. Flores odoriferi, candidi. Stigmata erecta, exserta. *Habitat maritimis ad loca aquosa.* Floret Apr.

5. C. *angulata.* C. caule scandente; foliis cordatis angulatis; pedunculis umbelliferis. (Tab. 55.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quadriflora, hirsuta. Umbellæ racemosæ. Involucrum diphyllum; foliolis lanceolatis, vel cordatis. Gaudet vi medica contra Serpentium morsus. *Habitat silvis maritimis ad loca aquosa.* Floret Apr.

6. C. *ternata.* C. caule scandente; foliis ternatis, vel quinatis, foliolis tri, vel quinque lobatis; pedunculis axillaribus, terminalibusque. (Tab. 56.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quadriflora, glabra. Caulis glanduliis stipulaceis, subulatis, verticillatis, infra axillaribus. Pedunculi bini, umbellati. Flosculi albidi, quadripartiti. Pistillus corolla valde longior. Stigmata erecta. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Mart.

7. C. *obsoleta.* C. caule scandente; foliis obtuse-hastatis; pedunculis terminalibus, racemis umbelliferis; pedicellis tri-floris. (Tab. 57.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Glaberrima. Umbellulæ tri, vel quadrifloræ, sessiles. Assimilatur C. hastatæ. Resina, ac odore caret. *Inhabitat locis aquosis, arenosis.* Floret Apr.

8. C. *villosa.* C. caule scandente; foliis lanceolato-oblongis; racemis compositis; corollis quadrifloris. (Tab. 58.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quadriflora. Caulis, foliaque subtus subtilissime pilosa. Pedunculi termi-

Syngenesia Polygamiia Æqualis

nales, solitarii, compositi, bracteati, breves. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret May.

9. C. *nitida.* C. caule scandente; foliis lanceolato-oblongis; pedunculis terminalibus, racemosis. (Tab. 59.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quadriflora, glabra. Cæteris præcedentibus cohæret. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis.* Floret Jun.

10. C. *reticulata.* C. caule scandente; foliis ovato-lanceolatis; racemis axillaribus, umbellatis. (Tab. 60.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quadriflora. Folia quinque-nervia, reticulata; petiolis contortis.

11. C. *pilosa.* C. foliis cordatis, crenato-incisis, peltatis; caule piloso, scandente. (Tab. 61.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quadriflora. Pedunculi laterales, umbellati, foliati, involucrati. Radii umbellæ triflori. Flosculi albidi. Antheræ rubræ. *Habitat maritimis.* Floret May.

12. C. *triangularis.* C. foliis cordatis, crenatis; angulis posticis acutis; caule scandente, striato. (Tab. 62.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Quadriflora, glabra. Lobi postici foliorum in angulum producti figuram sagittatam repræsentant. Pedunculi axillares, racemosi, umbellam mentientes. *Habitat maritimis.* Floret May.

13. C. *septemnata.* C. foliis pinnatis cum impari, foliolis lanceolatis, utrinque uni, vel bi-dentatis. (Tab. 63.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Flores jam erant decidui, cum eam offendi; sed ex habitu, et floris fragmento, quod superabat, Cacaliam esse cognovi.

14. C. *frutescens.* C. caule erecto; foliis lanceolatis, utrinque tridentatis; floribus axillaribus, sub-solitariis. (Tab. 64.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Rami, foliaque sparsa, approximata. Flores solitarii, vel bini, axillares. *Habitat fruticetis mediterraneis.* Floret Nov.

15. C. *trinervia.* C. caule sub-declinato; foliis trinerviis, serratis; floribus solitariis, axillaribus, terminalibusque. (Tab. 65.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolata, sub-opposita, caduca, approximata. Flosculi, albidi.

16. C. *punctulata.* C. foliis lanceolatis; racemis terminalibus. (Tab. 66.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis viridis, punctulis nigris notatus. Folia opposita, plusquam e dimidio serrata. Racemi terminales, paniculati. Flosculi albidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Apr.

17. C. *rosmarinus.* C. caule erecto; foliis lanceolato-linearibus; floribus terminalibus. (Tab. 67.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Folia breviter petiolata, ad caules congesta, ad ramos simplicia, bene olentia; unde Rosmarini, sive *Alecrim* triviale nomen. *Frequentissime habitat terris excultis mediterraneis.*

18. C. *pedunculata.* C. caule fruticoso, foliis lanceolato-ob-longis; floribus terminalibus; pedicellis longissimis. (Tab. 68.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi partiales inferiores elevantur, Corymbi instar, ad altitudinem pedicellorum superiorum. Flosculi, antheræ, et stigmata maculis purpureis notata. Pappo caret. Pistillum non exsertum. Folia opposita. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.* Floret Jun.

19. C. *mentrasto.* C. caule herbaceo, erecto; foliis ovatis, serratis; floribus terminalibus. (Tab. 69.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Grave olens, multiflora, pilosa, bi-pedalis, opposita ramis, et foliis. Pe-

Syngenesia Polygamia Æqualis.

dunculi terminales, sub-racemosi, pauciflori. Apex flosculorum, stamina, et stigmata violacea. Pappus simplicimus. Vulgo dicitur *herva de S. João.*—Mentrasto. Adhibetur in constipationibus. *Habitat maritimis, mediterraneisque.* Floret Aug.

20. C. *porophillum.* C. caule herbaceo indiviso; foliis ellipticis, sub-crenatis. (Tab. 70.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Erecta, bipedalis, ramosa. Rami alterni. Folia petiolata, caulina, sparsa, ramea, opposita; ad quamvis crenam foliorum glandula pertusa, seu porus. Semicircularis. Flores terminales: bini, vel terni, non calyculati, multi-flosculosi. Semina linearia. Vulgo dicitur Couvinha-cravinho. Est grave olens, albescens, sicut Brassica. Pollet vi medica diaphoretica.

Ramos habet, quod adversatur *Cl.* Lin characteri specifico. *Habitat silvis recenter excultis maritimis.*

21. C. *cor Jesu.* C. caule herbaceo; foliis cordatis, angulatis; perianthio simplici; floribus terminalibus. (Tab. 71.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis, multi ramosa. Folia cordata, ad alas lobato-angulata: aliquando evadunt serrata. Pedunculi longi, inferiores per modum Corymbi, superioribus æquantes. Adhibetur, ut præstans remedium in Lepra humida, seu elephantiasi. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Nov.

22. C. *decurrens.* C. caule herbaceo; foliis decurrentibus; floribus pedicellatis. (Tab. 72.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus, tri-angulato-membranaceus, orgyalis. Rami sparsi, membranaceo-angulati, terni. Flores terminales, sub-racemosi. Stamina et pistilla flavescentia. Pollet qualitate amara. Vulgo dicitur *Carqueja. Habitat campis apricis, fruticetisque mediterraneis transalpinis.* Floret Jul.

23 C. *sessilis.* C. caule erecto, tri-angulato-membranaceo, crenato; ramis solitariis; floribus sessilibus, solitarii ad crenas. (Tab. 73.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Affinis C. decurrenti. Diffinitio sat exhibet, quibus differt. Est cubitalis.

Syngenesia Polygamia Æqualis.

Nomine, qualitate, locis, et mensibus gaudet, ac habitat, quibus decurrens.

24. C. *triphylla*. C. caule erecto; foliis ternis, verticillariter positis; racemo terminali. (Tab. 74.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis simplicimus, herbaceus. Folia terna, sessilia, verticillata, cordata, serrata. Racemus terminalis, ad exortum pedicellorum foliis ternatis. Pedicelli divisi, inferiores supremis longiores per modum thyrsi. Flosculi albidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

25. C. *tomentosa*. C. caule erecto; foliis dimidiato-serratis; racemo terminali. ((Tab. 75.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, sub-ramosus. Folia petiolata, sub-alterna, ob-ovato-lanceolata, ultra dimidium serrata, subtus tomentoso-pilosa. Racemus terminalis, compositus, tomentosus. Perianthium simplex, polyphyllum; flosculis brevius. *Habitat fruticetis mediterraneis supra alpinis.*

26. C. *Læta*. C. caule erecto; foliis ovatis, oppositis; racemis terminalibus. (Tab. 76.ª T. 8.

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, pilosus. Folia petiolata, ovato-serrata, opposita. Rami ascendentes, brachiati. Racemi compositi, ampli, foliati. Perianthium simplex. Corolla composita, quadriflora. Flosculi coccinei. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Nov.

297. Carthamus.

1. C. *brasiliensis*. C. floribus solitariis, axillaribus. (Tab. 77.ª T. 8)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus, punctulis nigris maculatus; aculeis hinc inde solitariis ad petiolos, rectis, patentibus. Folia alterna, trinervia, lanceolato-ovalia, cuspidata. Flores solitarii, axillares, petiolati, bracteati. Perianthium imbricatum, foliolis cuspidatis. Corollulæ flosculosæ, quinque-partitæ, laciniis con-

Syngenesia Polygamia Æqualis.

tortis. Stigma indivisum. Pappus plumosus. *Habitat fruticetis, tum maritimis, tum mediterraneis.*

2. C. *fluminensis*. C. floribus sub-racemosis, axillaribus. (Tab. 78.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Omnia sicut in præcedenti, si præter notam characteristicam excipias etiam, quod folia sunt ampliora, et aculei deorsum versus: pappus plumosus, flosculis æqualis; corolla composita, brevior. In utroque stamina, et pistilla sunt exserta.

298. Castra.

Ch. ess. gener.

Calyx calyculatus. Corollulæ bifidæ. Pappus simplex.

Ch. nat. gener.

Cal. communis, simplex, oblongus, basi tantum calyculatus, cylindricus: squamis quinque ad septem lanceolato-linearibus, tubum constituentibus.

Cor. composita, tubulosa: corollulæ hermaphroditæ; forte numero foliorum calycinorum.

Propria infundibiliformis; limbo bifido, laciniis ligulatis: altera productiore convoluta, vel reflexa.

Stam. filamenta quinque, capillaria. Anthera cylindracea, tubulosa.

Pist. germen oblongum. Stylus filiformis, staminibus longior. Stigmata duo, oblonga, revoluta.

Peric. nullum. Calix imutatus.

Sem. solitaria, oblonga, ovato-angusta. Pappus pilosus longitudine corollæ.

Recept. nudum, planum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Ill. ac Ex. D. Martini de Mello e Castro Suæ Magestatis a Sanctioribus Consiliis, Ditionum Ultramarinarum a negotiis, res naturales Patrioticas indefesso labore Promoventis.

1. C. *regia*. C. caule declinato; calyce superiori monophyllo, inferiori pentaphyllo. (Tab. 79.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Æqualis.

OBSERVATIONES.

Caulis diclinatus. Rami alterni. Folia breviter petiolata, lanceolato-oblonga, leviter incisa. Pedunculi axillares, terminalesque, racemosi, compositi. Corollulæ ex luteo-albidæ. *Habitat maritimis fruticetis.*

2. C. *præstans.* C. caule erecto; utroque calyx polyphyllo. (Tab. 80.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus. Folia ovato-lanceolata, incisa, petiolata, alterna. Racemi axillares, pauciflori. Calix communis, laxus. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.* Floret Nov.

3. C. *illustris.* C. foliis radicalibus; calyce simplici, hexaphyllo. ((Tab. 81.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Folia radicalia, lanceolato-oblonga, crenata. Scapus longissimus, bracteatus, bracteis imis oppositis, supremis sparsis. Pedunculi partiales longi, ad summum triflori. Antheræ, stigmataque exserta. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

4. C. *nobilis.* C. caule herbaceo, erecto; pedunculo terminali perianthio duplici; exteriori breviore, diphyllo. (Tab. 82.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa, subdivisa. Caulis erectus, simplex, foliaceus. Folia lanceolato-oblonga, remote serrata, ad petiolos decurrentia, sub-amplexi caulia, ad basim opposita, supra alterna. Pedunculus terminalis, compositus, bracteatus. Bracteæ lanceolatæ. Pedunculi partiales alterni, pauciflori. Pedicelli sparsi, bracteati, uniflori. Calix mommunis heptaphyllus. Stigmata exserta, declinata. Pappus corolla brevior. Semen oblongum. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Oct.

299. Orcya.

Ch. ess. gener.

Semen aristatum. Stigma simplex.

Syngenesia Polygamia Æqualis.

Ch. nat. gener.

Caul. communis, hexaphyllus, laxus.

Cor. composita, tubulosa. Corollulæ hermaphroditæ, æquales. Propria monopelata, infundibiliformis, limbo quinquefido.

Stam. filamenta quinque, ad basim coalita.

Pist. germen sub-rotundum. Stylus filiformis. Stigma simplex, incrassatum.

Per. nullum.

Sem. solitaria, ovalia, aristis conferta. Pappus nullus.

Recept. pilosum, convexum.

OBSERVATIONES.

In memoriam D. Gigot d'Orcy.

1. O. *adhærescens.* (Tab. 83.ª T. 8.)

Ch. nat. gener.

Caul. diffusus, herbaceus, pilosus.

Ram. diffusi, patentes.

Fol. petiolata, opposita, ovato-sub-rotunda, utrinque denticulis aliquot.

Infl. terminalis, solitaria. Corollulæ flavescentes.

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *Carrapixos.* Hoc nomen ei convenit, quia semina aristis vestibus adhærescunt. *Undique habitat præcipue silvis excultis.*

300. Aristomenia.

Ch. ess. gener.

Tubus antheræ subulatus, ad basim caudatus. Stigma indivisum. Laciniæ corollæ revolutæ.

Ch. nat. gener.

Caul. communis, campanulatus, imbricatus, squamis numerosis, laxis, ovalibus.

Cor. composita, uniformis, tubulosa. Corollulæ hermaphroditæ, æquales.

Syngenesia Polygamia Æqualis.

Propria monopetala, infundibiliformis: limbo quinque partito, laciniis convolutis, æqualibus.

Stam. filamenta quinque, capillaria. Anthera subulato-tubulosa.

Pist. germen incrassatum, longum. Stylus longissimus, indivisus incrassatus, staminibus longior.

Peric. nullum. Calix immutatus.

Sem. solitaria, oblonga, arillata. Pappus simplex.

Recept. nudum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Aristomonis, antiqui Scriptoris.

1. A. *fruticosa*. (Tab. 84.ª T. 8.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, declinatus.

Ram. alterni, patentes.

Fol. breviter petiolata, lanceolato-oblonga, sparsa, ad flores opposita.

Infl. terminalis, solitaria.

Pedic. breves, squamati: squamis ovalibus.

OBSERVATIONES.

Flosculi flavescentes, sicut etiam Stamina, et pistilla. Pappus coccineus. *Habitat silvis maritimis.* Floret Nov.

301. Xenophontia.

Ch. ess. gener.

Corolla bifida. Stigma indivisum. Receptaculum cylindrico-clavatum.

Ch. nat. gener.

Caul. communis conicus, imbricatus; squamis oblongis, strictis.

Cor. composita, uniformis. Corollulæ hermaphroditæ, æquales.

Propria monopetala, ligulata, bifida, lacinia alia lineari; alia lamellata, quadridentata.

Stam. filamenta quinque, capillaria, brevissima. Anthera cylindracea, tubulosa.

Syngenesia Polygamia Æqualis.

Pist. germen incrassatum. Stylus filiformis, longitudine staminum. Stigma are, indivisum.

Per. nullum.

Sem. solitaria. Pappus plumosus, undecim-filus.

Recept. cylindro-clavatum, nudum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Xenophontis antiqui Scriptoris de Re rustica.

1. X. *caryophyla*. (Tab. 85.ª T. 8.)

Ch. nat. spec.

Caul. declinatus, fruticosus, aculeatus.

Ram. alterni, patentes.

Fol. lanceolata, breviter petiolata, ad apicem cuspidata, terna, vel quaterna.

Infl. solitaria, terminalis, pedicellata.

OBSERVATIONES.

Aculei ad ramorum, filiorumque axillas hinc, et inde solitarii, acerosi. Corolla ampla. Corollulæ ligulatæ tredecim, limbis amplis, patentibus, purpureo-coloratis. *Habitat silvis, fruticetisque mediterraneis.*

302. Hadia.

Ch. ess. gener.

Calyx polyphyllus. Semina pilosa. Pappus nullus.

Ch. nat. gener.

Caul. communis, foliaceus.

Cor. tubulosa, composita. Corollulæ hermaphroditæ æquales.

Propria monopetala, infundibiliformis, limbo quadrifido.

Stam. filamenta quinque, capillaria, brevissima. Anthera cylindracea, tubulosa.

Pist. germen ob-longum. Stylus filiformis. Stigma bi-fidum.

Peric. nullum.

Syngenesia Polygamia Æqualis.

Sem. solitaria. Pappus nullus.
Recept. pilosum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Dadis antiqui Scriptoris.

1. D. *Lixa.* (Tab. 86.ª T. 8.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, virgatus, sub-ramosus, pilosus.
Fol. breviter petiolata, ovata, opposita, serrata.
Infl. terminalis, racemosa, simplex. Pedunculi fasciculati. Corollulæ albidæ. Antheræ violaceæ.

OBSERVATIONES.

Habitat fruticetis maritimis. Vulgo dicitur *Lixa.*

303. Sonchus.

1. S. *lævis.* S. foliis summis amplexicaulibus, dentatis, runcinatis; apicibus hastatis (Tab. 87.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis fistulosus, erectus, herbaceus. Folia sessilia, alterna, sub-pinatifida, dentata: apicibus denticulorum Setaceis. Inflorescentia terminalis, subcymosa. Pedunculi longissimi. Perianthium ventricosum, imbricatum. Semifloscuili flavescentes. Pappus sessilis. Receptaculum nudum. Vulgo dicitur *Serralha.* Est oleracea. *Sponte crescit hortis, silvisque recenter excultis.*

304. Bidens.

1. B. *adherescens.* B. foliis ternatis; floribus terminalibus, discoideis (Tab. 88.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, bicubitalis, erectus, ramosus, striatus. Rami patentes ejusdem longitudinis, ac figuræ. Folia ternata, opposita; foliolis lanceolatis, serratis, subtus leviter pilosis. Pedunculi dimidio foliorum æquales, uniflori,

Syngenesia Polygamia Æqualis.

terminales. Perianthium commune polyphylum, foliaceum: foliolis lanceolatis, imbricatis. Corollula composita, quandoque radiata, radis octo ligulatis, albis. Flores disci flavi, tubulosi limbo quinquefido. Stigmata parum exserta. Receptaculum sub-convexum, nudum. Semina oblonga aristis tribus uncinatis. *Habitat et frequenter, et ubique.*

305. Spilanthus.

1. S. *oleraceus*. S. foliis subcordatis, serratis, petiolatis. (Tab. 89.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis diffusus. Rami oppositi. Folia petiolata, sub-cordata, serrata, opposita. Pedunculi longissimi, terminales, solitarii. Flosculi apices flavescentes; sed in centro corollæ communis violacei. Perianthium polyphylum. Semen sub-rotundum, pilosum. Pappus nullus. Receptaculum cylindrico-lanceolatum. Adquemvis florem palea solitaria. Vulgo dicitur *Nhambú*. Usitata in condimentis dapium Brasiliæ ad excitandam orexim. Est planta urens. *Habitat undequaque.*

306. Ethulia.

1. E. *sparganophora*. E. floribus sessilibus, lateralibus. (Tab. 90.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, bi-pedalis, sub-ramosus. Rami sub-alterni. Folia lanceolata, vix petiolata, longissima, serrata, acuminata. Flores sessiles, quandoque laterales caulibus, et ramis; quandoque axillares, solitarii, etiam bini, vel terni. Perianthium polyphyllum. Corolla tubulosa, limbo quinquefido. Receptaculum nudum, planum. Caret pappo, et aristis. *Habitat maritimis ad loca aquosa.*

307. Penanthes.

1. P. *lutea*. P. foliis radicalibus, lanceolato-oblongis crenatis. (Tab. 91.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Folia petiolata, sesquipedalia, crenato-dentata. Scapus nu-

Syngenesia Polygamia Æqualis.

dus, longissimus, tri, vel quadriflorus. Pedicelli uniflori. Perianthium polyphyllum, calyculatum, foliolis subulatis, corollulis multo brevioribus. Corollulæ propriæ ligulatæ, genitalibus longiores, ordine sub duplici, quadri-dentatæ; bractea lanceolata ad quamvis corollam eadem longitudine, et colore, qui est luteus. Stylus staminibus longior. Stigma duplex. Semina ovata. Pappus sessilis, pilosus, simplex. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Febr.

2. P. *transalpina*. P. foliis lineari-acuminatis; scapo hirsuto; floribus multiplici ordine. (Tab. 92.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix sub-tuberosa, in varias alias radiculas horizontales sub-divisa. Folia radicalia, lineari-acuminata; integerrimo, sessilia (quatuor ad plurimum) pilis rarissimis adspersa, enervia. Scapus longissimus, hirsutus, paulo supra radicem folio singularia ejusdem figura, quam habent radicalia. Pedunculi partiales, tri, vel quadri-flori, bracteati. Bracteæ ad exortum florum brevissimæ, subulatæ. Pedicelli uniflori. Perianthium polyphyllum, sub-calyculatum, corolla composita valde brevius. Corolla composita triplici flosculorum ordine. Propria ligulata, quadri-dentata, genitalibus valde longior. Antheræ in cylindrum coalitæ stylo breviores. Stigma duplex. Semina minima, turbinata. Pappus simplex, brevissimus. Receptaculum nudum. *Habitat campis apricis transalpinis.* Floret Jan.

308. Ingenhusia.

Ch. ess. gener.

Perianthium imbricatum. Corolla radiata. Pappus simplex.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium cyathiforme, squamosum, imbricatum.

Cor. composita radiata calyce longior corollulis hermaphroditis, numerosis.

Flosculi radii ligulati, plurimi (14) integerrimi obtusi, ramento filiformi, hermaphroditi, genitalibus multo longiores. Flosculi disci tubulosi, quinquepartiti, laciniis reflexis, itidem hermaphroditi, genitalibus eadem longitudine.

Stam. filamenta quinque brevissima. Antheræ in cylindrum coalitæ.

Syngenesia Polygamia Æqualis.

Pist. germen brevissimum. Stylus filiformis. Stigma tum flosculis radii; cum disci indivisum, staminibus longius.

Per. nullum. Calix vix mutatus.

Sem. sub-turbinata. Pappus simplex sessilis, pilosus.

Recept. concavum, nudum.

OBSERVATIONES.

In memoriam J. Ingenhouss. observationum plantarum auctoris.

Ch. ess. spec.

1. I. *radiata*. (Tab. 93.ª T. 8.)

Ch. nat. spec.

Rad. fibrosa, sub-divisa.

Caul. nullus.

Fol. radicalia, sessilia, serrata, prope apicem latiuscula, in orbem posita, subtus lanoso-tomentosa.

Ped. scapi plurimi, longissimi teretes, tomentosi, uniflori, ebracteati.

Infl. terminalis, solitaria.

OBSERVATIONES.

Corollulæ semiflosculosæ, albida, sicuti etiam earum genitalia; disci vero flosculosi, flavescentes, illorunque genitalia. *Habitat campis apricis transalpinis mediterraneis.* Floret Febr.

309. Sabbata.

Ch. ess. gener.

Perianthium imbricatum. Corollulæ tubulosæ. Pappus simplex.

Ch. nat. gener.

Caul. communis cylindricus, imbricatus: squamis multis, subulatis, æqualibus.

Cor. composita uniformis; corollulæ hermaphroditæ, tubulosæ, æquales, calyce longiores.

Stam. filamenta quinque, capillaria, brevissima. Antheræ cylindracea, tubulosæ.

Syngenesia Polygamia Æqualis.

Pist. germen oblongum. Stylus filiformis, staminibus longior. Stigmata duo.
Per. nullum. Calyx immutatus. Pappus simplex.
Sem. brevissima.
Rec. nullum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Liberati Sabbati Horti romani auctoris.

Ch. ess. spec.

1. S. *romana*. S. foliis lanceolatis, serratis. (Tab. 94.ª T. 8.)

Ch. nat. spec.

Rad. fibrosa.
Caul. herbaceus, erectus, brevis, pilosus, simplex.
Fol. petiolata, sub-amplexicaulia, lanceolata, serrata.
Pedunc. longissimus, pilosus. Flores ad apicem pedunculi pauci. Pedicelli fasciculati.

OBSERVATIONES.

Habitat locis umbrosis maritimis. Multoties silvis nondum cultis ad vias publicas.

1. S. *polyphylla*. S. foliis runcinatis; racemo laxo. (Tab. 95.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix napiformis. Folia radicalia, plurima (utrinque sex aut septem) petiolata, lanceolata, sinuata, seu runcinata, glabra. Ped. partiales longissimus. Pedunculi partiales, luxi, pauciflori. *Habitat iisdem locis, quibus præcedens.* Forte aliud genus! Nam flosculos non vidi, consequenter que ordinem agnoscere nequivi. Hic apposui, ut locus, quem occupare debet, aprimo inspiciente ei tribuatur.

SYNGENESIA.
POLYGAMIA SUPERFLUA.

310. Gnaphalium.

1. G. *macella*. G. suffruticosum: foliis lanceolato-subulatis; floribus terminalibus, capitatis. (Tab. 96.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Superflua.

OBSERVATIONES.

Caulis suffruticosus diffusus. Rami alterni, foliati, patentes. Folia breviter petiolata, lanceolato-subulata, nutantia, integerrima, subsparsa, tomentoso-lanata. Flores terminales, capitati. Perianthium commune simplex, polyphyllum, tomentosum. Proprium lucteo-coloratum, longitudine flosculorum. Flosculi flavescentes, tubulosi, hermaphroditi, limbo quinque-dentato. Antheræ in cylindrum. Stigma divisum, longitudine staminum. Semina minima. Pappus nullus. Corolla composita ex multis corollulis compositis coalescit. *Habitat campis, silvisque mediterraneis.* Flosculis ad implenda pulvinaria frequentissime utitur: sed haud paucis propter nimium odorem caput gravantem displicet. Balneis utitur. Vulgo dicitur *Macella.* Floret ***

2. G. *argenteum.* G. herbaceum: foliis lanceolatis, ad apicem latiusculis, tomentosis; floribus axillaribus. (Tab. 97.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix fasciculata. Caules multi erecti herbacei, quandoque diffusi, subramosi, teretes, pilosi, tomentosi, sesquipedales. Rami pauci, alterni. Folia sub-petiolata, lanceolata, alterna, integerrima, piloso-tomentosa, ciliata, foliolis aliquot ad basim. Flores axillares, sessiles, capitati. Perianthium diphyllum, foliis lanceolatis. Corollæ compositæ sex plus minusve ad quodvis capitulum. Propria sordide alba, tubulosa. Pappus plumosus. *Habitat ubique, frequentissime ad laterum fissuras, parietum que ex lapide constructorum.* Toto fere anno floret.

3. G. *erectum.* G. herbaceum, foliis lineari subulatis, sessilibus; floribus racemosis, terminalibus. (Tab. 98.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix fasciculata. Caules multi, sub-orgyales, simplices. Folia sessilia, seu sub-amplexicaulia, approximata, decussata, oblonga, subulata, tomentosa, pilosa. Flores terminales, sessiles, racemoso-capitati. Pedunculi pilosi, bracteati. Bracteæ subulatæ, longitudine capitulorum. Perianthium commune conicum, squamosum, imbricatum. Flosculi flavescentes. *Habitat ubique.* Floret mensibus calidis. Suavem odorem tota planta spirat.

4. G. *hirsutum.* G. herbaceum; foliis lanceolato-oblongis; pedunculis laxis; caule hirsuto. (Tab. 99.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Superflua.

OBSERVATIONES.

Radix præcedentis similis. Caulis erectus, cubitalis, ad basim squamosus, simplex, hirsutus. Folia amplexicaulia, lanceolato-oblonga, hirsuta. Reliqua præcedentis similia. Pedunculi semel, iterum, et amplius subdivisi, et ad quamvis sub-divisionem folio singulari. Pedicelli, seu pedunculi partiales etiam longissimi. Flores capitati, sessiles, quam plurimi, conglomerati. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Jul. Si rite recordor, odore caret.

5. G. *suave-olens.* G. herbaceum ; foliis lanceolatis, decurrentibus; floribus terminalibus. (Tab. 100.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis, aliquando ad bipedalem accedit, teres, sed foliorum membrana decurrente alatus, erectus. Quandoque multicaulis. Folia sessilia, decurrentia, lanceolata, serrata, subtus pilosa, sub-viscida, odorifera. Flores terminales, sub-fasciculati. Pedunculi foliis breviores. Perianthium flosculis productius, imbricatum. Corollulæ tubulosæ, quinque-dentatæ. Stigma divisum. Semina minima. Pappus pilosus. Receptaculum convexum. Vulgó dicitur *Quitôco. Habitat maritimis.* Floret Aug.

6. G. *apricum.* G. herbaceum ; foliis oblongo-subulatis, floribus terminalibus. (Tab. 101.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, sub-ramosus. Rami ejusdem naturæ, ac caulis. Folia sessilia, alterna, enervia, sub-amplexicaulia, integerrima, acuminata, tomentosa. Inflorescentia ad apicem caulis ex-axillis foliorum fasciculis conglomeratis. Perianthium monophyllum, tomentosum. Pertinere videtur ad argyrôcomas. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Febr.

311. Mutisia.

1. M. *clematis.* M. radiis integerrimis, acuminatis. (Tab. 112.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, striatus, membrana alatus, ramosus. Folia alterna, remota, pinnata, rachi in cirrhum desinente. Foliola oblongo-ovata, sub-sessi-

Syngenesia Polygamia Superflua.

lia, alterna, septenaplus minusve, ætate supra lævia, subtus valde tomentosa. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, tomentosi. Bracteam vidi nullam. Calix (mihi ita videtur) squarrosus, cylindro conicus. Flosculi radii tredecim (quod amplius quinque, quam quos assignat. Mutis apud Linnæum filium, exhibet.) Corollulæ radii rubri sunt coloris, et patentes; disci vero corollulæ partim, hoc est, apices trifidi, tubusque flavescentes, ad medium rubræ. Antheræ nigræ. Stigmata duo setacea, quæ a Cl. Auctore supra laudato exponuntur, non observavi. *Habitat silvis mediterraneis transalpinis.* Floret Mart.

2. M. *caryophyllata.* M. flosculis radii tridentatis. (Tab. 103.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis quinque-angularis, sed non alatus: ad exortum foliorum stipulæ setaceæ: calyces longiores præcedentis calycibus. Semiflosculi radii angustiores, reflexi, tridentati, atque undecim. Color non ruber, sed roseus. Cæteris cohærere videtur. *Habitat etiam maritimis.*

312. Senecio.

1. S. *oleosus.* S. corollis radiatis, patentibus; radiis tridentatis; foliis amplexicaulibus, viscidis. (Tab. 104.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix fasciculata, fibrosa. Caulis cubitalis, suffruticosus, teres, pilosus. Rami alterni, patentes. Folia amplexicaulia, lanceolata, serrata, ciliata, approximata, divergentia, oleosa. Inflorescentia terminalis, sub-racemosa. Perianthium cylindricum, calyculatum; primum hexaphyllum, foliolis linearibus, laxis, hirsutis; secundum polyphyllum, erectum. Radii corollæ duodecim feminei, flavescentes, ligulato-lanceolati, ad apicem tridentati, calyce duplo longiores. Stigma duplex. Flosculi disci hermaphroditi, longitudine calycis, itidem flavescentes, tubulosi, quinque-partiti. Pappus simplex. Semen sub-rotundum. Receptaculum nudum. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis prope pagum Cunha.* Floret Oct. *Offendi ad prædium Parição.* Tota planta tactui oleosa, sed usum vulgare nescio.

2. S. *pallidus.* S. corollis radiatis, revolutis; foliis sessilibus, pendulis. (Tab. 105.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Superflua.

OBSERVATIONES.

Radix fasciculata. Caulis erectus, suffruticosus, sub-ramosus, pilosus. Rami pauci, patentes. Folia sessilia, sub-amplexicaulia, subulata, integerrima, deorsum tendentia. Inflorescentia terminalis, sub-racemosa. Perianthium calyculatum; cum septem partitum, breve. Secundum polyphyllum. Semi flosculi octo, ligulati, revoluti, tridentali, fæminei. Stigma duplex. Pappus simplex. Flosculi disci tubulosi, quinque-dentati, hermaphroditi. Stigma staminibus longius, duplex. Pappus stipitatus. Receptaculum nudum. Tota planta habitum tristem sistit. Flosculi, et semi-flosculi sunt sordide flavescentes. *Habitat locis et floret temporibus paulo supra laudatis.*

3. S. *sessilis*. S. corollis tri-radiatis, patentibus; foliis oblongis, crenatis, sessilibus. (Tab. 106.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis bipedalis, teres, crassus, simplex. Folia sessilia, alterna, crenata, oblonga. Pedunculi terminales, corymbosi. Perianthium vix calyculatum, monophyllum, multidentatum. Corolla composita, tri-radiata. Semi-flosculi ligulati, obtusi, emarginati, terni. Semen sub-rotundum. Flosculi disci pauci, tubulosi, quinque-partiti. Pappus simplex. Receptaculum nudum. *Habitat campis apricis transalpinis.* Floret Nov.

4. S. *amabilis*. S. corollis radiatis; patentibus; foliis impari-pinnatifidis, æqualibus. (Tab. 107.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis suffruticosus, orgyalis, ramosus, teres. Rami alterni, patentes, ferme eadem longitudine. Folia petiolata, alterna, impari-pinnatifida: foliolis oppositis, dentatis, per petiolos decurrentibus, linearibus, ternis, quaternis, vel quinis. Pedunculi terminales, racemosi, laxi. Perianthium calyculatum. Primum, seu externum sexpartitum, laciniis linearibus. Secundum, seu internum monophyllum, itidem sex partitum, cylindricum. Semi-flosculi fœminei, flavi, octo, ligulati, integerrimi, obtusi (variant quantitate). Flosculi flavescentes, hermaphroditi, in disco plurimi, tubulosi, quinque-partiti. Semen utriusque sub-rotundum. Pappus simplex. Receptaculum nudum. Est planta graveolens. Abaliquibus dicitur Bem mequeres a lusu divinatorio puerorum, qui radix dicendo bem mequer, mal mequer convellunt. Ab aliis a figura foliorum *Lanceta Lusitana* dicitur. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.* Floret Feb.

Syngenesia Polygamia Superflua.

Etiam maritimis Pharmacopolitanis offendi pauxilla cum varietate, hoc est, radiis ligulatis, acuminatis, perianthio externo duplicato, pappo valde breviori, cæteris vero cohærentibus, unde aliam speciem constituere mihi haud placuit.

5. S. *desiderabilis*. S. corollis quinque-radiatis, revolutis; foliis ovato-lanceolatis; caule declinato. (Tab. 108.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, declinatus, ramosus. Rami plurimi, sub-alterni ejusdem naturæ. Folia petiolata, ovato-lanceolata, integerrima, glabra. Pedunculi racemosi, axillares. Semi-flosculi quinque, ligulati, emarginati, flavescentes, revoluti. Semen ovatum. Pappus simplex. Flosculi disci plurimi, tubulosi, quinque-partiti, flavescentes. Stigma divisum. Cætera ut in semi-flosculis. *Habitat ad cacumina Alpium Pharmacopolitanarum*, ubi Dec. florentem offendi.

6. S. *fruticosus*. S. corollis radiatis, patentibus, emarginatis, foliis lanceolatis, serratis. (Tab. 109.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus, teres, orgyalis, glaber. Rami aliquot, patentes. Folia petiolata, lanceolato-oblonga, approximata, pendula, serrata. Flores terminales, sub-racemosi, pedicellati. Perianthium calyculatum. Primum, sive calyculi polyphyllum, breve, foliolis linearibus: secundum polyphyllum etiam, et eadem figura. Semi-flosculi duodecim, flavescentes, emarginati, pistillo longiores. Pappus fili duo. Semen ovatum. Flosculi disci plurimi, tubulosi, quadri-partiti. Antheræ in cylindrum coalitæ, nigræ. Tota corolla flavescens. *Habitat silvis mediterraneis transalpinis*. Floret Sept.

(DISCOIDEI)

7. S. *palustris*. S. corollis nudis; foliis pinnati-fido-serratis. (Tab. 110.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, striatus, fistulosus, teres, erectus. Rami alterni. Folia petiolata, alterna impari-pinnati-fida: foliolis alterne pinnato serratis. Pedunculi terminales, racemosi, laxi. Perianthium cylindricum, calyculatum. Sed calyx externus foliolis linearibus, laxis. Flosculi tubulosi, coccineo-colorati.

Syngenesia Polygamia Superflua.

Pappus simplex. Stigma divisum. Vulgo dicitur *Potingoba*. *Habitat maritimis, mediterraneisque ad loca uliginosa.* Floret Febr.

8. S. *crassus*. S. corollis nudis; foliis pinnati-fido-serratis; racemo terminali, brevi. (Tab. 111.ª T. 8)

OBSERVATIONES.

A præcedenti differt 1.° foliis, quæ utrinque quinque fissuras, seu pinnas habent: præcedentis octo: 2.° racemis strictis, ac brevibus: præcedentis pedunculi sunt longi, racemi laxi, seu paniculati: 3.° colore flosculorum viridi; præcedentis sunt purpureo-colorati. *Habitat, et floret iisdem locis, ac temporibus, quibus præcedens.*

9. S. *axillaris*. S. corollis nudis; perianthio simplici, foliis alterne pinnatis cum impari. (Tab. 112.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, teres, fistulosus, sub-fruticosus. Rami alterni. Folia petiolata, alterne pinnata cum impari: foliolis quadrijugis, lanceolatis, serratis. Pedunculi axillares, longitudine foliorum. Flores ad pedunculorum apices. Perianthium simplex, monophyllum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

10. S. *stipulatus*. S. corollis nudis; floribus terminalibus; foliis lanceolatis, confertis. (Tab. 113.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus, teres, nudus. Rami patentes. Folia vix petiolata, lanceolata, integerrima, approximata, stipulata, tomentosa. Stipula hinc, et inde opposita, ramos vestiens. Flores ad apicem ramorum, racemosi. Perianthium polyphyllum, simplex. Flosculi tubulosi, purpurei. Pappus simplex. Cum hoc planta fuit observata, ad Polygamiam æqualem pertinere visa fuit: sed habitum postea consulens, me eam haud recte in ordinem redegisse autumans, in aliam sententiam abii, et ad Superfluam sub senecionis genere transtuli. Cui datum fuerit eam ad examen iterum revocare quid rectum fuerit, certo judicabit. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

313. Verbesina.

1. V. *decurrens*. V. foliis lanceolatis, decurrentibus, tomentosis.

Syngenesia Polygamia Superflua.

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, utrinque ala membranacea, undulata. Rami aliquot ejusdem altitudinis ac figuræ caulis. Folia sessilia, lanceolata, serrata, alterna, tomentosa, pendula. Pedunculi spicati, compositi, terminales. Perianthium polyphyllum, duplici ordine foliorum, calyculati instar. Pappus simplex. Cum offendi, jam senescebat, ideo aliquot flosculos hermaphroditos tantummodo vidi. De ordinis certitudine dubito. *Habitat maritimis campis apricis.*

2. V. *tri-radiata.* V. foliis oblongo-lanceolatis, tomentosis; pedunculo terminali, laxo. (Tab. 115.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, foliatus, simplex, tomentosus. Folia sessilia, approximata, ensiformia, tomentoso-pilosa, sub-crenata. Pedunculus longissimus, compositus, racemosus. Pedunculi partiales patentes, pilosi. Flores ad apices pedunculorum. Perianthium polyphyllum, duplici foliolorum serie, calyculati instar. Semi-flosculi radii tres ligulati, fœminei, acuminati, flavescentes. Flosculi disci plurimi, etiam flavescentes, tubulosi, quinque-partiti. Stigma duplex. Pappus nullus. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Utraque Buddleiam repræsentat.

314. Tagetes.

1. T. *porophyllum.* T. caule sub-diviso, foliis quadrijugis cum impari: foliolis ad denticulos pertusis. (Tab. 116.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Existimo hanc speciem esse novam. Radix fasciculata. Caulis herbaceus, orgyalis, ramosus, fistulosus. Rami plurimi, patentes. Folia impari-pinnata, quadrijuga, grave olentia; foliolis lanceolatis, oppositis, dentatis, ad quemvis denticulum poro pertusis: bracteæ pinnatifidæ. Inflorescentia terminalis, racemoso-fasciculata. Perianthium monophyllum, quadridentatum. Corolla composita, tri-radiata. Semi-flosculi tres, tri-crenati, fœminei. Flosculi haud plurimi tubulosi, hermaphroditi. Pistillus antheris longior. Pappus pili aliquot. Tota corolla sulphurei est coloris. *Habitat undequaque, hoc est, mediterraneis æque, ac maritimis, sed his frequentius.* Floret Jan.

2. T. nomine et descriptione caret. (Tab. 117.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Superflua.

3. T. *erecta*. T. caule simplici, erecto; pedunculis nudis, uni-floris. (Tab. 118.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Planta omnibus sat nota, ut in ea describenda diutius immorer. Ubique colitur hortis.

4. T. *patula*. T. caule sub-diviso, patulo. (Tab. 119.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Colitur ubique hortis.

313. Aster.

1. A. *trianthus*. A. foliis cordatis, serratis, quinque-nerviis; floribus ternis, terminalibus. (Tab. 120.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres, orgyalis, ramosus. Rami patentes, oppositi. Folia vix petiolata, cordata, serrata (dentibus remotis) quinque nervia, decussata, declinata. Pedicelli terminales, terni, uniflori. Perianthium imbricatum. Semi-flosculi emarginati, decem, reflexi, flavescentes. Flosculi plurimi, quadridentati. Stamina paulo longiora. Pistillus staminibus æqualis, duplex. Semen turbinatum. Pappus brevissimus. Receptaculum nudum. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Oct.

2. A. *monanthus*. A. foliis lanceolato-oblongis, serratis; pedicello singulari, terminali, unifloro. (Tab. 121.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, teres, pilosus, orgyalis, ramosus. Rami sub-oppositi, patentes. Folia petiolata, lanceolato-oblonga, serrata, opposita, pilosa. Pedicelli solitarii, terminales, uniflori. Perianthium sub-imbricatum. Semiflosculi decem, patentes, emarginati, flavescentes. Pistillus brevissimus. Flosculi ejusdem coloris, tubulosi, quinque partiti. Stamina corollulis longiora, staminibus vero stigma, quod est duplex. Semina turbinata. Pappus nullus. Receptaculum nudum. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Nov.

Syngenesia Polygamia Superflua.

3. A. *mutabilis.* A. foliis amplexicaulibus, lanceolatis, serratis; corollis multi-radiatis. (Tab. 122.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis orgyalis, striatus, teres, fistulosus, simplex. Folia amplexicaulia, lanceolata, scabra, serrata, alterna. Pedunculi terminales, longissimi, laxi, compositi. Flores haud plurimi petiolati. Semi-flosculi octo supra quinquaginta, lineares, emarginati, feminei, albidi. Pistillus minimus. Flosculi plurimi, tubulosi, flavescentes, quadripartiti. Semen oblongum. Pappus brevis. Receptaculum sub-paleaceum. *Habitat maritimis æque, ac mediterraneis, ad loca inaquosa.*

4. A. *fluminensis.* A. foliis lanceolatis, sub-amplexicaulibus; radiis acuminatis. (Tab. 123.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis cubitalis, erectus, teres, sub-ramosus. Folia sessilia, sub-amplexicaulia, lanceolata, tenuiter serrata. Pedicelli bi, vel triflori. Calyx imbricatus. Semi-flosculi plurimi, duplici ordine, plus quinquaginta, lineares, acuminati. Pistillus brevissimus. Stigma divisum. Flosculi plurimi tubulosi, quinque, vel sex dentati. Semina oblonga. Pappus brevissimus. Receptaculum sub-paleaceum. *Habitat silvis mediterraneis ad loca inundata.*

316. Bellis.

1. B. *campestris.* B. foliis serratis, glabris. (Tab. 124.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis palmaris. Folia opposita, petiolata, lanceolata, serrata. Pedunculus terminalis, uniflorus. Semi-flosculi unus supra viginti, tridentati, lutei. Flosculi plurimi. Receptaculum conicum, elevatum, ut in Spilantho, discum galeri simulat. Etiam, ut radii, flavescit. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Sept.

2. B. *pedunculata.* B. pedunculis longissimis. (Tab. 125.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis brevissimus (paulo supra radicem folia emittit) pilosus. Rami

Syngenesia Polygamia Superflua.

aliquot, brevissimi. Folia lanceolata, breviter petiolata, serrata, pilosa, praecedentis angustiora. Pedunculi longissimi (caule triplo, vel quadruplo longiores) pilosi, uniflori. Perianthium simplex polyphyllum. Semi-flosculi septem supra decem, ligulati, emarginati, flavescentes. Flosculi infundibiliformes, multi dentati. Pappus nullus. Receptaculum sub cylindricum, pilosum. Semina turbinata. *Habitat campis apricis transalpinis mediterraneis.* Floret Sept.

3. B. *scandens.* B. foliis quinque lobatis; perianthio squamoso. (Tab. 126.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, multi angulatus. Rami oppositi. Folia opposita quinque lobata (ad modum folii pinnatifidi) lobo supremo productiore, cæteris obtusis. Inflorescentia terminalis. Pedunculi longi, uniflori. Perianthium squamosum, imbricatum, cylindricum. Semi-flosculi septem, bis-crenati, flavescentes. Flosculi infundibiliformes limbo quinque partito. Pappus nullus. Receptaculum conicum, pilosum. *Habitat fruticetis transalpinis.* Floret Jan.

317. Chrysanthemum.

1. C. *umbellatum.* C. foliis verticillatis; pedunculo umbellato. (Tab. 127.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis sesquipedalis, teres, lævis, simplex. Folia breviter petiolata, lanceolata, integerrima, verticillata. Pedunculus solitarius, terminalis, caule paulo brevior. Inflorescentia umbellata. Involucrum pentaphyllum, foliolis lonceolatis. Umbella simplex, novem radiata. Perianthium enneaphyllum, foliolis subulatis. Semi-flosculi duo supra viginti, duplici ordine, integerrimi, flavescentes. Flosculi plurimi, limbo quinque partito. Pappus nullus. Semen turbinatum. Recept. **. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Nov.

2. C. *diffusum.* C. caule sub-repente; foliis serratis; perianthio maximo. (Tab. 128.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Superflua.

OBSERVATIONES.

Caulis repens, teres herbaceus. Rami erecti, pilosi, oppositi. Folia breviter petiolata, lanceolata, serrata, tri-nervia, pilosa, opposita, remota. Pedunculus terminalis, solitarius, uniflorus, longitudine foliorum. Perianthium simplex, polyphyllum, radiis productius. Foliola subulata. Semi-flosculi undecim, integerrimi, obtusi, albidi. Flosculi plurimi, tubulosi limbo quinquepartito. Semina ob-ovata. Pappus nullus. *Habitat maritimis ad littora.*

3. C. *scandens*. C. caule scandente; foliis serratis; semi-flosculos emarginatis. (Tab. 129.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, seu potius declinatus. Rami oppositi. Folia lanceolato-oblonga, breviter petiolata, serrata. Pedunculi axillares, breves, uniflori. Perianthium simplex, polyphyllum. Semi-flosculi quindecim, emarginati, lati, reflexi, flavescentes. Flosculi plurimi, tubulosi, limbo quinque fido. Semen rotundum. Pappus nullus. Receptaculum nudum. *Habitat cum fruticetis maritimis, tum mediterraneis.* Sermone Brasilico dicitur *Cambará*. Editur a quadrupedibus. Floret mensibus calidis.

4. C. *fruticosum*. C. caule fruticoso; foliis ovato-lanceolatis, integerrimis; floribus terminalibus. (Tab. 130.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis erectus, teres, fruticosus, sub-ramosus, bicubitalis. Rami sparsi, patentes. Folia breviter petiolata, ovato-lanceolata, integerrima, decussata, lævia. Pedunculi terminales, terni bracteati. Pedicelli uniflori. Perianthium simplex, polyphyllum. Semi-flosculi duodecim, integerrimi, acuminati, producti, flavescentes. Flosculi infundibiliformes, quinque-dentati. Semen ob-ovatum. Pappus nullus. *Habitat campis fruticetisque mediterraneis.* Floret Jan.

318. Buphthalmum.

1. B. *equinum*. B. foliis oppositis, ovato-acuminatis; caule declinato. (Tab. 131.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus, obtuse quadrangularis, striatus. Rami oppositi, ascen-

Syngenesia Polygamia Superflua.

dentes. Folia petiolata, tenuiter serrata, ovato-acuminata, scabra. Pedunculi terminales, terni, uniflori. Perianthium polyphyllum, duplici vel triplici ordine: foliolis sub-æqualibus. Semi-flosculi quatuordecim ad sexdecim, ad apicem angustati, tridentati. Flosculi plurimi, infundibiliformes, quadridentati. In utrisque stigmata sunt divisa. Receptaculum paleaceum. Pappus nullus. Semina turbinata. Cambara dicitur. A quadrupedibus, præcipue equis avide editur. *Habitat frequentissime silvis mediterraneis recenter excultis; raro maritimis.* Floret Febr.

2. B. *scandens.* B. foliis lanceolato-ovatis, ex asperate serratis; semi-flosculis integerrimis. (Tab. 132.ª T. 8.)

OBSERVATIONES

Cæteris immediate præcedenti omnino coharet Sicuti etiam tempore eflorescentiæ, et loco habitationis.

3. B. *arvense.* B. foliis oblongo-lanceolatis, supra dimidium serratis. (Tab. 133.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caules vix palmares, multi, dimidium lineæ crassi. Rami aliquot brevissimi, oppositi. Folia brevissime, petiolata, oblongo-lanceolata, a dimidio ad apicem remote serrata. Supra axillares dantur gemmæ foliaceæ, stipitatæ, folia quaterna simulantes. Pedunculi terminales, uniflori, vix caule breviores. Perianthium simplex, pilosum, octophyllum, foliolis angustioribus alternantibus, semi-flosculis multo brevioribus. Semi-flosculi productissimi, emarginati, flavescentes. Flosculi decem infundibilif. ventricosi. Stigmata utrisque divisa. Semina turbinata. Pappus nullus. Receptaculum paleaceum. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis prope pagum Boavista.* Floret Sept.

4. B. *littorale.* B. foliis obsolete lobatis; caule diffuso. (Tab. 134.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Caules herbacei, vix lineares, articulati, pilosi, ramosi, teretes, diffusi. Rami ejusdem naturæ. Folia petiolata, lanceolata, obsolete lobata, opposita, pilosa. Pedunculi axillares, longi, erecti, uniflori, pilosi. Perianthium polyphyllum, duplici foliolorum ordine. Foliola lineari-acuminata, pilosa. Semi-flosculi septem, aut novem supra decem, tridentati. Flosculi plurima. Stigmata utrisque divisa. Receptaculum paleaceum. Semen turbinatum. *Habitat maritimis ad littora.* Floret calidis mensibus.

Syngenesia Polygamia Superflua.

5. B. *mediterraneum*. B. foliis quaternis, verticillatis; inflorescentia umbellata. (Tab. 135.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix fasciculata, fibrosa. Caulis herbaceus, erectus, pedalis, crassitie pennæ anserinæ, teres, hirsutus. Folia breviter petiolata, lanceolata, crenata, quaterna, verticillata, approximata, sub-adpressa, pilosa, subtus-reticulata. Pedunculus terminalis, caule paulo longior, hirsutus. Inflorescentia umbellata. Involucrum tetraphyllum. Umbella simplex, novem radiata. Perianthium polyphyllum duplici ordine (sex foliolorum quicumque constans) hirsutum. Semi-flosculi quindecim ad apicem latiores, bis-crenati, aliquantulum reflexi. Flosculi plurimi limbo quinque partito. Semen turbinatum. Pappus pilosus, crassus. Receptaculum planum, paleaceum. Hæsitavi de hujus modi plantæ genere: An Senecio? sed receptaculum paleaceum obstabat: vel Buphthalmum? Sed pappus pilosus non favebat. His positis ab ultimo steti. Quod sit (an ex his nullum?). Sapientiores dicant. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Decembri.

319. Cotula.

1. C. *piper*. C. foliis oppositis, remote serratis; caule procumbente. (Tab. 136.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis repens, ramosus, teres, crassitudine pennæ anserinæ. Rami ejusdem magnitudinis, ac figuræ. Folia petiolata, ovata, remote serrata, subtus reticulata. Pedunculi solitarii, axillares, uniflori, longi. Perianthium decaphyllum: foliolis lineari-acuminatis. Semi-flosculi pauci (6 ad 8) brevissimi, tridentati Flosculi plurimi. Pappus nullus. Semen pilosum, turbinatum. Receptaculum conicum. Hæc planta urit Spilanthi instar. Sed cum in aliquibus character Cotulæ non impleat, an aliud genus? Vulgo dicitur *Nhambarana*. *Maritimis æque ac mediterraneis habitat.* Calidis floret.

320. Eclipta.

1. E. *trinervis*. E. foliis ovato-acuminatis. (Tab. 137.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Superflua.

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, herbaceus, pilosus, sescubitalis. Rami patentes, oppositi. Folia sessilia, ovato-acuminata, trinervia, pilosa, serrata, decussata. Pedunculi terminales, breves, terni, uniflori. Perianthium simplex, polyphyllum: foliolis laxis. Semi-flosculi albidi, octo ad novem, lati, tridentati. Flosculi breviores infundibilif. Semen oblongum. Receptaculum paleaceum. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Oct.

2. E. *quinquenervis.* E. foliis cordatis; perianthio foliaceo. (Tab. 138.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis bipedalis, teres, herbaceus, sub-ramosus. Rami aliquot ejusdem naturæ, ac caulis. Folia petiolata, cordata, decussata, serrata, subtus tomentosa. Pedunculi terminales, terni uniflori, longi. Perianthium tetraphyllum: foliolis cordatis, serratis. Semi-flosculi viginti, minimi, integerrimi. Flosculi productiores, infundibiliformes, limbo quinque-dentato. Corolla composita, semi-globosa. Semen turbinatum paleis duabus coronatum. Pappus nullus. Receptaculum convexum, paleaceum. *Habitat campis apricis mediter. transalpinis prope pagum Cunha.* Floret Dec.

3. E. *palustris.* E. foliis lanceolato-oblongis, remote serratis. (Tab. 139.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, cubitalis, geniculatus. Rami axillares, patentes apicibus nutantibus, plurimi ex eodem geniculo. Folia petiolata, anguste lanceolato-oblonga, remote serrata patentia. Pedunculi terminales (ad apices ramorum, et ramusculorum nutantes. Perianthium simplex, polyphyllum, corollulis productius; foliolis acuminatis. Semi-flosculi plurimi, perianthio breviores, integerrimi. Flosculi semi-flosculis breviores, tubulosi, limbo quinque-dentato, brevissima quædam rudimenta pili exceperis. Receptaculum planum, pilosa. *Habitat ad ripas rivulorum, locaque humentia maritimis.* Floret May.

321. Tussilago.

1. T. *integerrima.* T. scapo nudo, unifloro, foliis lanceolatis, integerrimis. (Tab. 140.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Superflua.

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Folia radicalia, plurima, lanceolata, integerrima, subobtusa. Scapi longissimi, teretes, nudi, plurimi. Perianthium cylindricum, longum, squamosum, corollam exæquans, imbricatum. Corolla composita. Semi-flosculi, seu radii, vix apparentes, ligulati, integerrimi, acuminati. Flosculi infundibilif., quinque-dentati, longitudine calycis. Stigmata divisa. Semen oblongum. Pappus simplex. Receptaculum nudum, sub-concavum. Corollulæ radii albidæ, disci Sulphureæ. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis prope Prædium Boavista.* Floret Dec.

2. T. *reflexa.* T. scapo stipulato, unifloro; foliis lanceolatis, remote ciliatis, radiis reflexis. (Tab. 141.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix sub-tuberosa, in fibrillas divisa, turiones varios, caules squamosos simulantes progignens. Folia radicalia, basi sese mutuo amplexantia, lanceolata, remote ciliata, ad apicem magis quam ad basim ampliata. Scapus longissimus, linearis, solitarius, stipulatus, uniflorus. Perianthium cylindricum, squamosum, imbricatum. Semi-flosculi decem ad quatuordecim, sat apparentes, reflexi, integerrimi. Flosculi infundibilif., quinque-partiti. Semen ovatum, tomentosum. Pappus simplex longitudine vix corollulæ. Receptaculum planum. *Tempore floret, et locis habitat supra laudatis.*

3. T. *caryophyllata.* T. scapo unifloro, solitario: duplici radiorum or line: foliis sub-spathulatis. (Tab. 142.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix supra terram sese attollens caulem simulat. Folia radicalia, petiolata, sub-spathulata, hoc est, ad apicem ampliata, pilosa. Scapus solitarius, nudus, linearis, uniflorus Perianthium campanulatum, squamosum, imbricatum, squamis inæqualibus. Radius duplici ordine semi-flosculorum; 1.° sunt octo supra viginti, semi-flosculi: 2.° unum supra viginti, breviores, ligulati, tridentati. Flosculi plurimi infundibiliformes, quadridentati. Semen rotundum. Pappus sessilis, simplex. Recept. ***. *Tempore floret, et locis habitat supra laudatis.*

4. T. *vaccina.* T. foliis lyratis. (Tab. 143.ª T. 8.)

Syngenesia Polygamia Frustranea.

OBSERVATIONES.

Radix fasciculata. Folia radicalia, petiolata, lyrata, crosa, subtus tomentoso-pilosa, plurima. Scapus longissimus, teres, pilosus, linearis, uniflorus. Perianthium polyphyllum. Flosculi, quos vidi, hermaphroditi (unde Polygamia æqualis) et albidi, sed pappi apices coccinei. *Abunde sine loci, et temporis electione offenditur.* Vulgo dicitur *Lingua de Vacca*, quod a Brasilico sermone *Tapyra-pecá* ortum duxit. Exhibetur frequentissime a rusticanis propter claram ejus vim medicam.

5. T. *patens.* T. foliis lanceolatis edimidio ad apicem crenatis. (Tab. 144.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix crassa in fibrillas divisa. Folia radicalia, lanceolata, edmidio ad apicem crenata, pilosa, plurima. Scapi duo, vel tres, lineares, erecti, pilosi, uniflori. Perianthium cylindricum, squamosum. Semi-flosculi duplici ordine, integerrimi, ligulati, fœminei. Flosculi infundibilif. limbo quinque, vel sexdentato. Semen ob-ovatum. Pappus simplex, pilosus. Receptaculum nudum. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Nov.

SYNGENESIA.
POLYGAMIA FRUSTRANEA.

322. Helianthus.

1. H. *herbaceus.* H. foliis sessilibus, oblongis, remote serratis. (Tab. 145.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis cubitalis, herbaceus, teres, pilosus, simplex, erectus. Folia sessilia, opposita, oblonga, remote serrata, pilosa. Pedunculus terminalis, brevis, uniflorus. Perianthium duplex. Externum monophyllum, quadripartitum, pilosum. Ita internum. Semi-flosculi decem, ligulati, emarginati, flavescentes. Antheræ nigræ. Semen turbinatum. Pappus palearum rudimenta aliquot. Receptaculum non observavi, quando lectafuit. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis prope pagum Cunha.*

Syngenesia Polygamia Necessaria.

2. H. *brasilicus*. H. foliis lanceolatis; perianthio simplici; radiis emarginatis. (Tab. 146.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caules sesquipedales, teretes, pilosi, multi, simplices. Folia breviter petiolata, opposita, integerrima, lanceolata, pilosa. Pedunculus terminalis, uniflorus, pilosus. Perianthium simplex, polyphyllum, pilosum: foliolis linearibus. Semi-flosculi duodecim, longi, ligulati, emarginati, flavescentes. Pistillus nullus. Flosculi infundibilif., limbo quadripartito. Pistillus duplo corolla longior. Pappus nullus; vix aristæ duæ. Receptaculum ***. *Habitat campis apricis mediterrai transalpinis. Offendi prope pagum Boavista.*

SYNGENESIA.

POLYGAMIA NECESSARIA.

323. Pontesia.

Ch. ess. gener.

Recept. paleaceum. Radii flosculosi.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium tetraphyllum: foliolis ovatis, concavis, acuminatis.

Cor. composita discoidea. Flosculi disci hermaphroditi, infundibiliformes, limbo quinque-dentato. Flosculi limbi fœminei infundibiliformes, limbo tri dentato, ab altero latere fisso: tot. quod perianthii foliola, ejusdem magnitudinis, ac flosculi disci.

Stam. hermaphroditis filamenta quinque in tubum cylyndricum connata, nigra. Fœmineis nullum.

Pist hermaphroditis clavatus, vix divisus. Fœmineis ***.

Peric. nullum. Calyx immutatus.

Sem. hermaphroditis nullum. Fœmineis turbinatum. Pappus nullus.

Recept. paleaceum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Antonii da Silva Pontes Mathematici Regii limites America

Syngenesia Polygamia Segregata.

Lusitanæ, præscribentis in Prefectura Matto grosso vulgo denominata. Regiæ Scient. Acad. Lusit., de rebus naturalibus præclare meriti.

Ch. ess. spec.

1. P. *serrata*. (Tab. 147.ª T. 8.)

Ch. nat. spec.

Caul. erectus, fistulosus, lævis.

Ram. oppositi, patentes.

Fol. breviter petiolata, lanceolata, remote serrata, trinervia, opposita, lævia, venis flavescentibus.

Peduuc. racemosi, terminales.

Rac. laxus bracteatus ad exortum pedicellorum.

Habitu Buphthalmo (?) cohæret, et forte eodem nomine Cambarâ a rusticanis salutatur. *Habitat ad radices Alpium Pharmacopolitanarum.*

SYNGENESIA.

POLYGAMIA SEGREGATA.

323 (bis). Elephantopus.

1. E. *cervinus*. E. foliis lanceolatis. (Tab. 148.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Caulis erectus, herbaceus, fistulosus, pilosus. Folia radicalia, et caulina, petiolata, lanceolata, alterna, acute serrata, scabra. Pedunculi axillares, foliati, longissimi, pauciflori. Racemus compositus, laxissimus. Folia involucri tria, integerrima, lata, acuminata, persistentia, absque umbella. Perianthium partiale quadriflorum, imbricatum duplici squamorum ordine, quarum quatuor interiores, longiores, æquales. Flores a flosculis figuram, a semi-flosculis fissuram sumunt; medium inter utrosque tenent. Candidi sunt. Cætera qui desideret, Ch. Linnæi genus adeat. Illius E. tomentosus forte erit? Sed ovata folia characteris specifici novam speciem constituere mihi in caussa fuerunt. Hæc planta Brasilica consuetudine *Suassu-caá*, hoc est, cervorum herba, seu herba, quæ a cervis ad comestionem nimis expetitur, nomen

sumpsit, unde lophi cervini tanto pretio, quanto Lapis Bezoar Asiaticus habentur. Si stentorea voce pollerem, ejus vim medicam extollerem. Dicere satis sit, rusticanis in omnem febrem remedium esse universale. Simplici decocto utuntur. Amara est. A Divina Providentia hoc statutum fuit, nullibi Americanarum gentium, ea carere, nec tempus, nec solum aliquod renuere: ergo ab aliis plantis secundum ordinem æque a natura, et ab arte fuit Segregata.

324. Terrentia.

Ch. ess. gener.

Receptaculum turbinatum. Semina arillo carnoso. Stigma simplex, tomentosum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium commune, polyphyllum, laxum; foliolis ovatis, erectis, duplici ordine. Proprium monophyllum, tubulosum, quinque-dentatum.

Cor. composita, uniformis, Sphæricæ; corollulæ hermaphroditæ, æquales. Propria infundibiliformis, limbo quinque-dentato, erecto.

Stam. filamenta quinque, capillaria. Anthera tubulosa, cylindracea.

Pist. germen cordatum. Stylus filiformis, staminibus longior. Stigma clavatum, simplex, tomentosum.

Per. carnosum.

Sem. solitaria, ob-ovata, arillo carnoso involuta. Pappus nullus.

Recept. turbinatum, nudum, striatum, pedicellatum.

OBSERVATIONES.

In memoriam Joannis Terrentii Lyncei Romani Historiæ Naturalis Hernandi expolitoris.

1. T. *quinque-nervis.* (Tab. 149.ª T. 8.)

Ch. nat. spec.

Rad. longissima, carnosa.

Caul. herbaceus, palmaris, multicaulis, sub-ramosus.

Fol. breviter petiolata, decussata, lanceolato-ovata, tri, vel quinque-nervia.

Infl. terminalis. Pedicelli bini, vel terni, uniflori, breves.

Syngenesia Polygamia Segregata.

OBSERVATIONES.

Corollulæ albidæ. Mihi novum, hujus Syngenesiæ semina arillum habere carnosum. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Jan. Feb.

325. Chresta.

Ch. ess. gener.

Receptaculum spongiosum. Corollulæ segregatæ.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium commune excrescentia, spongiosa ad apicem pedicelli, sub-rotunda, compressa; ubi flosculi inserti. Proprium pentaphyllum, foliolis subulatis, erectis.

Cor. composita, uniformis. Corollulæ hermaphroditæ, segregatæ, tubulosæ, æquales, limbo quinquefido, laciniis patulis, subulatis.

Stam. filamenta quinque, capillaria. Anthera cylindracea, tubulosa, exserta.

Pist. germen ovatum. Stylus filiformis, staminibus longior. Stigmata bifida, declinata.

Per. nullum.

Sem. solitaria, ob-ovata. Pappus pilosus, simplex.

Recept. spongiosum.

1. C. *cordata.* C. caule herbaceo; foliis cordatis; calyce communi spongioso. (Tab. 150.ª T. 8.)

Ch. nat. gener.

Caul. herbaceus, teres, erectus, sub-ramosus, cubitalis.

Ram. patentes.

Fol. cordata, crenata, petiolata, declinata, alterna, albida.

Pedunc. terminales, aggregati, bi, vel triflori, incrassati, ad apicem rotundo.

OBSERVATIONES.

Tempore, quo hæc planta ame observata fuit, jam perianthio communi indigebat: unde si ei erat vel non, mihi ignotum. Corollulæ violaceæ. Pappus

Syngenesia Polygamia Segregata.

pilosus, simplex.. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis inter gramina.* Floret Aug.

2. C. *lanceolata*. C. caule fruticoso; foliis lanceolatis, crenatis. Tab. 159.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-arboreus, teres. Rami sparsi. Folia petiolata, subtus tomentosa. Pedunculi compressi, striati, ad apicem ampliati, rotundo-convexi. Perianthium commune foliosum; sed cum jam deciduum esset, observare nequivi. Corollulæ proprium perianthium habent, sicut in præcedenti segregatum, et receptaculo spongioso immissum. Qui florem novellum viderit, rectius, et accuratius eas describet. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis prope pagum Cunha.*

326. Acantho-sperma.

Ch. ess. gener.

Semen aculeatum. Stigma indivisum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium commune foliola aliquot, caduca, ob-ovata. Proprium **.

Cor. composita æqualis, discoidea. Propria, infundibiliformis, limbo quinque-partito.

Stam. filamenta quinque, capillaria, brevissima. Antheræ cylindraceæ, tubulosæ.

Pist. germen ovatum. Stylus filiformis. Stigma indivisum.

Peric. nullum. Calyx immutatus.

Sem. solitarium, aculeatum. Pappus nullus, si aculens pro pappo non assumatur.

R. columnare, nudum.

Ch. ess. spec.

1. A. *littorale*. (Tab. 152.ª T. 8.)

Rad. fibrosa, oblonga, filiformis.

Caul. herbaceus, teres, diffusus, pedalis, crassitiæ pennæ anserinæ, ramosus.

Syngenesia Polygamia Segretata.

Ram. ejusdem figuræ, et magnitudinis, ac caulis.

Fol. longe petiolata, ob-ovata, ad basim sensim, longeque angustata, ad apicem ampliora, quando quidem denticulos simulantia, sparsa, approximata, albida Brassicæ instar.

Ped. sparsi, breves, nudi, uniflori.

Infl. capitato-spicata.

OBSERVATIONES.

Hæc planta aliam ab alteris hujus classis in efflorescentia habet economiam: nam, ejus flosculi, non simultaneæ, sed successive ab inferioribus incipiendo ita explicantur, ut his semina jamjam perfecta, intermediis flores explicati, supremis postea explicandi sunt. Nullum apud Cl. Linnæum genus offendi, ad quod eam referre judicassem: ideo novum constitui. Ordo debet iterum judicium subire, quod, si tempus ad fuerit, faciendum. A seminibus aculeatis vulgo dicitur *Rozeta-Maritimis* ad littora arenosa habitat. Floret Sept.

327. Crantzia.

Ch. ess. gener.

Perianth. commune polyphyllum; proprium monophyllum. Stigma indivisum, capitatum.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium commune polyphyllum (octodecim) foliolis lanceolatis, integerrimis, laxis. Proprium monophyllum, quadri-dentatum, uniflorum.

Cor. composita, uniformis. Propria infundibiliformis. Limbus quinquepartitus, laciniis linearibus, sub-reflexis.

Stam. filamenta quinque brevissima, ad basim in tubum cylindricum coalita; ad apicem libera. Antheræ globosæ.

Pist. germen turbinatum. Stylus tomentosus, indivisus.

Stigma globosum, tomentosum.

Sem. turbinatum. Pappus nullus.

Recep.

OBSERVATIONES.

In memoriam Joannis Nepomuceni Crantz.

1. C. *ovata*. (Tab. 153.ª T. 8.)

Syngenesia Monogamia.

Ch. nat. spec.

Rad. fasciculata, brevis.
Caul. herbaceus, diffusus, sesquipalmaris, ramosus. teres, lævis, linearis.
Ram. ejusdem figuræ, et magnitudinis, ac caulis.
Fol brevissime petiolata, ovata, serrata, sparsa, lævia.
Ped. terminales, brevissimi, uni, vel triflori.
Infl. capitata.

OBSERVATIONES.

Habitat campis apricis mediterraneis transalp. Floret Mart.

SYNGENESIA.
MONOGAMIA.

328. Lobelia.

1. L. *alpina*. L. foliis lanceolatis, sub-amplexicaulibus; stipulis supra-axillaribus. (Tab. 154.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis erectus, herbaceus, ramosus, palmaris. Folia sessilia, amplexicaulia, lanceolata, alterna, integerrima, patula, acuminata. Pedunc. solitarii, simplices, terminales, spicati, multiflori. Pedicelli breves, stipulati. Perianthium pentaphyllum: foliolis lineari-acuminatis. Corolla tubulosa, quinque-partita, laciniis patulis. *Habitat ad apicem Alpium Pharmacopolitanarum*

2. L. *ensiformes*. L. foliis vaginantibus, ensiformibus, reflexis, integerrimis. (Tab. 155.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, simplex. Folia vaginantia, ensiformia, integerrima nutantia, alterna. Pedunculus terminalis, spicatus, solitarius, simplex, multiflorus, bracteatus. Bractea, si folia non dixeris, ejusdem figuræ, ac foliorum. Pedicelli axillares, foliis seu bracteis brevior. Corolla tubulosa ab altero latere fissa. *Habitat campis apricis mediter.* Floret Jan.

Syngenesia Monogamia.

3. L. *purpurea*. L. foliis lanceolatis, ciliatis; caule declinato. (Tab. 156.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus, teres, glaber, lactescens, sub-ramosus. Folia petiolata, lanceolata, alterna, ciliata. Stipulæ axillares, minimæ. Pedicelli axillares, foliis multo breviores, uniflori, patuli, glabri. Corolla coccinea quinque-partita; laciniis reflexis. *Habitat maritimis, rivulorum præcipue ad ripas.*

4. L. *fistulosa*. L. foliis ob-longis, subtiliter serratis; floribus spicato-comosis. (Tab. 157.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa, fasciculata. Caulis plusquam orgyales, obsolete angulatus, lactescens, fistulosus, fragilis, simplex. Folia sessilia, oblonga, alterna, subtiliter serrata, radicalia, seu quæ ad basim, longissima; caulina, seu quæ ad apicem vergunt, palmaria. Pedunculus longissimus. Flores violacei, undique pedunculum circum ambientes, ad quemvis florem bractea lanceolata subtiliter serrata, vix floribus brevior. Corolla ab altero latere tubifissura, per quam genitalia exserta adspiciuntur. *Habitat medit. loca humentia ad ripas rivulorum.* Floret Feb.

5. L. *ignea*. L. foliis sub-cordatis, serratis; floribus axillaribus, solitariis. (Tab. 158.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, herbaceus, cubitali paulo longior, simplex, teres. Folia petiolata, sub-cordata, serrata, acuminata, alterna, haud longe distantia, patentia. Pedicelli axillares, solitarii, uniflori, foliis breviores. Corolla adunca, limbo quinque-partito, rubro-colorata. *Habitat ad juga Alpium Flumnensium fruticetis.* Floret Feb.

6. L. *fluminensis*. L. foliis ovatis, incisis, oppositis; pedicellis longissimis. (Tab. 159.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus, teres, fistulosus, ramosus. Rami patentes. Folia longe petiolata, ovata, subtiliter incisa, acuminata, opposita. Pedicelli foliis longiores, axillares, solitarii, uniflori. Perianth. parvum, quinque-dentatum. Co-

Syngenesia Monogamia.

rolla tubulosa, limbo quinque-fisso, coccinea. Capsula quinque-angularis, pyramidata, leviter coronata. *Habitat maritimis Alpbasque Fluminensibus.* Floret Jan.

329. Viola.

1. V. *mendanha.* V. caule fruticoso; foliis lanceolatis, serratis. (Tab. 160.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis teres, fruticosus Rami sparsi, patentes. Folia breviter petiolata, lanceolata, crenato-serrata, sparsa, patentissima, lævia, caduca. Pedicelli axillares, foliis breviores, solitarii, uniflori. Perianthium ni fallor) triphyllum: foliolis ovatis. Nectarium corniculatum. Stigma lunatum. Capsulam non vidi. *Habitat fruticetis ad Molendinum Saccariferum Mendanha dictum, in tractu Parochiæ Campo grande.* Floret Apr.

2. V. *suma.* V. caule scandenti; foliis lanceolatis; seminibus alatis. (Tab. 161.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, teres altissimas arbores, conscendit). Rami ejusdem naturæ, et figuræ. Folia breviter petiolata, lanceolata, serrata, patula, alterna. Pedicelli brevissimi, solitarii, axillares, uni, vel biflori. Stipulæ axillares, pinnati-fidæ, brevissimæ. Perianthium monophyllum, quinque-dentatum. Petalum unum, cætera amplius, ad basim utrinque sinuatum. Nectarium calcaratum. Stigma capitatum. Color corollæ est sulphureus cum violacei mixtura. Capsula trivalvis, triangularis, ventricosa, bullata. Multoties magnitudine tria ova gallinacea insimul erecta exsuperat. Semina plurima, ob-ovata, bifariam ad quamvis valvulam longitudinaliter disposita, ala membranacea singula circum eunte. Vulgo dicitur *Sipò Summa.* Radices propter vim Catharticam Rusticani nostrates magni faciunt. *Fruticetis maritimis copiose offenditur.* Floret Aug.

3. V. *lutea.* V. caule declinato: foliis lanceolatis, serratis, floribus fasciculatis, axillaribus. (Tab. 162.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis teres, herbaceus, erectus, ramosus, glaber. Rami alterni, patentes.

Syngenesia Monogamia.

Folia petiolata, alterna, lanceolata, serrata, lævia. Inflorescentia fasciculata, axillaris. Pedicelli breves, nutantes. Perianth. pentaphyllum. Nectarium calcaratum. Petalum unum cæteris amplius, limbo quadri-crenato. Corolla ex flavo-rubra. Capsula parva, obsolete triangularis. Stigma capitatum. *Habitat maritimis ad fruticeta suburbica.* Floret Dec.

4. V. *diffusa.* V. caule diffuso: foliis sub-ovatis: pedicellis unifloris. Tab. 163.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, diffusus, teres, ramosus. Rami divergentes, diffusi. Folia petiolata, sub-ovata, serrata, alterna, acuminata, lævia. Stipulæ hinc, et inde multi angulatæ. Pedicelli foliis breviores, solitarii, axillares, uniflori, cernui. Perianth. pentaphyllum: foliolis supra basim affixis, acuminatis. Nectaria duo, minima, calcarata, persistentia. Corolla violacea, cujus præ aliis petalum unum amplius. Capsula obtuse trigona, brevis. *Habitat campis apricis mediter. transalp.* Floret Nov. *Offendi ad prædium Parição.*

5. V. *exigua.* V. caule herbaceo; foliis lanceolatis, serratis; flore exiguo. (Tab. 164.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, sub-ramosus. Rami sub-diffusi. Folia petiolata, lanceolata, serrata, quandoque terna, alterna, stipulata. Stipulæ hinc, et inde ad petiolæ subulatæ. Pedunculi foliis breviores, axillares, solitarii, uniflori. Perianthium pentaphyllum, foliolis linearibus. Petala vix apparentia præ exiguitate, uno excepto, quod ad limbum crenatum, ad basim hinc, et inde sinuatum, laciniis linearibus. Corolla albida. *Habitat campis apricis medit. transalpinis ad ripas rivulorum.* Floret Nov.

Gynandria Diandria.

GYNANDRIA.
DIANDRIA.

330. Epidendrum.

1 E. *vanilla*. E. foliis (scandens) ovato-oblongis. nervosis, sessilibus, caulinis; cirrhis spiralibus. (Tab. 1.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Flores ex albido-lutei, racemosi, axillares, odoriferi. Cirrhi lineares, compressi, oppositi folii. Caulis scandens. Nullam vidi plantam, quin aliquam radicem terra immissam haberet, quamquam caulis fuisset præmorsus. *Habitat arenosis locis ad littora maris.*

2. E. *ensiforme*. E. culmo bulboso; (caules erecti foliosi), foliis tribus ensiformibus; spadice racemoso, interfoliaceo. (Tab. 2.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Spadix longitudine foliorum. Petala 5 superius brevius. Corolla fulva, punctulis flavescentibus. Labium inferius nectarii petalis amplius, unguiculatum, sub-rotundum, emarginatum, flavescens. *Habitat silvis marit.*

3. E. *galeatum*. E. culmo bulboso; foliis duobus lanceolatis; spadice radicali; labio inferiore nectarii galeato. (Tab. 3.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Culmus bulbosus, multi-striatus, erectus. Folia duo, petiolata, lanceolata, erecta, trinervia. Spadix radicalis (e bulboso culmo non pulutat) longissimus, linearis. Spathæ lanceolatæ. Flores 3 (plus minusve) pedicellati, ex flavo-coccinei. Petala quinque, duo patentissima, longissima, linearia, ad apicem plicata, ad basim antice angulata, angulis superim-positis; duo breviora, erecta, unguiculata, quæ inter labium superius nectarii eriguntur. Nectarium bilabiatum: 1.° in calcar deorsum, et pone petala productum; deinde sursum elevatum galeam rostratam simulans, labium inferius, gentiliaque tegens, eodem colore, quo petala; labium inferius, bis crenatum: siliqua lanceolata, carinata. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

Gynandria Diandria.

4. E. *fimbriatum*. E. culmo bulboso; duobus foliis lanceolatis; pedunculo racemoso. (Tab. 4.ª T. 8.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Racemus confertus. Petala oblonga, laciniata, æqualia, obtusa, ex luteo-rubra. Nectarium bilabiatum, ex albo-coccineum; labium inferius ovale, erectum, lineare, lateribus inflexis, hinc et inde crena singulari ad basim; superius ovatum, reflexum. Pedicelli ejusdem coloris. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

5. E. *ollare*. E culmo bulboso, foliis plurimis (3) lanceolatis; spadice radicali. (Tab. 5.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. rad. Folia petiolis culmum vaginantia. Spathæ vaginantes, oppositæ, breves, strictæ. Racemus cernuus. Flores penduli, ex albo-virides. Petala quinque, ampla, ovata, declinata, cum labio superiore nectarii conniventia. Labium inferius nectarii filamento cylindrico incurvo deorsum protendente; superius corolla valde amplius, sub-rotundum, fornicatum, ad apicem partitum, ore rotundo. Siliquam non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret May.

6. E. *crenatum*. E. foliis duobus sub-radicalibus; ensiformibus; spadice longissimo; inferiore labio nectarii cordato. (Tab. 6.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. Spadix longissimus; spathæ brevissimæ, sub-vaginantes. Racemus laxus. Petala quinque conniventia; tria exteriora lanceolata; duo interiora sub-cuneiformia. Labium inferius nectarii sub-cordatum, ad medium crenæ denticulo acuto. Radices capillares.

7. E. *tripartitum*. E. culmo bulboso; foliis duobus ensiformibus; spadice e medio foliorum; labio nect. inferiore tripartito. (Tab. 7.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radices semi-lineares. Folia augusta bilinearia. Petala quinque lanceolata, patentia. Labium inferius nectarii tripartitum: laciniis lanceolatis.

8. E. *calcaratum*. E. culmo bulboso; folio singulari lanceolato; spadice brevissimo uni, vel bifloro; petalis exterioribus calcaratis. (Tab. 8.ª T. 9.)

Gynandria Diandria.

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Radices sparsæ. Folium breviter petiolatum, ad basim quodam annulo elevato, lato-lanceolatum. Spadix radicalis bulbo paulo longior, uni vel biflorus. Petala quinque erecta; duo anteriora; tria externa basi connata: inferne in calcar conicum protensa; posterius ovatum, concavum: duo interiora linearia, patentia. Labium nectarii inferius ovatum, integerrimum, erectum. Siliquam non vidi. *Habitat silvis maritimis.*

9. E. *secundum*. E. culmo bulboso; folio singulari lanceolato; spadice racemoso, sub-secundo; corolla calcarata. (Tab. 9.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Spadix radicalis, racemosus longitudine foliorum. Flores secundi, antice calcarati, alterni. Petala lanceolata, erecta, apicibus sub-reflexis. Labium inferius nectarii lineare, calcari intromissum.

10. E. *canaliculatum*. E. culmo sub bulboso; foliis ternis, ovatis; pedunculo e medio foliorum, trifloro. (Tab. 10.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Culmus articulatus, erectus, vaginatus, sub-striatus. Folia terminalia, sessilia. Spadix terminalis. Flores amplissimi, ex albo-purpurei. Petala lanceolata, obtusa, patentia, tribus erectis, duobus reflexis. Nectarium curvatum, declinatum, gibbosum. Labium superius cordatum, inferius amplum, lateribus inflexis canaliculum efformans, quo superius tegit, ore tripartito, lacinia intermedia sub-rotunda, undulata. Antheræ quatuor, rotundæ, cernuæ, æquales; loculamentis distinctis.

11. E. *bulbosum*. E. culmo bulboso, pedicellato; foliis ad efflorescentiam ternis, lanceolatis; spadice e medio foliorum, racemoso. (Tab. 11.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Culmus ad apicem, seu foliorum exortum bulbosus. Bulbus lanceolatus. Spadix foliis sub-æqualis, a folio intermedio sub-vaginatus. Spatha nulla. Petala lanceolata, patula. Labium nectarii inferius lato-lanceolatum, integerrimum.

Gynandria Diandria.

12. E. *elegans*. E. culmo incrassato; foliis quaternis, ovali-lanceolatis; spadice e foliorum medio, racemoso. (Tab. 12.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Culmus longissimus, ad apicem crassior. Folia quatuor; duobus patentibus; duobus erectis spadicem tegentibus. Spadix foliis longior, racemo amplo. Petala amplissima, oblonga, ex viridi lutea, punctulis sanguineis, unum erectum, duo patentia, duo declinata. Nectarium labio superiori lineari, inferiore productiore lateribus inflexis canaliculum efficientibus, superius evaginantibus ad apicem tripartito, lacinis lateralibus acutis, brevioribus, intermedia ampliata longiore, emarginata. Petala sunt ex luteo-viridia, punctulis sanguineis notata. L. superius nectarii luteum; inferius albidum, ad apicem purpureum. *Habitat silvis maritimis.*

14. E. *monophyllum*. E. bulbo sub-rotundo, brevissimo; folio singulari; spadice racemoso. (Tab. 14.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus utrinque stipulis duabus, imbricatis, pilosis, supremis, vaginatis bulbo longioribus. Folium lanceolatum, petiolatum, e medio bulbi exortum. Spadix longitudine foliorum, radicalis. Petala lanceolata, flavescentia, supremum ad apicem fornicatum. Labium superius nectarii productius, ad apicem ampliatum, emarginatum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

15. E. *ligulatum*. E. folio singulari, et radicali; corollis tripetalis. (Tab. 15.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Caret culmo, et bulbo. Folium petiolatum, erectum, lanceolatum, radicale. Spadix communis compositus, e basi longitudine foliorum: partiales alterni, breves. Petala tria, brevissima. L. inferius nectarii productius, crenatum. *Habitat silvis maritimis.*

16. E. *bracteatum*. E. foliis tribus, intermedio bulbo innato; lateralibus hinc, et inde radicalibus, solitariis, stipulatis. (Tab. 16.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Singulare est in hac specie, quod tria habeat folia. Interme-

dium lanceolatum, bulbo ovato innatum sine spadice; lateralia hinc, et inde solitaria, radicalia, lanceolata, petiolata, petiolis bulbum, et spadices semivaginantia, quibus etiam stipulæ semivaginantes; et harum cuique singularis spadix: unde singulis individuis spadices quatuor. Spadix racemosus, simplex, longitudine foliorum, stipulatus. Flores alterni, remoti, bracteati. Bractea singularis, lanceolata, concava ad quemvis florem. Corolla tripetala. Petala ovato-lanceolata. Labium superius nectarii appendicibus duobus subulatis; inferius sub rotundum, semi-bifidum. *Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.* Floret Jan.

17 E. *polyphyllum*. E. foliis plurimis bulbo innatis; spadice racemoso, composito. (Tab. 17.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. rad. Bulbus spithamæus, ad extremâ attenuatus, teres, articulatus. Folia bulbo ad apicem innata, plurima (7) nervosa, scariosa, lanceolata, plumaria. Spadix eradice multoties longior, stipulatus. Spathæ alternæ, lanceolatæ, concavæ. Spadices partiales alterni, patentes. Pedicelli alterni, uniflori. Flores flavescentes. Petala 5 ovato-acuminata. Labium superius nectarii bi-cornutum; inferius sub-rotundum, utrinque crenato-sinuatum; longitudine petalorum. *Habitat maritimis, et mediterraneis.*

18. E. *incisum*. E. foliis caulinis, lanceolato-obtusis; spadice terminali, brevi, labio nectarii inferiore fimbriato. (Tab. 18.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. lapid. Culmus erectus. Folia alterna, longissima. Flores ad apicem spadicis approximati. Petala quinque, lanceolata, æqualia, patentia, coccinea. Labium nectarii inferius sub-rotundum, trifidum, sinuatum, laciniis subæqualibus, limbo fimbriato. Siliqua lanceolata, tri-carinata, apice producto, quadrifido. *Habitat ad declivia Alpium Fluminensium supra lapides.* Floret May.

19. E. *candidum*. E. folio singulari bulbo innato, lanceolato; spadice composito. (Tab. 19.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. lapid. Ultra folium bulbo innatum, si est aliud folium cum stipula bulbum vaginante. Bulbus lanceolatus, parvus. Spadix foliis triplo lon-

Gynandria Diandria.

gior, supra dimidium quater divisus, rubro coloratus. Spathæ minimæ, alternæ, amplexicaules, albidæ, non multum distantes. Flores supra divisionem, candili, breviter pedicellati. Corolla tripetala; sed petalis ita connexis, ut monopetala videatur, tubulosa. Petalum superius lanceolatum. Lateralia cum appendiculo ad basim calcar simulante. Lab. sup. nectarii clavatum cum duabus appendicibus filiformibus ad apicem; inferius petalis productius, et amplius, reniforme, crena sinuata ad medium. Siliqua lanceolata, linearis, quadri-carinata. *Habitat silvis marit. Pharmacopolitanis.*

20. E. *gigas*. E. culmo spathis imbricato; foliis plurimis (12 vaginantibus. (Tab. 20.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. rad. Radix fibrosa. Culmus cubitalis, squamis acutis, vel vaginatus, alternatim imbricatus. Folia lanceolata, acuminata, alterna approximata, patentia, scariosa, apicibus reclinatis. Spadix e radice duplo longior. Spathæ lanceolatæ, vaginantes, alternæ, mediocres. Infl. racemosa, composita. Spadices partiales patentes, declinati, plurimi, (9) alterni. Spatha flavescens, maculis rubris notata. Flores alterni, pedicellati. Corolla pentapetala, petalis subrotundis, æqualibus, flavis, maculis rubris notatis. Nectarii labium superius lineare; inferius paulo amplius, ad basim utrinque crenatum. Siliqua lanceolata, sex-carinata. *Habitat silvis Reg. Prænd. S. Crucis.*

21. E. *octandrum*. E. antheris octo. (Tab. 21.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. lapid. Ad bulbum stipulæ putrescentes. Bulbus ovatus. Folia nulla. Spadix longissimus. Spathæ lanceolatæ, adpressæ. Flores terminales, alterni, pedicellati, approximati, ampli, purpurei. Pet. quinque: tria exteriora lanceolata, æqualia, duo interiora, ampliora, ovata. Lab. superius nectarii lineare, ad apicem incrassatum: inferius multo latius, ad apicem ampliatum, trifidum, laciniis lateralibus sub-rotundis; intermedia productiore, apice acutiusculo: utriusque color purpureus; sed in labio inferiore dantur longitudinaliter discurrentes, tres lineæ flavæ, apice acutiusculo terminantes, præter alias breviores. Antheræ octo, flavescentes. *Habitat campis mediterraneis transalpinis.*

22. E. *floridum*. E. foliis geminis bulbo innatis; spadice multifido; nectario incurvato. (Tab. 22.ª T. 9.)

Gynandria Diandria.

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus ovalis, striatus, nudus. Folia lanceolata. Spadix longissimus, ab imis ad apicem, in alios alternatim divisus (14). Flores alterni, flavescentes, maculis rubris. Petala quinque; quatuor suprema, quorum duo lateralia, ob-ovata, conniventia; intermedia duo linearia, arcuata, divergentia; unum pone nectarium, lineare. Nectarii labium superius infra appendiculo arcuato: inferius ob-ovatum. Siliquam non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

23. E. *umbellatum*. E. foliis bulbo innatis, utrinque solitariis; spadice umbellato; corolla dipetala. (Tab. 23.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus ovatus, vaginatus. Folia ovato-lanceolata, nervosa. Spadix longissimus, spiraliter striatus. Infl. sub-umbellata. Flores ex albo-virides. Petala tantum duo, erecta, lanceolata, æqualia. Lab. superius nectarii brevissimum; inferius subulatum, petalis aliquantulum longius, ad basim duabus appendicibus linearibus, reflexis, incurvis. Siliquæ tri-concamerata, sub-ob-ovata. *Habitat silvis medit. transalp.* Floret Jan.

24. E. *humile*. E. folio, et flore singulari, bulbo innatis. (Tab. 24.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus parvus (longus dig. unum). Folium unicum bulbo innatum, paulo longius, ovato-lanceolatum. Flos singularis, coccineus, bulbo innatus, pedicello longitudine folii. Petala quinque lanceolata, æqualia; tria erecta, duo deorsum versus. Lab. superius nectarii breve, concavum; inferius productius, figura, et longitudine petalorum. *Habitat frutiretis Parochiæ Campo grande ad viam publicam australem.* Floret May.

25. E. *aphyllum*. E. caule ramosissimo; floribus, siliquis que sub-verticillatis (Tab. 25.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. cissùs. Ramos, non folia, siliquas, et flores, sed non petala, et genitalia videre solum confuse potui: unde consultum habui ad Gynandriam, et ad Epid. referre eo usque accuratius examinare queam, vel alicui liceat.

Gynandria Diandria.

Facies externa plantæ multum ab Epidendris eam distare docet Nam caulis, et rami sunt lignosi. Flores sessiles, remote verticillato-sparsi. Siliquæ lineares, longæ, adscendentes, verticillatæ, bi-valves, uniloculares, ad apicem bifidæ, lobis divergentibus. Semina plurima, minutissima. Petala, seu genitalia purpurascentia *Mayo eam apud Sacellum Dici Antonii de Joary dictum silvis maritimis offendi.*

26. E. *ruscifolium*. E. culmo unifolio, floribus e sinu folii aggregatis. (Tab. 26.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Culmus linearis longitudine foliorum, stipulatus, vaginatus. Folium singulare ad apicem lanceolatum, ad basim sinuatum. Pedicelli e sinu basis folii aggregati, uni, vel biflori, brevissimi, declinati. Petala quinque, æqualia, lanceolata. Nectarii labia brevissima. Siliqua quinque striata.

27. E. *vespa*. E. foliis bulbo innatis, hinc et inde solitariis; spadice racemoso, laxo; labio nectarii inferiore integerrimo. (Tab. 27.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. ***. Radix horizontalis. Bulbus lanceolatus, pedicellatus. Folia lanceolata. Spadix bulbo innatus inter folia, eorum longitudine, simplex. Pedicelli longi, laxi, e dimidio ad apicem. Petala quinque lineari-lanceolata; supremum productius, ex viridi-alba; lineolis brevibus, atro-sanguineis. Labium inferius nectarii superiore paulo longius, lanceolatum, integerrimum, ex albo flavescens. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

28. E. *papilio*. E. foliis bulbo innatis, hinc, et inde solitariis; spadice racemoso, simplici, ab eodem bulbo ascendente; pedicellis brevibus. Tab. 28.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Spadix ab imo ad apicem floribus, racemosus, strictus, pedicellis brevibus, foliis paulo longior. Corolla quinque petala, lanceolata, ex albido purpurea, tria inferiora petala longiora. Labium superius nectarii brevius: inferius amplius, lato-lanceolatum, integerrimum.

Gynandria Diandria.

29. E. *tetrapetalum*. E. foliis geminis bulbo innatis; corolla tetrapetala; labio inferiore nectarii brevi, inflexo. (Tab. 30.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus longus, lanceolatus. Folia lanceolata. Spadix e radice longissimus. Spadices partiales patentissimi, arcuati, alterni, sensim ad suprema decrescentes. Petala quatuor, supremum, et infimum ob-ovata, e dimidio ad apicem dilute rubro-maculata; lateralia falcata, ex albo flava. Lab. inf. nectarii ob-ovatum, crenatum, flavum, punctulis, ac lineis, (et ad apicem macula purpureis notatum. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

30. E. *inflexum*. E. foliis geminis bulbo innatis; corolla tetrapetala; labio inferiore nectarii brevi, inflexo. (Tab. 30.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Spadix ex bulbo, foliis longior, racemosus, simplex, multiflorus. Corolla quatuor petalis flavescentibus; tria sunt erecta, ob-ovata; infimum pone labium nectarii inferius, supremis amplius, bifidum, ad apicem sinuatum. Lab. inf. nectarii breve, triangulariter inflexum. Siliqua lanceolata.

31. E. *auricula*. E. folio unico bulbo innato; spadice e radice, composito, paucifloro. (Tab. 31.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus sub-rotundus, angulatus. Folia lanceolata. Corolla quinque petala, flava. Petala brevissima, ovato-acuminata. Lab. inferius nectarii petalis productius, ad apicem sensim ampliatum, crenatum.

32. E. *ventilabrum*. E. foliis radicalibus, plurimis, lanceolatis, pedicellatis, unifloris. (Tab. 32.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Planta pumilla. Folia disponuntur muliebris ventilabri instar. Culmo, et bulbo caret. Folia ad basim arcte, et mutuo sese vaginant, ad apicem vero in latera divergunt; unde characterem ejus naturalem sic efformo. Folia radicalia, sessilia, lanceolata. Pedicellus singularis e sinu cujusvis folii, paulo longior, uniflorus. Corolla tripetala, flavescens. Petala brevia, lanceolata. Nectarii labium superius breve: inferius amplius, productius, quinquelobatum; ad basim lobis duobus sinuatis utrinque, petala mentientibus: aliis

Gynandria Diandria.

duobus tantummodo crenatis prope apicem; apex verò, qui 5.um est, vix crenatum. Siliqua sex carinata. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

33. E. *gilvum*. E. foliis geminis bulbo innatis; spadice e radice, racemoso, composito; labiis nectarii brachiatis. (Tab. 33.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus oblongus. Folia lanceolata. Spadix longissimus, compositus. Flores obscure sanguinei. Petala quatuor ob-ovata. Lab. nectarii superius appendiculis lateralibus crucis ad modum; inferius eodem modo, ac figura, apice ampliato, integerrimo, sub-rotundo cum acumine, petalis brevius.

34. E. *uniflorum*. E. foliis geminis bulbo innatis; spadicibus eradice, unifloris. (Tab. 34.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus ovatus, striatus. Folia lanceolata. Spadices longitudine foliorum, spathis alternatim vaginati. Corolla pentapetala, flavescens. Petala ovato-oblonga. Tria suprema erecta, duo lineari oblonga, declinata. Nectarii labia sub-æqualia; superius ad apicem acutum, uncinatum; inferius ad apicem ampliatum, tripartitum. Superius est colorato-purpureum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

35. E. *albidum*. E. folio singulari bulbo innato; foliis solitariis, lateralibus; spadice solitario, laterali. (Tab. 35.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus ovatus. Folia lanceolata. Spadix simplex, racemosus. Flores albidi. Petala quatuor, unum præ aliis longius, lanceolata. Nectarii labium superius lineare: inferius amplum, ad apicem crenatum. *Habitat silvis Pharmacopolitanis maritimis.*

36. E. *lineatum*. E. foliis geminis, ovatis, bulbo innatis; spadice e radice, longissimo, ad apicem composito. (Tab. 36.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus ovalis. Folia ovalia longitudine bulbi. Spadix multo-

Gynandria Diandria.

ties bulbi longitudinem exsuperat. Racemus compositus ad apicem spadicis. Petala quinque, lanceolata, æqualia, parva, flava, lineolis rubris, albisque circulariter, ac transversaliter ad basim labii inf. nect. solitaria, deorsum inclinata. Lab. inferius nectarii productius, unguiculatum, ampliatum, subrotundum, emarginatum. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

37. E. *lyratum*. E. foliis geminis bulbo innatis; spadice e radice, laterali, unifloro; petalis quinque lanceolato-linearibus. (Tab. 37.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus ovali-oblongis. Folia lanceolata. Spadix foliis duplo longior. Petala ex albo-viridia, lineolis transversis rubris notata æqualia, patula. Labium nectarii superius attenuatum; inferius lyratum, seu spathulatum, integerrimum, album, punctulis sanguineis infectum. Siliquam non vidi. *Habitat ad declivia Alpium Fluminensium.*

38. E. *cordatum*. E. foliis tribus bulbo innatis; labio inferiore nectarii sub-cordato. (Tab. 38.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus longus, attenuatus. Folia lanceolata. Spadix racemosus, triflorus, longitudine foliorum. Corolla pentapetala, albida. Petala linearilanceolata, æqualia. Lab. superius nectarii incrassatum, brevius; inferius productius, amplius, cordatum, lineolis septem e basi ad dimidium. Siliquam non vidi. *Habitat ad declivia montium Pharmacopolitanorum.*

39. E. *compositum*. E. foliis culmum vaginantibus; spadice terminali, racemoso, composito; labio nectarii inferiore quadrilobato. (Tab. 39.ª T. 9.)

40. E. *virgatum*. E. culmo foliato; floribus terminalibus; sub-umbellatis; (Tab. 40.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. lapid. Folia alterna, lanceolata. Petioli culmum vaginantes. Pedicelli incrassati. Flores ex-viridi-lutei. Petala quinque lanceolata. Antheræ quatuor. Lab. nectarii superius incrassatum; inferius sub-reniforme.

41. E. *micron*. E. culmis unifoliis, racemis e sinu petiolorum; corollis tripetalis. (Tab. 41.ª T. 9.)

Gynandria Diandria.

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Culmus adscendens, stipulatus, articulatus, ad apicem monophyllus, et monostachios. Stipulæ subulatæ, scariosæ, una ad medium culmum ad basim vaginans, persistens: ad apicem, id est, ad expansionem foliorum, alia sinum cum folio efformans ad spadicis basim. Spadix folio, culmo que longior, simplex, ab imo usque ad summum floribus alternis. Pedicelli breves, rubro-colorati. Corolla tripetala: petalis ovatis, ex viridi-luteis, æqualibus. Utrumque nectarii labium minimum petalorum centro.

42. E. *trilabiatum*. E. foliis radicalibus, ad basim vaginantis; spadice longissimo; nectario quadrilabiato. (Tab. 42.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. lapid. Folia lanceolata. Spadix radicalis, duplo foliis longior, declinatus, supra medium racemosus. Pedicelli remoti, alterni, inflexi. Corolla hexapetala. Petala suprema tria, erecta, lanceolata, ex albo-lutea; infima tria, ampla, sub-rotunda, flava. Nectarium tribus appendicibus sub-linearibus, curvatis constat. *Habitat ad Alpes Fluminenses supra lapides.*

43. E. *ternatum*. E. foliis ternis bulbo innatis; spadice laterali. (Tab. 43.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus ob longus, ad basim utrinque foliolis; spadix e radice. Folia lanceolata. Spadix foliis brevior, racemosus, simplex, pedicellis remotis. Labium inferius nectarii reflexum. Corolla pentapetala. Petala lanceolata; tria erecta, duo declinata. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

44. E. *connivens*. E. folio uno bulbo innato; nectario calcarato, curvato. (Tab. 44.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arb. Bulbus parvus, ovatus. Folia ob-ovato-lanceolata, quinque nervia. Spadix e radice, racemosus, simplex. Flores ad apicem spadicis. Corolla quinque petala Petala lanceolata, tria erecta, duo declinata. Labium inferius nectarii ampliatum, utrinque sub-crenatum, calcaratum, calcare curvato. Siliqua oblonga, cylindrica, carinis sub-spiraliter contortis. *Habitat silvis maritimis Regii Prædi S. Crucis.*

Gynandria Diandria.

331. Orchis.

1. O. *macronectar*. O. bulbo singulari; culmo foliato; calcare longissimo, lineari; labio nectarii inferiore quinque partito; laciniis subulatis. (Tab. 45.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Bulbus solitarius: supra bulbum ad basim culmi radices plurimæ, fibrosæ, bulbum tegentes. Culmus erectus, infra stipulis, alternantim vaginantus; supra foliorum petiolis. Folia petiolata, amplexicaulia, lanceolata, alterna, patentia, imbricantia, nervosa. Spadix terminalis, racemosus, simplex. Corolla quinque petala. Petala tria; supremum lanceolatum; lateralia subulata, arcuata; duo deorsum tendentia, lanceolata. Labium superius nectarii brevissimum; calcare lineari, longissimo; quinque appendicibus linearibus pro labio inferiori. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Januario.

2. O. *styllomisantha*. O. bulbo solitario; culmo foliato; nectario calcarato. (Tab. 46.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Bulbus supra radices, rotundus. Culmus simplex, erectus, vaginantus. Folia ensiformia, culmum petiolis vaginantia. Spadix longissimus, subulatus. Racemus e medio spadicis, triflorus. Corolla 5 petala, petalis ovato-acuminatis, curvatis, conniventibus. Labium nectarii superius oblongum: inferius ad basim conice protensum, calcaris instar: ad apicem vero ampliatum, canaliculatum, crenatum, petalis longius. Siliquam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

332. Serapias.

1. S. *ventricosa*. S. radicibus carnosis; foliis lanceolatis; petalorum apicibus declinatis; labio inferiore nectarii integerrimo, ventricoso. (Tab. 47.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radices bulbosæ, seu potius carnosæ, longissimæ, plurimæ. Folia petiolata, radicalia, lato-lanceolata, plantaginis instar, nitida. Spadix e radice,

Gynandria Diandria.

simplex, spicatus, foliis duplo longior, alternatim spathis semivaginatus, pilosus. Spathæ subulatæ, pilosæ, apice coccineo. Flores sessiles. Petala tria, linearia, subulata, erecta, conniventia, ventricosa, ex viridi-alba, pilosa, pilis albidis; ad fauces coangustata; dein glabra, coccinea, patula, declinata. Labia nectarii colore, ac longitudine petalorum, cum ipsis conniventia, &c. Siliquam non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

2. S. *coccinea.* S. bulbis fibrosis, fasciculatis; spadice aphyllo; nectario inferne sub-calcarato. (Tab. 48.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Bulbi cylindrici, fasciculati Spadix erectus; spathis alternis. Racemus terminalis, simplex. Pedicelli uniflori, alterni, brevissimi. Corolla coccinea, petalis tribus infra coalitis, deorsum protensis gibbum efformantibus. Labium superius nectarii filiforme; inferius lanceolatum. Siliquam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.* Floret Jan.

3. S. *viridis.* S. radicibus carnosis; foliis radicalibus, ovato-acuminatis; spadice racemoso; labio inferiore nullo. (Tab. 49.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radices carnosa. Folia (3) petiolata: petiolis longissimis, rubro-coloratis. Spadix foliis valde longior; spathis alternis, remotis, semivaginantibus. Racemus pauciflorus, simplex. Flores ex viridi-albi. Petala tria sursum conniventia, ad basim antice gibbosa. Labium inferius nectarii, atque siliquam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

4. S. *biflora.* S. radicibus bulbosis; foliis ovatis, nervosis, sessilibus; spadice bifloro. (Tab. 50.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Folia ad basim spadicis quatuor, ovata, multinervia, sessilia. Spadix longissimus, spathis duabus remotis, pilosus. Flores duo, terminales. Petala tria, oblonga, conniventia, ad basim aliquantulum gibbosa, pilosa, ex lucteo-viridia. Labium nectarii inferum trifidum, lacinia intermedia longiore. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.*

5. S. *tomentosa.* S. bulbis fibrosis, fasciculatis; spadice spathis vaginato, aphyllo; labio inferiore nectarii petalis breviore. (Tab. 51.ª T. 9.)

Gynandria Diandria.

OBSERVATIONES.

Bulbi plurimi, longi. Spadix pilosus. Spathæ tubulosæ, vaginantes, alternæ. Racemus pilosus. Corollæ tripetalæ. Petala conniventia, ita ut tubum mentiantur, pilosa. Nectarii labium inferius petaloideum, petalis brevius. *Habitat silvis Pharmacopolitanis ad radices Alpium.*

6. S. *nitida.* S. bulbis fibrosis; foliis lato-lanceolatis; racemo conferto. (Tab. 52.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Folia lanceolata, ad apicem latiora, nervosa. Spadix longior foliis; spathis alternis, vaginantibus. Racemus confertus, ad instar thyrsi. Flores petalis quinque conniventibus per modum tubi, apicibus patulis, et reflexis; ad basim ventricosis. Lab. inferius nectarii ad apicem cordatum, reflexum. Siliquam non vidi. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

7. S. *fasciculata.* S. radicibus bulbosis; nectarii labio inferiore petalis breviore, declinato. (Tab. 53.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Bulbi oblongi. Folia lanceolata, petiolata, radicalia. Spadix longissimus, spathis caducis, lanceolatis, sub-amplexicaulibus. Flores vix petiolati. Petala quinque in tubum conniventia; ad apicem declinata, patula, lineari-lanceolata. Nectarii labia petalis breviora; itidem declinata. Labium inferius amplius. Siliquam non vidi. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

8. S. *congesta.* S. radicibus bulbosis; petalis tribus, subulatis, labio inferiore nectarii petalis longiore. (Tab. 54.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Bulbi plusquam viginti. Folia radicalia, lanceolata, petiolata, ad basim sese mutuo vaginantia. Spadix longissimus, spathis semi vaginatus. Racemus floribus sub-secundis. Flores parvi, tripetali. Petala subulata, conniventia. Lab. inferius nectarii petalis productius, amplius. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

9. S. *pumila.* S. bulbis fasciculatis; foliis lanceolatis; spadicibus plurimis, spicatis; floribus minimis. (Tab. 55.ª T. 9.)

Gynandria Diandria.

OBSERVATIONES.

Bulbi plurimi. Folia bulborum longitudine vix petiolata. Spadices multo longiores, spathis subulatis vaginati; floribus e dimidio ad apicem sessilibus. Petala quinque brevissima, rotunda. Nectarii labia vix apparentia. *Habitat silvis mediterraneis supra verticem Alpium Fluminensium.*

10. S. *polyaden.* S. bulbis fasciculatis; foliis trinerviis; spadice solitario, ad apicem pedicellorum multi-glandulato. (Tab. 56.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Bulbi plurimi. Folia lanceolato-ovata, trinervia, petiolata, radicalia, ad basim sese mutuo vaginantia. Spadix solitarius, longissimus, spathis vaginatus. Flores alterni, remoti, pedicellati. Pedicelli ad apicem glandulis in orbem positis. Petala quatuor, æqualia, subulata. Labium inferius nectarii ad apicem ampliatum, erenatum. *Habitat silvis maritimis.*

11. S. *aphylla.* S. bulbis fasciculatis; spadice aphyllo; nectario ventricoso, calcaris instar. (Tab. 57.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Bulbi plurimi. Spadix longissimus, spathis vaginatus tubulosis, alternis, remotis. Flores ad apicem, pedicellati, alterni, declinati. Petala quinque; tria superiora conniventia in tubum; duo declinata supra nectarium. Labia nectarii lata, truncato-crenata; ad basim vero ventricosa, rotunda appendicibus supra ad utrumque latus solitariis, lineari-falcatis, petala mentientibus; antrorsum rostro conico, erecto. *Habitat fruticetis mediterraneis supra alpinis.*

333. Ophrys.

1. O. *campestris.* O. bulbo singulari; spadice unifloro; flore axillari. (Tab. 58.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Itineratione quadam ad oppidum Cunha campi inter gramina hanc speciem offendi, quæ, cum bidens non adesset, sine bulbis (si ei erant) eradicata fuit. En character naturalis. Radix ***. Spadix erectus, simplicissimus. Spathæ sessiles, amplexicaules, concavæ, ensiformes, patentes, alternæ, nervosæ, me-

Gynandria Diandria.

diocres. Flos axillaris, solitarius, pedicellatus. Corolla petala 5, lineari-lanceolata, conniventia, declinata, æqualia, violacea. Labium superius nectarii incrassatum; inferius petalorum instar. Siliquam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis prope pagum Cunha.* Floret Oct.

2. O. *arachnoides.* O. spadice erecto; floribus axillaribus, solitariis; nectario quinque fido, araneam mentiente. (Tab. 59.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radix bulbis duobus, oblongis. Spadix aphyllus. Spathæ amplexicaules, sessiles, sub-patentes, subulatæ. Flores sub-sessiles, axillares, solitarii, alterni, quatuor, aut paulo plus. Petala quatuor: unum præ aliis amplius, sub-rotundum, quod supra stat; tria deorsum protensa; quorum duo minora, lanceolata: intermedium lineare lateralibus longius. Nectarium araneam refert crura quatuor habentem opposita; duo antica plana, sub-curvata; postica filiformia, et eodem modo ascendentia: et ultimo caudam linearem cruribus longiorem. Antheræ inter crura antica oculos mentiuntur. Nomine alio triviali usus fui; quia nostræ Ophrys nectarii figura Tournefortianæ non congruere videtur. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis prope prædium Boarista.* Floret Jan., et Febr.

3. O. *arachnis.* O. calmo foliato; floribus confertis, spicatis; nectario octopartito, araneam referente. (Tab. 60.ª T. 9.)

OBSERVATIONES

Incuria forte fossoris, sine aliquo bulbo hæc planta ad manus meas pervenit. Radix fibrosa. Culmus ad basim foliis brevioribus imbricatus, erectus, simplex, foliatus. Folia sessilia, amplexicaulia, lanceolata, nervosa, apicibus patulis. Spica terminalis, oblonga, conferta. Petala tria, ovata, æqualia, viridia: unum superum: duo lateralia. Nectarium araneam refert. Septem crura habentem æqualia, filiformia, quatuor antrorsum, tria retrorsum divergentia; præterea appendix deorsum subulata cruribus productior caudam simulat. Siliquam non vidi. *Habitat loco paulo supra citato, et iisdem mensibus floret.*

4. O. *argentea.* O. culmo ad basim foliato, foliis lanceolatis, nectario cyathiformi. (Tab. 61.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radix carnosa (bulbum non vidi: radix crepuit, cum planta evulsa fuit.)

Gynandria Diandria.

Culmus linearis, brevis, foliatus ad basim. Folia petiolata, lanceolata, septem nervia, nervis candidis, alterna, pauca (4). Spadix terminalis, simplex, pilosus, longissimus, spatha vaginata. Flores racemosi ad apicem. Corolla petala tria, æqualia, lanceolata: intermedium utrinque crenatum: lateralia integerrima, divergentia. Nectarium cyathiforme, emarginatum. *Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.*

334. Cypripedium.

1. C. *rittatum*. C. foliis plurimis, ensiformibus, radicalibus; spadice e centro foliorum. (Tab. 62.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. lapid. Caret culmo. Folia canaliculata, ad basim mutuo vaginantia, patentia, declinata, acuminata. Spadix longissimus. Spathæ alternæ, vaginantes, imbricatæ, ensiformes, acuminatæ. Flos singularis, (aliquando bini ad apicem. Corollæ petala quinque; 3.ia erecta, lanceolata, intermedium productius; duo autem filiformia, crenata, ad basim petali intermedii exorta; unum quodque ad suum latus deorsum tendens. Nectarii labium superius breve, cordatum; inferius pendulum, concavum, didymum, maximum, ovale. Hiatus oris magnus. Datur in aliqua specie varietas, nam hiatus oris multo brevior; et non est didymum. Quæ iterum examinari debent, ne forte alia species? *Habitat ad verticem Alpium Fluminensium, qua iter fit ad oppidum Cunha.* Floret Jan.

2. C. *cothurnum*. C. foliis plurimis, lanceolatis, bulbo innatis; spadicibus racemosis; labio inferiore nectarii cavo ad apicem (Tab. 63.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. rad., et arb. Radices carnosæ. Bulbus vaginatus stipulis. Folia sex spadice breviora. Spadices tres articulati, erecti. Spathæ breves, vaginantes. Flores terminales, pedicellis sub-oppositis. Petala quinque, ovato-acuminata, æqualia; tria externa latiora. L. superius nectarii breve, conico-truncatum; inferius maximum, ovale, cavum, petalis duplo longius, hiatu amplo. Omnia colorato-viridia. Siliqua lanceolata, pendula, sex-carinata, petalis coronata. Bulbus mucilaginem glutinosam ad coria, lignaque agglutinanda optimam præstat. Vulgo dicitur *Sumaré*. *Habitat tum maritimis, cum mediterraneis.* Jun. florem fert.

Gynandria Diandria.

3. C. *epidendricum*. C. foliis bulbo innatis, petiolis caulem mentientibus; spadice radicali, ad apicem racemoso; labio inferiori nectarii ad apicem cavo. (Tab. 64.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. lapid. rad. que. Bulbus compresso-rotundus. Petioli mutuo se vaginantes, longissimi. Folia lanceolata, quinque, patentia. Spadix solitarius, e latere bulbi, spathis alternis, remotis, foliis longior. Racemus simplex ad apicem. Corolla pentapetala. Petala tria exteriora, erecta, lanceolata, viridi-purpurea, duo interiora dimidio breviora, ex-albido-purpurea, erecta. Lab. superius nectarii lineare, ad apicem ampliato-acuminatum; inferius ad basim deorsum productum, cavum; ad apicem lateribus erectis, medio reflexo, intus palato denticulato. Siliquam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

4. C. *socco*. C. foliis variis bulbo innatis; spadice racemoso, labio superiore nectarii barbato; inferiori ad apicem cavo. (Tab. 65.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. rad., Lapid. que. Bulbus longissimus, crassus, stipulatus. Folia lato-lanceolata. Spadix simplex, foliis longior, ad apicem racemosus. Flores ex albo-virides. Petala quinque, ovata, ad apicem sub-concava, æqualia. Lab. superius nect. subulatum, appendiculis utrinque solitariis, filiformibus; inferius cordatum, planum, latius, ad apicem attenuatum, cavum, obtusum, limbo denticulato. *Habitat maritimis.*

GYNANDRIA.

TRIANDRIA.

333. Sisyrinchium.

1. S. *cæruleum*. S. foliis ensiformibus; petalis integerrimis. (Tab. 66.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radix ***. Caulis simplicissimus, erectus, foliatus. Folia ensiformia, alterna, vaginantia: duo longissima, cætera brevissima. Flos solitarius, termina-

Gynandria Triandria.

lis. Petala sex, ovata, erecta, acuta, cærulea. Antheræ lineares sub-sessiles, cæruleæ. Stigma trifidum, cæruleum. Capsulam non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis ad rivulos.* Floret Febr.

2. S. *crenatum.* S. foliis subulatis; petalis utrinque crenatis, emarginatis. (Tab. 67.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Caulis simplicissimus, erectus, stipulatus, longissimus. Flores terni, remoti. Petala sex, lanceolata, utrinque, crenata, emarginata, flava, punctulis rubris. Filamenta staminum filiformia usque ad divisionem styli. Antheræ lineares, nigræ. Stylus trifidus. Stigmata sex, subulata, hoc est, gemina ad quamvis laciniam. Capsulam non vidi. *Habitat loco supra citato. Eisdem mensibus floret.*

3. S. *fluminense.* S. foliis ensiformibus; petalis inæqualibus. (Tab. 67.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Folia ensiformia, radicalia, plurima. Scapus longitudine foliorum, seu paulo longior. Pedicelli erecti, fasciculati, unifiori, spathulati. Spatha ensiformis. Petala sex: 3.ia ampla, rotunda, emarginata: 3.ia alterna, lanceolata, ad apicem ampliata, acuta. Stamina tria, totidem antheris linearibus nigris. Stigmata tria, simplicia, linearia, flava, staminibus paulo longioribus. Capsulam non vidi. *Habitat maritimis, et mediterraneis* Colitur etiam hortis ob præstantem vim medicam, quam est prædita. Est emetica, atque cathartica. Vulgo dicitur *Maririssò*, quod nomen etiam nunc apud Lusitanos retinet.

4. S. *aureum.* S. caule aphyllo; stigmatibus bilamellatis. (Tab. 68.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radix sub-bulbosa. Caulis erectus, stipulatus. Corolla petala sex, æqualia, flavescentia, sub-crenata, ampla. Stigmata bilamellata. *Habitat campis mediterraneis transalpinis.*

GYNANDRIA.
PENTANDRIA.

336. Passiflora.

I. FOLIIS INDIVISIS.

1. P. *pallida*. P. foliis indivisis, ovatis, integerrimis; petiolis bi-glandulosis. (Tab. 69.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Petala albida, nectariumque. Germen intra staminum filamenta sessile. Perianthii apices ad dorsum quadam extensione filiformi. Vulgo dicitur *Sururù* etiam *maracujà dos morcegos*. *Habitat fruticetis maritimis ad loca arenosa.* Floret Aug.

2. P. *arvensis*. P. foliis indivisis, ovato-oblongis; petiolis eglandulatis. (Tab. 70.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Cum hanc speciem offendi, jam infructu erat. Stipulas, involucrum, cæteraque non habebat. Bacca ampla, turbinata. *Crescit silvis maritimis. Sururù-assù* dicitur. Inedulis est.

3. P. *mediterranea*. P. foliis ovatis; petiolis multi-glandulatis; involucro triphyllo, amplo. (Tab. 71.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Involucrum triphyllum, cordatum, coccineo-coloratum, corollæ longitudine. Perianthium, petala que ex albo-coccinea. Nectarium simplex. Stipula ob cordata, amplexicaulis, utrinque solitaria. Glandulæ ad petiolos utrinque quatuor, et amplius, basi, et apice singularis, medio binæ. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.* Floret Oct.

4. P. *maliformis*. P. foliis indivisis, cordato-oblongis, integerrimis; petiolis bi-glandulosis; involucris integerrimis. (Tab. 72.ª T. 9.)

Gynandria Pentandria.

OBSERVATIONES.

Radii exteriores nectarii corolla longiores, albidi, quinque maculis atropurpureis. Caulis quadrangularis, ala membranacea. Petioli glandula supra medium utrinque. Stipula integerrima, lanceolata. Bacca edulis. Ex caule hortulani xistos conficiunt. Folia vi medica magni æstimantur; de qua Piso consulendus. *Habitat maritimis, et mediterraneis.*

5. P. *silvestris*. P. foliis lanceolatis, indivisis; petiolis eglandulatis. (Tab. 73.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Nectarium violaceum, præcedentis longius. Filamenta staminum ad medium pistilli columnaris. Stamina reflexa. Stipulæ semicordatæ, utrinque ad petiolos solitaria, amplexicaules. Cirrhus convolutus. Glandulas non observavi. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Oct.

6. P. *ovalis*. P. foliis indivisis, lanceolatis, bi glandulosis; fructu ovali. (Tab. 74.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Præter glandulas, quas hinc, et inde lateraliter infra dimidium petioli, ad basim conjunctim tres habet. Cirrhi brevissimi. *Habitat fruticetis maritimis.* Bacca inedulis, racemosa, terminalis.

7. P. *quadrangularis*. P. foliis ovatis, indivisis; petiolis quadri-glandulosis; caule quadrangulari. (Tab. 75.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Glandulæ binæ ad basim; binæ supra dimidium petioli. Stipula hinc inde axillaris, ab altero latere tridentata, lanceolata, parva. Involucrum parvum, ovato-acuminatum. Bacca lanceolata, edulis. *Habitat tum maritimis, cum mediterraneis.*

II. FOLIIS BILOBIS

8. P. *rubra*. P. foliis bilobis, quinque-nerviis, basi emarginatus; lobis divaricatis. (Tab. 76.ª T. 9.)

Gynandria Pentandria.

OBSERVATIONES.

Eglandulosa. Stipula minima, infra axillaris, ad medium latitudinis caulis, subulata, glandula videtur. Ad apicem loborum, et ad medium crenæ inter lobos setula filiformi. Flores violacei, terni: laciniis calyce angustioribus. Bacca ovalis. *Habitat silvis maritimis.*

9. P. *bilobata*. P. foliis bilobis, basi emarginatis, lobis obtusis; setula inter lobos. (Tab. 77.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Eglandulosa. Stipulæ ad latera, solitariæ, subulatæ. Caulis, foliaque pilosa. Folia trinervia. Petala calyce angustiora, brevioraque. Involucrum nullum. Baccam non vidi. *Habitat maritimis.*

10. P. *pertusa*. P. foliis bilobis, pertusis; petiolis eglandulatis, lobis vix curvatis. (Tab. 78.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Nec florem, nec baccam vidi. *Habitat collibus ad littora maris prope urbem.*

11. P. *lunata*. P. foliis bilobis, trinerviis; bacca lanceolata. (Tab. 79.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Petioli carent glandulis, lobi pilis. Inedulis. *Habitat campis mediterraneis transalpinis.* Floret Jan.

12. P. *obtusa*. P. foliis bilobis, obtusis, divaricatis, utrinque ad basim sub-crenatis. (Tab. 80.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Eglandulosa. Stipulis, involucro caret. Bacca sphærica. Florem non vidi. *Habitat maritimis silvis Regii Prædii S. Crucis.*

13. P. *porophylla*. P. foliis bilobis, pertusis; floribus racemosis, axillaribus. (Tab. 81.ª T. 9.)

Gynandria Pentandria.

OBSERVATIONES.

Eglandulosa. Folia poris incertis pertusa. Folia ad loba, et ad crenam setula pilosa. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

III. FOLIIS TRILOBIS.

14. P. *olivæ formis.* P. foliis sub-trilobis, intermedio longiore; petiolis biglandulatis. (Tab. 82.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Glandulæ subulatæ, oppositæ, ultra medium petioli. Flores solitarii, vel bini. Folia aliqua basi emarginata. Involucrum minimum stipulas simulans. Radii nectarii perianthio breviores. Bacca minima, ovalis. *Habitat maritimis.*

15. P. *violacea.* P. foliis trilobatis; lobis sub æqualibus; poris glandulosis, oppositis ad basim sinûs loborum. (Tab. 83.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Petioli glandulosi. Glandulæ alternæ. Folia ad basim emarginata. Stipulæ oppositæ, lanceolatæ, erectæ, integerrimæ, amplæ. Pedunculi longissimi, uniflori. Involucrum triphyllum, foliolis lanceolatis. Perianthium oblongum ad dorsum laciniarum prope apicem seta subulata, longissima. Radii externi nectarii reflexi: corolla violacea. Pistillus columnaris, duabus membranulis tectus; alia exteriore, interiore altera, et longiore conum truncatum repræsentantibus. Bacca lanceolata, oblonga. *Habitat silvis maritimis.*

16. P. *globosa.* P. foliis trilobatis; lobo intermedio longiore, petiolis biglandulosis; bacca minima, globosa. (Tab. 84.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Glandulæ oppositæ ad apicem petiolorum. Stipulæ lineares, ad apicem dilatatæ. Involucro caret. Folia trinervia, glabra. Pedicelli solitarii, aut gemini. Corolla calycina, ex luteo-albida. Semina minutissima. *Habitat fruticetis mediterraneis prope prædium Boavista.* Floret Jan.

17. P. *fœtida.* P. foliis trilobis, cordatis, hirsutis; involucris multifidis, capillaribus. (Tab. 85.ª T. 9.)

Gynandria Pentandria.

OBSERVATIONES.

Caulis hirsutus, unctuosus. Folia cordato-trilobata, hirsuta, ciliata, setulis exsertis aliquantulum crassiusculis ad extrema nervorum. Stipulæ penicillatæ, oppositæ glandula terminali. Involucrum triphyllum: foliolis multifidis, setulis capillaceis, oppositis, apicibus glandulosis. Bacca rotunda, involucro tecta. Glandulæ sunt excretoria vasa cujus dam olei, quo planta tota redditur unctuosa, et fœtida. *Habitat fruticetis, et campis maritimis.*

18. P. *villosa*. P. foliis cordatis, trilobatis, serratis, hirsutis; stipulis, involucroque multi angulatis, serratis. (Tab. 86.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis hirsutus. Stipulæ oppositæ, multi angulatæ, hirsutæ, lanceolatæ. Petioli eglandulosi. Involucrum maximum foliolis lanceolatis, multi angulatis. Corolla albida. Radii nectarii ad medium purpurea macula. *Habitat silvis maritimis.*

19. P. *sururuca*. P. foliis trilobatis, serratis, basi emarginatis; petiolis sex glandulosis; caule tomentoso. (Tab. 87.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Glandulæ oppositæ. Stipulæ petiolatæ, trifidæ, brevissimæ. Pedunculi longissimi. Involucrum foliolis lanceolatis, serratis Caulis tomento rufo tectus, foliaque subtus. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.*

20. P. *edulis*. P. foliis trilobatis, sinuatis, serratis; petiolis bi-glandulatis; involucro serrato. (Tab. 88.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radii nectari reflexi, petalis breviores. Glandulæ ad apicem petiolorum prope ad expansionem foliorum. Stipulæ subulatæ, brevissimæ. Pedunculi breves. Petala albida. Bacca flavescens, edulis. Foliis utuntur ad varia remedia. *Habitat maritimis, et mediterraneis.* Floret Dec. Jan.

21. P. *diaden*. P. foliis trilobatis, sinuatis, serratis; petiolis et simibus foliorum glandulis binis oppositis. (Tab. 89.ª T. 9.)

Gynandria Pentandria.

OBSERVATIONES.

Folia ampla, basi emarginata; et utroque sinuloborum ad limbum glandulæ oppositæ, solitariæ. Ad apicem petioli glandulæ binæ, convexæ, oblongæ. Pedunculi brevissimi. Involucrum laciniatum laciniis subulatis. Radii nectarii breves. *Habitat silvis maritimis.*

22. P. *tetraden.* P. foliis lobis tribus obsoletis, quinque nerviis, petiolis hinc inde bis glandulatis. (Tab. 90.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Stipulæ semi-cordatæ, sub-amplexicaules. Involucrum triphyllum, integerrimum, cordatum. Radii nectarii longitudinem petalorum ad æquant. Baccam non vidi. *Habitat silvis maritimis prope urbem.* Floret Nov.

23. P. *polyaden.* P. foliis trilobis, pilosis; stipulis filiformibus, glandulatis. (Tab. 91.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Petioli glandulis quatuor inordinata positis. Aliquandiu glandula hinc, et inde ad sinum loborum foliorum. Folia integerrima. Stipulæ ovato-acuminatæ. Involucrum parvum, ovatum. Perianthium, petalaque coccinea. Inflorescentia racemosa, terminalis. Bacca ovalis. *Habitat collibus maritimis prope urbem.* Floret Nov.

25. P. *dentata.* P. foliis trilobis; quinque nerviis, dentatis; floribus solitariis. (Tab. 93.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Stipulæ semi-cordatæ, sub-dentatæ. Perianthium, petalaque subulata. Stylus columnaris, longissimus. *Habitat collibus maritimis prope urbem.* Floret Nov.

337. Mateatia.

Ch. ess. gener.

Calyx coloratus; bacca unilocularis, polysperma.

Gynandria Pentandria.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium monophyllum, quinque partitum, rubro-luteo-coloratum; laciniis lanceolatis.

Cor. nulla.

Stam. filamenta nulla. Antheræ quinque, sessiles stylo columnari.

Pist. germen inferum. Stylus columnaris, filiformis. Stigma rotundum.

Per. bacca lignea emedio ad apicem ab altero latere bis carinata, unilocularis.

Sem. plurima (9) sub rotunda, lateri carinato ad hærescentia.

OBSERVATIONES.

In memoriam Julii Mateati Regii Botanici præfecti.

1. M. *curiosa.* (Tab. 94.ª T. 9.)

Ch. nat. spec.

Caul. arboreus, teres.

Ram. ascendentes.

Fol. petiolata longissime, quinque lobata, sinuata, basi emarginata, ad apicem congesta.

Infl. racemosa. Pedunculi longissimi, nutantes, sub-compositi, terminales, aggregati.

OBSERVATIONES.

Perianthium est coloratum: externe coccineum; intus vero ad limbos flavescens, ad centrum iterum coccineum. Bacca maxima, externe tomentosa. Caret pulpa. Semina ab aliquibus comeduntur. Nomine *cacaà silvestre* arborem salutant, sed indiginæ coaxixa dicunt. *Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis.* Floret Febr.

GYNANDRIA.

HEXANDRIA.

338. Aristolochia.

1. A. *orbiculata*. A. foliis cordato-orbiculatis, petiolatis; floribus solitariis. (Tab. 95.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis suberosus. Stipula cordato-subrotunda, amplexicaulis. Petioli longissimi. Floris fætor origo nominis fuit ab indigenis impositi huic plantæ, hoc est; *Anhanga puturá*, quod latine interpretatur— cyathus diaboli— *coffo do diabo*. Aliud nomen audivit Marcgravius, id est, *Ambuyacembo*. Est frequentissima silvarum nostrarum habitatrix.

2. A. *odoratissima*. A. foliis cordatis; caule volubili, fruticoso; pedunculis solitariis; labio corollæ producto. (Tab. 96.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Radix odora. Caulis, foliaque subtus sub-tomentosa. Corollæ labium ultra medium ad apicem hirto-setaceum. Capsula sex-angularis. *Habitat maritimis, et mediterraneis.*

3. A. *appendiculata*. A. foliis trilobatis, basi sub-emarginatis; labio corollæ appendice lineari longissima. (Tab. 97.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Lobus intermedius folii aliis productior. Stipula sub-rotunda. Corolla respectu corollæ præcedentium parva, sed labium corollæ ad apicem propa-

gatur in appendicem linearem, nutantem, bi palmarem. *Habitat silvis maritimis.*

4. A. *oblonga.* A foliis cordato-oblongis; corollæ tubo minimo. (Tab. 98.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Tubus corollæ A. odoratissimæ est turbinatus, hujus vero oblongus. Labium corollæ vix hirtum, sed ab utroque latere breviter propagatur appendix solitaria, subulata. *Habitat silvis maritimis.*

5. A. *reniformis.* A. foliis cordato-reniformibus; labio corollæ intus glabro, acuminato. (Tab. 99.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Folia petiolata, duplo latiora, quam longa. Corolla alba, labio acuminato. Haud parum ab A. peltata differt. *Habitat collibus maritimis prope urbem.* Floret Nov.

GYNANDRIA.

DECANDRIA.

339. Helicteres.

1. H. *barvensis.* H. foliis cordato-serratis; capsulis contortis, apicibus rectis. (Tab. 100.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami alterni. Folia alterna, decidua, petiolata. Flores bini axillares, terminalesque. Petala quinque, supra basim utrinque angulata; cum recentia sunt, flavescentia, antiqua coccinea. Capsulæ ad basim contortæ, ad apicem rectæ. *Habitat fruticetis mediterraneis prope prædium Encruzilhada — via publica, qua ad oppidum Cunha iter fit.* Floret Nov.

2. H. *isora.* H. decandria: foliis cordato-serratis; fructu toto contorto. (Tab. 101.ª T. 9.)

Gynandria Polyandria.

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami sparsi, patentes. Folia petiolata, pendula. Pedicelli longissimi, sparsi, uniflori. Corolla purpurea, petalis reflexis, sub-linearibus. *Habitat maritimis, præcipue fruticetis Parochiæ vulgo dictæ Campo grande ad viam regiam.* De vi medica harum plantarum consulendus Rajus. Floret Aug.

GYNANDRIA.
POLYANDRIA.

340. Arum.

1. A. *dracontium*. A. foliis pedatis; foliolis lanceolatis, integerrimis, æquantibus spatham, spadice longiorem. (Tab. 102.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Acaule. Folium singulare, spadice longius, utrinque septem laciniatum: laciniis lanceolatis, integerrimis. Spadices bini. Spatha solitaria. Tum petiolus, cum spadix, sunt albidi, nigro-maculati, maculas Serpentis *jararaca* simulantes, id circo ab incolis eodem vocabulo nominatur; et forte ex principio signaturæ nigro calculo notato, contra serpentum ictus felici cum eventu exhibent. Radix tuberosa. *Habitat maritimis ad loca humida.*

2. A. *pentaphyllum*. A. foliis quinatis. (Tab. 103.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Acaule. Folia radicalia, quatuor, petiolata, composita, digitata: foliolis quinque lanceolatis, supremis majoribus. Spadix solitarius, foliis brevior, erectus. Radix fibrosa. Petioli ad basim sese mutuo vaginantes. *Habitat silvis maritimis mediterraneis. Deprehendi ad ripam rivuli a prælio Boarista scaturientis.* Floret Nov.

3. A. *colocasia*. A. foliis peltatis, ovatis, repandis, basi emarginatis. (Tab. 104.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Acaule. Vulgo dicitur *Inhame*. Folia cordata, maxima. Radix tuberosa,

Gynandria Polyandria.

maxima. *Sponte locis humidis habitat.* Brasiliæ incolæ, qui ab insulis Tertiariis sunt oriundi, solo sicco A. colocasia colunt ad acrimoniam plantis aquaticis propriam perdendam, et ut sapidior radix evadat. Sed non obstante hac præcautione ut tutius comedant, unius diei spatio decuquunt.

4. A. *esculentum.* A. foliis peltatis, ovatis, integerrimis, basi emarginatis. (Tab. 105.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Acaule. Radix bulbosa. Folia decocta eduntur, ideo Brassicæ Brasilicæ nomen ab Exteris promeruit. Radices etiam bene coctæ sunt edules, at si male, fauces acrimonia pungunt. Brasilicum nomen *Taya-oba* audit, quod interpretari potestarum edule. Colitur hortis, unde forte mitius factum fuit. Nec mihi in mentem venit, si alicubi sponte natum offendi.

5. A. *nigrum.* A. foliis cordatis, lobis truncato-acutis; spadicibus aggregatis; petiolis brevioribus. (Tab. 106.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Folia, truncusque radicalis supra terram plantam elevans caulem mentiuntur. Petioli, spadicesque coloris sunt sub-nigri; unde indigenæ nomen suum triviale specificum *Taya-r-una* condiderunt, quod arum nigrum interpretari potest. Ferunt tuber hujus speciei eam vim corrosivam habere, quod cancris super-impositum medeatur. *Habitat silvis maritimis ad ripas rivulorum.*

6. A. *vermitoxicum.* A. foliis sagittato-cordatis; nervis coloratis. (Tab. 107. T. 9.)

OBSERVATIONES.

Acaule, et diphyllum. Spadix foliis paulo brevior. Radix tuberosa. Radice contusa in animalium vulnera, quæ vermibus scatent, introducta veterinarii Brasilici ad vermes enecandos frequentissime utuntur. Indiginæ, *Ara*, que non multum se extollunt, *Mangarà* salutant; unde ad hujus speciei frequentia, pagus Indigenorum, qui est ad Littora maris urbem hanc inter, et oppidum *Angra dos Reis*, *Mangarà-tyba* dicitur, quod idem est, ac latina *Ara* multa. Ad declivia montium, sed inter lapides, ubi sunt, copiose offenduntur.

(CAULESCENTIA).

7. A. *arborescens.* A. caulescens, rectum; foliis sagittatis. (Tab. 108.ª T. 9.)

Gynandria Polyandria.

OBSERVATIONES.

Caulis simplex, orgyalis. Folia ad apicem sagittata. E foliorum axillis aliquando radices exeunt, quæ ad terram usque propagantur, funis instar, et terra interiora penetrant. Quod est communissimum in Aris caulescentibus, repentibus, et parasiticis, ut suis in locis notatur; ex istius modi radicibus alicujus speciei cameli efficiuntur. Hoc A. dicitur a Marcgravio *Aninga-perì*; sed apud Indigenos nostros Fluminenses tritum est, et omnibus speciebus commune deminatio Brasilica *Imbe-rana*, vel *Guimbe-rana*, et apud Lusitanos *Guimbe da Praya*. *Habitat locis arenosis, et maris littoribus.* Floret Sept.

8. A. *pinnatifidum*. A. caulescens, rectum; foliis hastato-pinnatifidis. (Tab. 109.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis simplex, erectus, e foliorum axillis filamenta emittens multoties in orbem, quæ solo infixa, et radicata contra ventorum vim caulem sustinent. Folia, tot lacinias, quot nervos habent. *Habitat silvis maritimis et loca arenosa.* Et, si rite recordor, supra lapides, et arbores parasiticas vidi. Floret Sept.

9. A. *cordatum*. A. foliis cordatis, alis super-impositis. (Tab. 110.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis teres, ex axillis foliorum radices emittens. Folia peltata, cordata: alis super impositis. *Habitat maritimis ad silvas, et ad littora maris.* Dicitur etiam *Guimberana*.

10. A. *amphibium*. A. caulescens, radicans; foliis cordatis, alis remotis. (Tab. 111.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, radicibus arbores, quæ offendit, amplectentibus. Folia cordata, alis remotis. Spatha albida. *Habitat silvis maritimis.*

11. A. *auritum*. A. caulescens, radicans: foliis ternatis; lateralibus, unilobatis.

OBSERVATIONES.

Foliola lanceolata. Petioli vaginantes, seu potius semi-vaginantes, canali-

Gynandria Polyandria.

culato-membranacei. Petioli plurimi, axillares, declinati. *Habitat silvis maritimis, et mediter.* Vulgo dicitur *Tricuá.*

12. A. *lanceolatum.* A. caulescens, radicans: foliis lanceolato-oblongis; spathis axillaribus. (Tab. 113.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Petioli canaliculato-membranacei. Spadix solitarius. Spatha evagina petioli, sub-sessilis, brevissima (paulo petiolo longior.) Foliorum costa attenuata. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

13. A. *oblongum.* A. caulescens, radicans: foliis cordato-oblongis. (Tab. 114.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Petioli abasi ad apicem canaliculati, foliis longiores. Spatha pedicellata, axillaris, solitaria. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

14. A. *alternum.* A. caulescens, radicans; foliis lanceolato-oblongis; petiolis teretibus. (Tab. 115.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Differt ab A. lanceolato petiolis non canaliculatis, non tam crassis: costa foliorum etiam delicatiore. Cætera, quibus differre poterat, non vidi. *Habitat maritimis.*

341 Dracontium.

1. D. *pertusum.* D. foliis pertusis; caule scandente. (Tab. 116.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

AD. pertuso Plumieriano, seu ejus Aro hederaceo, foliis amplis, pertusis, solum quantitate diferre videtur; nam folium minus, et non tot foramina foliorum. Spatha, et si brevior, figura similis est. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

2. D. *bissectum.* D. caulescens; foliis bissectis. (Tab. 117.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. arbor. Radices plurimæ, longissimæ, a summo arborum, quibus

Gynandria Polyandria.

ad hærescit, vertice ad terram usque perveniunt, funium instar. Caulis erectus, teres, nodosus, sub-ramosus. Rami longitudine caulis. Folia breviter petiolata, alterna, lanceolata, sulcata, apice bissecta, seu ad dimidium fissa, scariosa. Pedunculi solitarii, penduli. Spatha cymbiformis. Flores (ni fallor) monoici; masculis cum fœminis æque mixtis. Corolla (sive calyx) mascula, monopetala, campaniformis, limbo crenato. Stamina plurima, corollæ æqualia. Fœminei floris calyx tetraphyllus. Foliola in orbem posita, ob-ovata, persistentia. Corolla nulla. Germina quatuor, ovata. Stylus incrassatus, longissimus. Stigma emarginatum. Foliola, quæ a me calyx dicuntur, post fæcundationem germinis lateraliter dilatantur, et indurescunt, figuram que quadratam habent; germina vero incrassantur, et in disco, seu area quadrati florem petalis ob-ovatis cruciatim positis sistunt. En, quæ observavi. Vulgo dicitur *Timbô-peba*, atque ex ejus radicibus pendulis, interstextis cistas, calalhosque conficiunt. *Habitat silvis maritimis æque, ac mediterraneis.* Floret Oct. Est Cl. P. Plumierii—Arum hederaceum foliis bissectis, rigidis, et sulcatis.

3. D. *integerrimum*. D. caulescens; foliis integerrimis; spadice terminali. (Tab. 118.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Parasitica arborum. Radix eodem modo, ac in præcedenti. Caulis erectus, sub-ramosus. Rami patentes. Folia lanceolata, alterna, integerrima. Spadix terminalis. Cum viderim, jam in pericarpiis erat; aliquid amplius observare mihi non licuit. Dicitur etiam *Timbô-peba*. A nullo ex autoribus descriptum reperi. *Habitat silvis maritimis.*

4. D. *laciniatum*. D. caulescens: foliis pinnatifidis. (Tab. 119.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis radicans, scandens. Spadices terminales, axillaresque, plurimi, brevissimi, sub-sessiles, teretes. *Habitat silvis maritimis.*

342. Pothos.

1. P. *parasitica*. P. foliis lanceolatis, limbo membranaceo. (Tab. 120.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Parasitica et arb., et rad. Folia radicalia, acuminata, amplissima, con-

Gynandria Polyandria.

ferta. Petioli longissimi, teretes, ad basim, et ad expansionem foliorum incrassati, sub-connati. Spadix radicalis, longus, cylindricus. Spatha solitaria. De flore, cæterisque ejus partibus nihil dicere audeo, cum non observaverim. *Habitat silvis maritimis supra, vel ad radices arborum.*

2. P. *sub-caulescens.* P. foliis lanceolatis, radicalibus; radice erecta, caulescente. (Tab. 121.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Parasitica. Radix sub-divisa. Caulis nullus. Folia petiolata, radicalia. Petioli ad apicem, et basim crassiores. Rachis cylindrica. Spadix paulo longior. Spatha declinata. Cætera non vidi. *Habitat silvis maritimis, et mediterraneis.*

3. P. *solitaria.* P. foliis ob-ovatis, lanceolatis. (Tab. 122.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Paras. lapid. Petioli brevissimi. Folia amplissima, etiam aliquatenus per petiolos decurrentia. Foliorum costæ ad petiolos gibbosæ. Radices innumeræ, implicitæ. Spadix foliis multo longior, declinatus. Spatha bivalvis, brevissima. Cætera non vidi. *Habitat fruticetis Regii Prædii S. Crucis supra lapides.*

4. P. *adunca.* P. foliis lanceolatis, sub-vaginantibus; spadice adunco. (Tab. 123.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Perinde videtur esse, ac. P. sub-caulescens, etiam si quantitate haud parum discriminetur. Spatha univalvis, minima. Rachis, cuculli ad instar, aliquantulum ad apicem inflexa. *Eodem solo, ac cætera inhabitat, et in mediterraneis, et in maritimis silvis videtur.*

5. P. *heptaphylla.* P. caulescens: foliis digitatis; foliolis septem lanceolatis. (Tab. 124.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, radicans, ramosus. Folia composita: foliolis septem semicirculariter positis. Petioli ad basim canaliculati, sub-amplexicaules, ad apicem semi-circulares, ubi foliola inseruntur. Cætera non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

Gynandria Polyandria.

6. P. *cuneaphylla*. P. caulescens, radicans: foliis compositis: foliolis novem, lanceolatis. (Tab. 125.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, ad apicem foliatus. Folia ut supra. Spadices breves. Spatha brevior. Rachis longior, curvata. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

343. Xylopia.

1. X. *muricata*. X. pedunculis multifloris; fructibus muricatis. (Tab. 126.ª T. 9.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus. Rami alterni, patentes. Folia breviter petiolata, lanceolata, acuminata, subtus pilosa, alterna, ciliata, integerrima. Pedunculi brevissimi, axillares, quadriflori. Pedicelli vix apparentes. Perianthium brevissimum, quinque partitum, laciniis acuminatis. Petala perianthio longiora, sex, sub-ovata, albida. Stamina plurima longitudine perianthii. Germen conicum. Stylus subulatus. Drupa sicca, sub-reniformis, extus tuberculata. Semina tria, ovata. Cortex baccæ acris, et aromaticus. Caryophyllum, et indicum piper acrimoniâ, et aromate æmulatur. Brasilico sermone *Pindaiba* denominatur. *Habitat marit., et mediter. silvis.* Floret May.

344. Vigia.

Ch. ess. gener.

Bacca obtuse quadrangularis, quadrisperma. Corolla tetrapetala.

Ch. nat. gener.

Cal. perianthium minimum, quadridentatum.
Cor. petala quatuor, lanceolata, acuminata.
Stam. filamenta nulla. Antheræ sessiles supra germen.
Pist. stylus nullus. Stigma sessile.
Per. bacca obtuse quadrangularis, carinata.
Sem. quatuor, arillo pulposo.

Gynandria Polyandria.

OBSERVATIONES.

In memoriam Jó Bernardi Vigi Peruvianum corticem decantantis.

1. V. *serrata.* (Tab. 127.ª T. 9.)

Ch. nat. spec.

Caul. fruticosus, teres.
Ram. sparsi, patentes.

Fol. petiolata, lanceolata, serrata, sparsa, duabus glandulis subulatis ad basim.
Infl. racemosa, vaga. Pedicelli laxi.

OBSERVATIONES.

Habitat silvis maritimis Reg. Prædii S. Crucis.

MONOECIA.

DIANDRIA.

345. Anguria.

1. A. *trilobata.* A. foliis trilobis. (Tab. 1.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, striatus, ramosus, cirrhosus. Rami ejusdem naturæ, acaulis. Folia breviter petiolata, repando-dentata, tri-lobata: lobis sub-æqualibus, lanceolatis, sinuatis, ad basim angulata. Cirrhi laterales, simplices, convoluti, foliis longiores. Inflorescentia axillaris, fasciculata. Pedicelli brevissimi, uniflori. Petala subulata, brevissima, perianthii denticulis alternantia. Antheræ duæ, sub-sessiles, biloculares, oblongæ, perianthii basi. Pomum oblongum, biloculare, perianthio persistente coronatum. *Habitat fruticetis maritimis.* Floret Oct.

2. A. *trifoliata.* A. foliis ternatis. (Tab. 2.ª T. 10.)

Monoecia Triandria.

OBSERVATIONES.

Foliola sub-angulata: lateralia ovata: intermedium lanceolatum. Cirrhus simplex. Pomum oblongum, ad utrumque externum attenuatum, quadriloculare, junctis albis notato cortice. In utraque specie corolla est ex luteo-rubra. *Habitat loco, et floret mense supra citato.*

MONOECIA.

TRIANDRIA.

346. Zea.

1. Z. *mais.* (Tab. 3.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Quatuor Zea varietatibus silvi cultores nostri utuntur; (varietates dico secundum Cl. Linnæi placitum; nam mihi tempus ad examen non suppetit,) nempe, 1.ª quam *vermelho* Lusitani dicunt: 2.ª *branco*: 3.ª sermone Brasilico *purpurea*: 4.ª *Catete*: postremæ frequentissimus est usus apud accolas hujus præfecturæ, qui colunt silvas maritimas, quia tribus mensibus frutificando insumit, et solo feraci non eget; sicut cæteræ, quas dumtaxat mediterranei seminant, ubi silvi cultores extant, qui quotannis plusquam centum, et viginti modios terræ emittunt, ut semestre transacto usura centum, et quinquaginta pro unoquoque modio, et multo amplius frequentissime, accipiant. En modus terram parandi ad culturam. Falcibus 1.um arbusta, fruticeta, senticetaque; dein securibus arbores, lignaque corpulentiora infrusta secant. Transactis aliquot hebdomadis, postquam omnia marcescunt, atque exsiccantur, hora pomeridiana flante aliquot ex ventibus, præcipue Aquilone ignem applicant, comburuntque. Tandem ligonis ope distantia sex palmorum fossulas, quibus tria vel quatuor grana recondi possunt, æque faciunt. Quo facto nihil aliud ad messem usque, nisi exherbis, graminibusque purgore semel, bisque, si opus fuerit id agere quærunt. Est genus primæ necessitatis hominibus, qui mediterranea habitant: nam pro pane quotidiano prima mensa farina ad ignem tosta, qui non utatur, datur nemo; secunda veró cum butyro, et saccharo, vel simpliciter ad libitum: nam Orizæ usus haud infrequens est, cocta utuntur. Præterea pauperibus, man-

Monoecia Triandria.

cipiis, pecudibusque nullus alius communis victus: unde annus, quo Brasiliæ mediterranea Zea maiz abundant, exteris ad victum necessariis pollent, et e contra.

347. Typha.

1. T. *angusti folia*. T. foliis semi-cylindricis; spica mascula, fœminaque remotis. (Tab. 4.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *Tababuya*. *Habitat locis humidis, paludibusque.*

348. Coix.

1. C. *lachryma*. C. seminibus ovatis. (Tab. 5.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis, geniculata, erecta, simplex. Folia ensiformia, vaginantia, graminis instar, alterna. *Habitat maritimis, mediterraneisque ad loca humentia.*

349. Tragia.

1. T. *peltata*. T. foliis peltatis. (Tab. 6.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis volubilis. Folia ovata, ad basim emarginata, peltata, remote serrata, acuminata: capsulis tricoccis, hirsutis, inferne bicornutis. Flores non vidi. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

2. T. *polyandra*. T. foliis cordatis, serratis; staminibus plurimis. (Tab. 7.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Volubilis, hirsuta. Folia petiolata, cordata, serrata, hirsuta. Pedunculi axillares, solitarii, racemosi, hirsuti. Flores fœminei, solitarii ad basim pedunculi, pedicellis longioribus. Stylus semitrifidus. Flores masculi ad apicem pedunculi, staminibus plurimis. Capsula tricocca, unaquæque corniculis duobus. *Habitat silvis Reg. Præd. S. Crucis.*

Monoecia Triandria.

3. T. *triangularis*. T. foliis cordatis, serratis; capsulis variantibus, tricoccis, et tricuspidatis. (Tab. 8.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Volubilis, pilosa, urens. Pedunculi axillares, alius supra, infra alius, uniflori, solitarii. Capsula pedunculi supra axillaris monococca, triangulariter tricuspidata, monosperma: infra axillaris vero tricocca, trisperma, sub-rotunda, quadricornuta. Semina solitaria. Stipula axillaris, solitaria, pinnatifida. Florem non vidi. *Habitat ad montem Cicitatis, quo Divi Antonii Cœnobium inædificatum est.*

4. T. *pilosa*. T. foliis cordatis; caulibus diffusis. (Tab. 9.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Multicaulis. Caules diffusi, virgati, herbacei, ramosi. Folia petiolata, breviter serrata, acuminata. Pedunculi axillares, spicati. Flores masculi spicati; fœminei solitarii, sessiles ad basim pedunculi. Capsula tricocca, rotunda, quadricornuta. Semina ovalia. *Offendi ad littora maris prope Sacellum Deiparæ sub titulo da Copacabana.* Florem, et fructum sistebat Sept.

5. T. *diffusa*. T. foliis cordatis, serratis, peltatis; caule sub-volubili. (Tab. 10.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Multi caulis, adurens. Caules diffusi. Folia petiolata, peltata. Pedunculi axillares, racemosi, bini, breves. Flores masculini racemo longiore; fœminei pedicello breviore. Masculini desinunt in capsulam triangulariter tricuspidatam. Fœminei in capsulam tricoccam, rotundam, hirtam. Fantae erant exiguitatis flores, quod oculorum meorum aciem effugiebant. *Habitat maritimis. Offendi apud insulam Pescaria dictam ad littora maris Reg. Præd. S. Crucis.*

350. Omphalea.

1. O. *lactescens*. O. foliis lanceolato-oblongis, serratis. (Tab. 11.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis frutescens, lactescens. Rami sparsi. Folia breviter petiolata. Capsula tricocca. Semina ovata. Perianthium persistens. Stigma trifidum, per-

Monoecia Triandria.

sistens. Pedunculus terminalis. Cum flores non vidissem, ad O. ex dictis pertinere existimavi. *Habitat fruticetis Parochiæ Campo grande.*

2. O. *diandra*. O. foliis ovatis; petiolis glandulatis. (Tab. 12.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, lactescens. Rami sparsi, patentes. Folia petiolata, ovato-lanceolata, integerrima, acuminata, declinata. Petioli utrinque glandula lineari, opposita, ad expansionem foliorum. Pedunculi terminales, solitarii, simplices, foliis longiores. Calyx diphyllus, foliolis ob-ovatis Stamina duo calyce longiora, foliolis alternantia. Antheræ biloculares, parvæ, sub-rotundæ. Cætera non vidi. *Habitat maritimis.*

3. O. *eglandulata*. O. foliis lato-lanceolatis, serratis. (Tab. 13.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami alterni. Folia breviter petiolata, alterna. Stipulæ axillares, brevissimæ, subulatæ. Pedunculi solitarii, terminales; longitudine foliorum. Flores spicati ad dentes pedunculi. Perianthium vix apparens, tetraphyllum; foliolis minimis. Germen rotundum. Styli tres. Capsula tricocca. Semina solitaria. *Habitat silvis maritimis.*

4. O. *glandulata*. O. foliis lanceolatis, glandulosis; petiolis bi-glandulatis. (Tab. 14.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, teres, lactescens. Rami sparsi, aliquoties congesti Folia sparsa, glandula ad apicem solitaria; ad dilatationem folii utrinque duæ, ad apicem petioli geminæ. Pedunculi terminales, racemosi. Perianthium diphyllum, foliolis ob-ovatis. Stamina longiora. Antheræ biloculares, rotundæ. Capsula tricocca, ad medium sulcata, infra supraque compressa. Semina solitaria. *Habitat maritimis.* Ex ejus lacte gluten conficitur ad capessendos passeres idoneum.

5. O. *verticillata*. O. ramis, foliisque verticillatis. (Tab. 15.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, teres, lactescens. Rami ad modum verticilli. Folia breviter petiolata, lanceolata, oblonga, acuminata, glabra, approximata in orbem,

Monoecia Triandria.

verticilli instar. Pedunculi terminales, longitudine foliorum tres, quatuor, et amplius aggregati. Flores non vidi. Racemus compositus. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

331 Phyllantus.

1. Ph. *niruri*. Ph. foliis pinnatis, floriferis, floribus pedunculatis; caule herbaceo, erecto. (Tab. 16.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, simplex, pedalis, erectus. Folia alterna pinnata, foliolis ovalibus, alternis; petiolo communi rubro. Flores pone folia, petiolati, solitarii. Perianthium quinque partitum, laciniis sub-rotundis. *Herva pombinha* dicitur. *Ubicumque habitat;* perpetuo flores.

2. Ph. *ramosus*. Ph. foliis lanceolatis; floribus alternantibus. (Tab. 17.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, ramosus, glaber. Rami alterni, rubro-colorati; infimi supremis longiores, ascendentes, approximati, simplices. Folia caulina, et ramea, breviter petiolata, lanceolata, alterna, floribus alternantia. Flores alterni, pedicellati, pedicellis rubris, unifloris. Perianthium quinque partitum, laciniis ovato-acutis. Germen quinque angulare, supra subtusque compressum. Stylus cylindricus, trifidus. Stigmata emarginata. Capsula sex locularis. Semina plurima. *Habitat silvis excultis mediterraneis transalpinis.*

MONOECIA.
TETRANDRIA.

332. Urtica.

1. U. *dioica*. U. foliis oppositis, cordatis, racemis geminis. (Tab. 18.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Urens. Caulis herbaceus, erectus, striatus, sub quadrangularis, pilosus, ramosus. Rami oppositi; inferiores superioribus longiores, patentes, pilosi.

Monoecia Tetrandria.

Folia petiolata, opposita, ovata, serrata dentibus profundis, acuminatis. Pedunculi laterales ad folia, hinc, et inde solitarii, petiolis breviores, racemosi. Perianthium diphyllum, connivens. *Habitat maritimis.* Floret Aug. Sept.

2. U. *mitis.* U. foliis ovatis, serratis, alternis; inflorescentia dichotoma. (Tab. 19.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, teres, declinatus. Rami alterni, ascendentes. Folia petiolata (petiolis vix mediocribus alterna, ovata, serrata, acuminata. Pedunculi dichotomi, extra-axillares. Flores ad apices dichotomiæ, conferti, globosi. Perianthium quadri-partitum, laciniis patentibus. Antheræ biloculares; quamquam didymæ mihi potius videntur. *Urtiga morta* vulgo dicitur. *Habitat maritimis æque, ac mediterraneis, præcipue ad ripas fluviorum.* Floret Sept.

3. U. *nitida.* U. caule aculeato; foliis nitidis, serratis. (Tab. 20.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Urens. Caulis fruticosus, declinatus, aculeatus. Rami sparsi. Folia petiolata (petiolis aculeatis, declinatis) oblonga, remote serrata, acuminata, reticulata subtus, supra nitidissima, costis, et nervis aculeatis. Pedunculi brevissimi, racemosi ad caulem. Perianthium monophyllum, quinque dentatum. Flores hermaphroditi, pentandri. *Habitat maritimis æque, ac mediterraneis.* Floret Sept.

XXXI. Morus.

1. M. *tatui-iba.* M. foliis oblongis; aculeis sparsis. (Tab. 21.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, sparsim aculeatus. Rami sparsi, sed ramusculi alterni videntur. Folia ovata, oblonga, serrata, acuminata. Fructificationem nec vidi. Lignum erat saturate flavescens. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

2. M *tinctoria.* M. foliis oblongis; aculeis axillaribus; solitariis. (Tab. 22.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Lis est inter Botanicos de vera M. tinctoriæ classe, et charactere specifico.

Monoecia Pentandria.

Nam Cl. Millerus ait a Loeflingio duas confundi species: id est, M. foliis oblique cordatis, &c. M. foliis ovato-oblongis, &c. Mihi non datum est liberum dirimere. Mea ita se habet. Caulis arboreus. Rami alterni. Aculeus solitarius, axillaris. Folia ovato-oblonga, serrata, breviter petiolata, alterna, acuminata. Pedunculi vel simplex, vel compositus ex quatuor aliis brevissimis. Inflorescentia amentacea. Flos masculus. Corolla calycina, staminibus quatuor. Fœminam non vidi. *Habitat mediterraneis, ac maritimis.*

MONOECIA.

PENTANDRIA.

334. Xanthium.

1. X. *brasilicum*. X. caule inermi; foliis multi-angulatis. (Tab. 23.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, herbaceus. Folia multi angulata. Cæteris X. orientali cohæret. *Habitat maritimis æque, ac mediterraneis aut loca strumaria.*

2. X. *spinosum*. X. spinis ternatis; foliis quinque-angulatis. (Tab. 24.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia oblonga, quinque-angulata. Spinæ infra-axillares, acerosæ, basi connatæ. Drupa undique spinis circumvallata, ad apicem vero maxima, solitaria, erecta. Vulgo dicitur *Cardo de Santa Helena*. *Habitat marit., ac melter.* Floret Oct.

335. Ambrosia.

1. A. *humilis*. A. foliis bipinnatifidis; spicis foliosis. (Tab. 25.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, herbaceus. Rami, et folia sparsa. Racemi axillares, et terminales, foliosi. Flores sessiles, globosi. Vulgo dicitur *Artemige da praya*. *Habitat ad littora maris.* Suave olet. Floret mensibus calidis.

Monoecia Pentandria.

2. A. *maritima*. A. foliis pinnatifidis; foliolis dentatis. (Tab. 26.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, elatus, teres, multi striatus, hirsutus. Folia longissima, pinnatifida: petiolis alatis, hirsutis. Pedunculi longissimi, bracteati, multispicati axillares, terminalesque. Spicæ simplices. Suave olet. *Habitat silvis mediterraneis transalpinis.*

356. Amaranthus.

1. A. *viridis*. A. glomerulis triandris; floribus masculis trifidis; foliis ovatis, emarginatis; caule erecto. (Tab. 27.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis diffusus, sub-ruber, ramosus. Folia sparsa, petiolata, emarginata. Spicæ terminales, axillaresque, glomeratæ, glomerulis viridibus. Perianthium diphyllum. Dicitur *Carurú miudo. Progignitur ubique, præcipue terris jam excultis.* Floret semper.

2. A. *hybridus*. A. racemis pentandris, decompositis, congestis, nudis; spiculis conjugatis. (Tab. 28.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, multi striatus. Folia præcedentis ampliora, integerrima. Spica terminalis, composita. Perianthium pentaphyllum, foliolis lanceolatis. Stamina calyce breviora. *Habitat maritimis. Offendi ad exculta pagi indigenarum vulgo dicti Tagua-y.* Aug. floret.

3. A. *sanguineus*. A. racemis pentandris, compositus, erectis, lateralibus, patentissimis; foliis ovato-oblongis. (Tab. 29.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus. Folia pauca. Spicæ plurimæ, floribus undique confertæ. Bractea setacea. Tota, si folia excipias, sanguinei coloris. *Habitat maritimis, ac mediterraneis.* De Amaranthis sponte nascentibus solummodo verba facio: de cæteris, qui, ut pote exotici hortis coluntur, et sunt plurimi, et vulgari nomine *Papagayos* vel *suspiros* cognoscuntur, nihil dicam.

Monoecia Hexandria.

MONOECIA.
HEXANDRIA.

337. Virola.

1. V. *sebifera.* V. foliis lanceolatis; floribus racemosis; fructu monospermo. (Tab. 30.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulex arboreus, altissimus, perpendicularis. Rami patentes, arcuati. Folia breviter petiolata, lanceolato-oblonga, integerrima, glabra, alterna, longissima, modicum inter se distantia versus terram inclinata. Stipula axillaris. Inflorescentia racemosa, axillaris, pauciflora, brevissima. Flos minimus. Corolla calycina (mihi apetala est) monophylla, tripartita, brevissima, laciniis reflexis, brevissime pedicellata. Germen non distinxi. Ecentro corollæ calycinæ scaturiebat brevissimum filum, in cujus summitate corpuscula quatuor oblonga, inter se conniventia, quæ sine vi ab rumpere haud poterant, ad hærebant, antherarum figuram simulantia. Nihil amplius mihi videre fas fuit. An pistillus? Fructus monospermus, cujus primo cortice ablato secundum exhibet carnosum, Macis ad instar, rubri coloris. Ex eo namque multi falso autumarunt V. Myristicam esse muscatam, inter quos Cl. Schreberus: et eam non esse Cl. Lin. filius miratus fuit. Auctoritate Cl. Aubletii a Cl. Schrebero relatâ in proemio novæ editiones 1782 Materiæ Medicæ Cl. Linnæi ductus Monoeciæ Classem, Hexandriæ ordinem, Virolæ genus assignavi. *Habitat silvis tum maritimis, cum mediterraneis.* Floret Mayo. Materiariis lignum præbet haud multæ durationes, de quo scaphæ quandoque conficiuntur. Cum lignum virens inciditur, cæsura lympha rubra sanguinis in modum abunde fluit, qua scutellis recepta, et soli exposita, ac exsiccata resina sanguini draconis, paratur similis: unde ab aliquibus nomen pau sangue, hoc est, lignum sanguinis accepit. Ex arillo carnoso rubro, quod est corticem fructus inter, et semen, postquam sole calefit, et contunditur, vi pressionis aleum atro-rubrum educitur usui medico præstantissimum. Tandem ex seminibus tostis, et contusis pressionis vi materia illa butyrosa, seu sebifera ellicitur, quæ Europæ Pharmacis nomine *Bicuiba* sat nota est, quod nomen etiam ligno hactenus convenit, et Brasilico vernaculo corruptione explosa est *Abacuy-b* quod latine pecto, seu capillos pectine divido interpretatur: nam insimul Virola oleo fovebant. Ex seminibus pressis tertia pars ponderis in oleum redditur.

Monoecia Polyandria.

MONOECIA.
POLYANDRIA

338. Sagittaria.

1. S. *sagittifolia*. S. foliis sagittatis, acutis. (Tab. 31.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Acaulis. Folia radicalia, tredecim nervia, longissime petiolata, petiolis ad basim dilatatis, sese mutuo vaginantibus. Scapus foliis longior. Racemus compositus, pedunculis partialibus oppositis, patentissimis, ternis. Flores pedicellati; verticillati, bracteis ternis subulatis. Corola albida &.ª *Habitat aquis stagnantibus, et fluentibus itidem.*

2. S. *ranunculoides*. S. foliis cordato-ovatis, sub-carnosis. (Tab. 32.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Existimo speciem esse novam cum alicui ex Linnæanis non conveniat. Radices sicut in cæteris plantis aquaticis. Caulis procumbens, teres, innatans, innanis, stipulatus. Stipulæ quinque lanceolatæ, in orbem, seu verticillariter positæ, infra axillares. Petioli teretes, spongiosi, longissimi. Folia ovato-cordata, petiolata, terna, in orbem superne ad stipulas, carnosa, obtusissima, leviter emarginata innatantia. Rami etiam ex stipulis. Pedicelli nudi, longiores petiolis, axillares, uniflori, bini, vel terni. Corolla tri-petala, ampla, sub rotunda, vix anguiculata, flavescens. Filamenta staminum plurima, petalis multo breviora. Antheræ erectæ, sagittatæ, atro-rubræ. Styli novem, aut decem, attenuati. Stigmata simplicia, linearia, sub-reflexa. Capsula bivalvis. Semina plurima. *Habitat aquis stagnantibus Parochiæ, vulgo Campo grande, et regii prædii Sanctæ Crucis.* Floret Junio.

339. Begonia.

1. B. *lanceolata*. B. foliis radicalibus, lanceolatis. (Tab. 33.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Acaulis. Radix fibrosa. Petioli, ad basim se mutuo vaginantei, rubro-colo-

Monoecia Polyandria.

rati. Folia lanceolata, radicalia, petiolata, integerrima. Scapus solitarius, subracemosus, trifidus. Flores ad apicem. *Habitat Alpibus Fluminensibus prope Pharmacopolim ad declivia montium inter saxa. Loca umbrosa petit.*

2. B. *cordata.* B. foliis radicalibus, cordato-peltatis. (Tab. 34.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Acaulis. Radix sub-tuberosa. Folia petiolata, oblique cordata, peltata, pilosa, integerrima, subtus albida, acuminata. Petioli rubro-colorati. Scapus ruber, foliis longior, bifidus, triflorus. *Habitat loco supra citato.*

3. B. *repens.* B. foliis lanceolatis, radicalibus; radice repente (Tab. 35.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Acaulis. Radix tuberosa, horizontaliter discurrens. Folia remota, solitaria, petiolata, lanceolata, sub-decurrentia, crenata, ciliata, subtus purpurea, supra viridia, nitida, maculis albidis interpunctata, erecta, acuminata. Stipula falcata. Scapus solitarius, longitudine petiolorum, rubro-coloratus, uniflorus. Bractea cordata hinc, et inde ad divisionem pedicellorum. Flores albi. Genitalia flavescentia. *Habitat loco supra citato ad umbrosa Alpina.*

4. B. *procumbens.* B. caule procumbente; foliis sub-ovatis, ab altero latere sub-inæqualibus. (Tab. 36.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis radicans, partim procumbens, partim ascendens, simplex. Folia, petiolata, ovato-lanceolata, alterna, acuminata, ab altero latere sub-inæqualia. Petioli, costa, nervique dorsi rubro-colorati. Pedunculus terminalis, solitarius, bifidus. Pedicelli biflori. Bracteæ virides. Flores albidi. Genitalia flavescentia. *Habitat loco supra citato, et alibi.*

5. B. *vaginans.* B. foliis oblique cordatis, sub-caulinis; pedunculo racemoso, paniculato. (Tab. 37.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis brevissimus, sub-erectus. Folia ad basim petioli vaginata, oblique cordata, altera ala productiore, subtus purpurea, supra saturate viridia, brevissimis pilis, nitida, integerrima. Stipulæ ad basim petioli campanulatæ,

Monoecia Polyandria.

vaginantes, limbo obliquo. Pedunculus foliis longior, dichotomus, dilute coccineus. Flores fœminei albidi, masculi dilute coccinei. *Habitat ad umbrosa saxosa Alpium.* Floret Nov.

6. B. *rotunda.* B. foliis rotundis, peltatis, radicalibus, ad basim divisis. (Tab. 38.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Acaulis. Radix brevis, fusiformis, in radices capillares divisa. Folia radicalia, petiolata, peltata, rotunda, ad basim divisa, subtus purpurascentia, supra viridia, nitida, vix crenata, amplissima. Stipulæ sub cordatæ, petiolos sub vaginantes, albidæ. Pedunculus solitarius, brevissimus. Flores umbellati, sessiles. Nondum explicati erant, cum eos offendi. *Habitat silvis ad ripas maris prope ostium fluvii Paraty-merim.* Florebat Nov.

7. B. *radicans.* B. foliis lanceolatis; caule radicante. (Tab. 39.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis radicans (arboris scandit) ramosus. Folia lanceolato-ovata, integerrima, petiolata, alterna, acuminata, lævia. Pedunculi terminales, breves, divisi, quadriflori, bracteati. Flores utrique albidi, macula coccinea ad basim petalorum. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

8. B. *reniformis.* B. foliis sub-reniformibus, dentatis; caule erecto (Tab. 40.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis leviter pilosus, rarissimis pilis, erectus, flaccidus, stipulatus, subramosus. Stipulæ infra axillares, ad folia, ramosque oppositæ ovato-acuminatæ, semivaginantes. Folia petiolata, reniformia, dentata. Pedicelli terminales, pauci-flori, solitarii, vel bini, pilis aliquot. Flores utrique saturate coccinei. Bracteæ ternæ, lanceolata, serratæ, sub-colorato-coccineæ. Corollæ fœmineæ hexapetalæ. *Habitat campis apricis mediterraneis ad verticem Alpium.*

9. B. *scandens.* B. foliis lanceolatis, serratis; caule scandenti. (Tab. 41.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis debilis, reptans supra lapides, ramosus. Rami alterni. Folia brevi-

Monoecia Polyandria.

ter petiolata, ovato-lanceolata, serrata, alterna. Pedunculi terminales, pedicellis bifloris Corollæ utræque ex albo-rubræ. *Habitat ad loca umbrosa collibus saxosis, qui mari eminent.*

10. B. *dubia*. B. caule radicante; foliis ovatis, integerrimis. (Tab. 42.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Forte B. radicans? sed magna distantia sine aliquo ramo cum reptaret; et colore etiam differet a B. radicante, ea mente delineare feci, ut si florentem aliquo tempore offenderem, tunc de identitate, vel varietate accuratius judicare possem: quod hucusque consequi haud potui. *Habitat silvis maritimis Pharmacopol. juxta ostium fluvii dicti Taquary.* Aug. offendi.

11. B. *erecta*. B. foliis lanceolato-oblongis, caule erecto. (Tab. 43.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, rufus, orgyalis. Rami alterni, divergentes. Folia breviter petiolata, oblonga, serrata, acuminata, subtus atro-rubra, supra viridia. Inflorescentia terminalis. Pedunculi breves, dichotomi. Flores albi. Genitalia masculina flavescentia; fœminea verò viridia. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

12. B. *declinata*. B caule declinato; foliis cordatis, altera ala productiore. (Tab. 44.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus, geniculatus, orgyalis. Rami debiles, geniculati, breves, declinati. Folia cordata, altera, ala productiore, integerrima, subtus ex albo-rubra. Pedunculi terminales, brevissimi, rubri. Flores masculi ex albo-rubri, genitalia, flava; fœminei ex rubro-albi. *Habitat locis supra citatis.*

13. B. *verticillata*. B. foliis compositis, verticillatis. (Tab. 45.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus, geniculatus. Folia longissime petiolata, alterna, composita: foliolis ad limbum octodecim lanceolato-oblongis, serratis, acuminatis, in orbem ad apicem petioli positis; ad discum octo plus, minusve brevissima, lanceolata. Petioli ad basim, et apicem incrassati. Pedunculi axillares, petiolis longiores, patentes. Inflorescentia racemosa, dichotoma. Utrique

Monoecia Polyandria.

flores albi. Genitalia flavescentia. *Habitat ad declivia Alpium Fluminensium via publica, qua e Pharmacopoli iter fit ad oppidum Cunha.*

14. B. *dimidiata*. B. foliis falcatis. (Tab. 46.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus, geniculatus, tomentosus. Folia breviter petiolata, amplissima, falcata, integerrima. Pedunculus axillaris, solitarius. Inflorescentia dichotoma. *Habitat loco nupet citato.*

15. B. *truncata*. B. foliis cordatis, multi angulatis, angulo uno oblique cæteris productiore. (Tab. 47.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, orgyalis, erectus, geniculatus. Petioli longissimi. Folia cordata, peltata, multi angulata, angulo exteriore cæteris productiore, serrata, pilosa. Pedunculus axillaris, solitarius, racemosus, longississimus, declinatus, laxus. Racemus compositus, dichotomus. Flore brevissimi.

16. B. *obliqua*. B. foliis cordatis, serratis, ala altera productiore; racemis terminalibus. (Tab. 48.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis debilis, erectus, cubitalis. Folia petiolata, ab altero latere ala productiore, serrata, subtus pilosa. Stipulæ oppositæ, solitariæ, laterales, subulatæ. Pedunculus brevis, terminalis, pauciflorus. *Ubique habitat.*

17. B. *acida*. B. foliis cordato-sub-rotundis; caule herbaceo, squamoso. (Tab. 49.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis palmaris, erectus, squamosus, hirtus. Folia petiolata (petiolis mediocribus, hirsutis) cordato-subrotunda, peltata, subtus pilosa, ad alterum latus aliquantulum protensa. Pedunculi bini, foliis longiores, terminales, racemosi. Racemus compositus, laxus, multiflorus, dichotomus. *Habitat silvis maritimis Reg. Prœd. S. Crucis.*

18. B. *acetosa*. B. foliis amplissimis, subrotundis, basi crenatis; caule orgyali. (Tab. 50.ª T. 10.)

Monoecia Polyandria.

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, orgyalis, pilosus. Petioli longissimi, pilosi. Folia approximata, ad apicem, subtus pilosa, cæteris Begoniarum foliis multoties ampliora; peltata, integerrima. Pedunculi longissimi, terminales, erecti, dichotomi. *Habitat Alpibus Fluminensibus, quæ Pharmacopoli eminent.*

19. B. *geniculata*. B. foliis amplis, serratis, cordato-multi-angulatis, angulis obtusis. (Tab. 51.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis orgyalis, erectus, glaber. Petioli mediocres. Folia glabra, cordato-truncata, octangulata (angulis obtusis), dentata, glabra. Pedunculi longissimi, axillares, erecti, dichotomi, laxi. Flores breves. *Habitat umbrosis ad declivia Alpium Fluminensium.*

20. B. *angulata*. B. foliis oblongis, sub-cordatis, angulato-serratis, altera ala sub-truncata. (Tab. 52.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis orgyalis, erectus, stipulatus, ramosus, glaber. Stipulæ oppositæ, ovatæ, serratæ. Petioli brevissimi. Folia a latere productiore angulato-obtusa, serrata: ab altero tantummodo serrata. Pedunculi breves, terminales, bini, compositi. *Habitat ad ripas fluvii Paraty.*

21. B. *herbacea*. B. Acaulis, foliis ob-ovato-lanceolatis, serrato-repandis. (Tab. 53.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia radicalia, palmaria. Pedunculi foliis breviores, axillares, erecti, duo. Inflorescentia dichotoma. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

22. B. *hastata*. B. foliis semi-hastatis, serratis. (Tab. 54.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, orgyalis. Petioli foliis breviores. Folia semi-hastata, oblonga, serrata, subtus purpurascentia, supra viridia. Pedunculus axillaris, longus, erectus. Inflorescentia dichotoma, declinata. Flores albidi. Genitalia flavescentia. *Habitat ad Alpes Fluminenses.*

Monoecia Monadelphia.

MONOECIA.

MONADELPHIA.

360 Pinus.

1. P. *dioica.* (Tab. 55.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Nihil est communius apud rusticanos nostrates, qui pinetis habitant, quam Pinos credere esse dioicas. Marem, et fœminam distinctis plantis digito ostendunt. Masculos amentum cylindricum ad apices ramusculorum; fœminas fructum sessilem ad caulem proferre dicunt. Omnia hæc materialiter inspexi, cum pini genitalia videre tunc non datum fuit; id circo aliis solvenda hæc quæstio: si Brasilicæ Pini sunt monoicæ, nec ne? relicta manet. Resinam fissuris corticis, vel sectionibus abunde præbent: nunc vero, sicis insit qualitas ad ex omnia conficienda, ad quæ Europæ. Pini resina inservit, mihi ignotum. Altidudine cæteris Brasiliæ arboribus præstant. *Radices Fluminensium Alpium mediterranea versus, et utrinque ad Alpes Aurifodinensis nomine vulgari Mantiqueira cognitas frequentissime habitant.* Præstant lignum materiariis ad omne opus præbent.

361. Dalechampia.

1. D. *scandens.* D. foliis trifidis, serratis. (Tab. 57.ª T. 10)

OBSERVATIONES.

Caulis volubilis. Folia cordato-trilobata, serrata, venosissima, quinque nervia. Petioli foliis multo breviores. Pedunculus axillaris, solitarius, brevissimus, triflorus. Inflorescentia umbellata Involucrum commune diphyllum, trilobatum, lobis integerrimis. Involucellum dodecaphyllum, pilosum, ciliatum. *Habitat maritimis.*

2. D. *colorata.* D. foliis tri, vel quinquelobatis, integerrimis. (Tab. 58.ª T. 10.

OBSERVATIONES.

Folia cordata, tri, vel quinque lobata, integerrima. Involucellum, seu pe-

Monoecia Monadelphia.

rianthium fœminarum tetraphyllum, foliolis pinnatifidis, capillaribus. Involucrum commune vix trilobatum, integerrimum *Habitat maritimis.*

3. D. *pentaphylla.* D foliis composito-digitatis; foliolis quinque lanceolatis (Tab. 59.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia composita. Foliola lanceolata, serrata, extima minora. Involucrum commune tetraphyllum. Foliola lanceolata, integerrima. Involucellum diphyllum: foliolis quadripartitis: laciniis lanceolatis, serratis. Flores sessiles *Habitat maritimis.*

4. D. *triphylla.* D. foliis ternatis; foliolis lanceolatis, serratis. (Tab. 60.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Involucrum pentaphyllum; foliolis serratis, pilosis. *Habitat maritimis.*

5. D. *monophylla.* D. foliis cordatis, integerrimis (Tab. 61.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia subtus venosissima. Stipulæ hinc, et inde cordatæ, brevissimæ. Involucrum commune diphyllum, cordatum, integerrimum. Involucellum octophyllum, pinnatifidum, laciniis capillaribus. *Habitat fruticetis regii prædii S. Crucis ad ripas fluvii dicti Taguay.* Jan. delineatum fuit, et floret.

362. Ricinus.

1. R. *communis.* R. foliis palmatis, sub-peltatis, serratis. (Tab. 62.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia decem lobata. In præfectura Aurifodinensi, vulgo dicta Minas Geraez oleo ex granis R. tostis educto ad domos noctu illuminandas solummodo utuntur. Quare quotannis, postquam Zeam colligunt, eidem solo multos eorum modios mandant. Etiam, ut catharticum in re medica adhibetur. Dantur aliquæ varietates, a quantitate molis, et a colore exortæ, hoc est, magnus et parvus, albus, et niger. Forte species? *Ubique habitant.*

Monoecia Monadelphia.

363. Acalypha.

1. A. *virgata*. A. spicis fœmineis; involucris cordatis, serratis; foliis lanceolato-ovatis, (Tab. 63.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus, parum ramosus, hirsutus. Folia ovato-lanceolata, crenata, subtus venosa, pilosa. Spicæ axillares, bracteatæ. Bractea semiseptemfida. An peracta efflorescentia bracteæ adaugentur? vel cum dentur diversi sexu flores, diversum habeat florescendi modum? Hæc distinguere haud potui ob florum exilitatem, defectumque oculorum meorum morbo laborantium. *Habitat ad littora maris.* Floret Nov.

2. A. *indica*. A. involucris fœmineis cordatis, sub-crenatis; foliis ovatis, petiolo brevioribus. (Tab. 64.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, pilosus, pedalis. Rami diffusi. Folia petiolata, ovato-lanceolata, serrato-obtusa, acuminata, alterna. Pedunculi axillares, solitarii, etiam bini. Bractea quinque dentata. Semina tria, solitaria. Cum observavi, in semine erat. *Habitat excultis maritimis. Offendi ad littora maris regii prædii S. Crucis.*

364. Croton.

1. C. *hirsutum*. C. foliis cordato-oblongis, hirsutis alba, et nigra maculatis. (Tab. 65.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus. Rami alterni. Folia breviter petiolata, cordato-oblonga, acuminata, alterna, serrata. Folia terminalia quaterna. Stipulæ subulatæ, solitariæ hinc inde ad peliolos. Pedunculi terminales, brevissimi. Flores agglomerati. Bracteæ ad quemvis florem quinque, ob ovatæ, ciliatæ. Stigmata trifida, bifurcata. Tota planta est hirsuta, seu potius strigosa. *Habitat campis Parochiæ dictæ Campo grande.* Florebat Apr.

2. C. *cordatum*. C. foliis cordatis, lævibus; spicis capitatis. (Tab. 66.ª T. 10.)

Monoecia Monadelphia.

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folia cordato-acuminata, leviter serrulata. Petioli breves. Inflorescentia sub-capitata, terminalis, axillarisque, sed quorumdam ramusculorum ad apices. Bracteæ quatuor, minimæ, ob-ovatæ, fimbriatæ. Stylus trifidus. Stigmata bis-dichotoma. *Habitat silvis mediterraneis.*

3. C. *palustre.* C. foliis lanceolatis; spica oblonga. (Tab. 67.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Rami alterni, patentes. Folia breviter petiolata, lanceolato-oblonga, serrata, subtiliissime tomentosa. Pedunculi terminales, foliis dimidio breviores, simplices. Bracteæ tres, ovatæ, integerrimæ. Stylus trifidus. Stigmata quater-dichotoma. *Habitat silvis maritimis transalpinis.*

4. C. *indivisum.* C. foliis lanceolato-oblongis; stylo indiviso; stigmate multi-fido. (Tab. 68.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Rami alterni. Folia brevissime petiolata, lanceolato-oblonga, acuminata, glabra, serrata. Pedunculus terminalis, breves. Inflorescentia racemosa. Stylus cylindricus. Stigmata quindecim. Planta glabra. *Habitat silvis Reg. Præd. S. Crucis.*

5. C. *herbaceus.* C. foliis lanceolatis; caule trichotomo. (Tab. 69.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis cubitalis, erectus. Rami trichotomi, patentes. Folia breviter petiolata, lanceolata, serrata, opposita ad divisionem ramorum. Inflorescentia spicata, terminalis; etiam ad divisionem ramorum, sessiles. Pedunculi terminales; flores masculi spicati; fœminei ad basim pedunculi sessiles. *Habitat campis maritimis.*

6. C. *lobatum.* C. foliis digitatis, foliolis lanceolatis, serratis, extimis brevioribus. (Tab. 70.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, glaber. Rami verticillati. Folia subtus pilosa, alterna,

Monoccia Monadelphia.

petiolata; inferiora quinquelobata; superiora trilobata. Pedunculi terminales. *Habitat silvis mediterraneis.* Floret Nov

7. C. *trilobatum.* C. foliis trilobatis; lobis serratis. (Tab. 72.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis volubilis. Folia petiolata, cordata, integerrima, glabra, acuminata. Petioli mediocres, ascendentes. Pedunculi axillares, spicati. Flos fœmineus singularis ad basim pedunculi pedicellatus, cernuus. Perianthium floris fœminei deciduum. Flores masculi plurimi. Spica longissima. Petala quinque. Stamina plurima. Capsula tricocca. *Habitat silvis maritimis.* Floret Jan.

9. C. *glandulatum.* C. foliis ovato-acuminatis; petiolis glandulosis. (Tab. 73.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-arboreus, pilosus. Rami trichotomi, pilosi. Folia petiolata, alterna, ovato-acuminata, integerrima ad apicem opposita, pilosa. Petioli mediocres duabus glandulis hinc, et inde ad apicem. Pedunculi ad divaricationem ramorum. *Habitat maritimis silvis Reg. Præd. S. Crucis.*

10. C. *comatum.* C. foliis cordatis; pedunculis terminalibus, comatis. (Tab. 74.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami alterni, etiam dichotomi. Folia petiolata, cordata, integerrima, declinata, acuminata, lævia. Petioli aliquantulum foliis longiores. Pedunculi terminales, plurimi, declinati. Inflorescentia spicata, comosa, bracteata. Bractea ad basim, foliorum colore, hinc, et inde solitaria, lanceolata, coma paulo brevior. Coma ovalis. Ad quemcumque florem bractea parva, sub-cordata. Pistilli tres, quadrifidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis ad ripas fluvii Paraty-ymerim.* Floret Nov.

11. C. *multispicatum.* C. foliis ovatis, serratis; pedunculis terminalibus. (Tab. 75.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami sparsi. Folia petiolata, ovata, serrata, sub-alterna. Petioli longiores. Pedunculi terminales, plurimi, subspicati. Stylus trifidus. Stigmata quadrifida. *Habitat maritimis.*

Monoecia Monadelphia.

12. C. *pedunculatum*. C. foliis cordatis, petiolis, et pedunculo longissimis. (Tab. 76.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, glaber. Racemi terminales, sub verticillati, pilosi. Folia ramea cordata, pilosa, alterna, integerrima, acuminata, declinata, petiolis mediocribus, piloso-tomentosis, caulina aggregata, petiolis longissimis, piloso-tomentosis, declinatis. Pedunculi terminales, tres, ramis longiores, duobus brevioribus. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.*

13. C. *stipulatum*. C. foliis ovato-oblongis, stipulis subulatis; pedunculis terminalibus. (Tab. 77.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami sub-alterni. Stipulæ subulatæ, solitariæ hinc, et inde. Folia petiolata, ovato-oblonga, integerrima, acummata. Pedunculi ad apices ramusculorum, longi, cernui. Pistillus unicus, ad medium duodecim fidus. Stigmata bifida. Perianthium pericarpium tegens, tomentosum. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

14. C. *terminale*. C. foliis lanceolato-ovatis, tomentosis; pedunculis terminalibus. (Tab. 78.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-herbaceus. Rami sparsi, erecti. Folia petiolata, declinata, tomentosa, lanceolato-ovata. Stylus trifidus. Stigmata quadrifida. *Habitat campis apricis mediterraneis.*

15. C. *triglandulatum*. C. foliis ovato oblongis; petiolis triglandulatis; racemo floribus verticillatis. (Tab. 79.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Rami sparsa, declinata, ovato-oblongo-acuminata, integerrima. Petioli ad apicem glandulis tribus subulatis: ab altero latere, duabus: ab altero solitaria. Color foliorum transit in rubrum. Pedunculus solitarius, terminalis, longissimus: apice cernuo. Flores ad pedunculum verticillati ab imo usque ad apicem. Pistilli novem, non coaliti. *Habitat fruticetis mediterraneis transalpinis.*

Monoecia Monadelphia.

363. Iatropha.

1. I. *manihot*. I. foliis palmatis, 5 lobis lanceolatis, lævibus, integerrimis. (Tab. 80.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia ima breviora. Glandula in medio foliorum. Caulis orgyalis. Radices esculentæ. Colitur hortis.

2. I. *palmata*. I. foliis palmatis: foliolis septem, lanceolatis, lævibus, integerrimis. (Tab. 81.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis orgyalis. Rami trichotomi. Folia petiolata, palmata: foliolis lanceolato-oblongis. Petioli longissimi, attenuati. Stipulæ oppositæ, subulatæ, hinc, et inde solitariæ. Pedunculi terminales, racemosi, fasciculati. Capsula triangularis, angulis membranaceis. Colitur hortis.

3. I. *stipulata*. I. foliis palmatis: foliolis quinque; petiolis stipulatis; capsula sex angulari, tri-loculari. (Tab. 82.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Radix longa, crassa. Caulis orgyalis. Rami trichotomi. Folia alterna, petiolata, palmata: foliolis quinque lanceolatis, integerrimis, acuminatis. Petioli longissimi, attenuati, stipulati. Stipulæ subulatæ, oppositæ, hinc inde solitariæ. Capsula sex angularis, angulis membranaceis. Colitur hortis.

4. I. *silvestris*. I. foliis palmatis, foliolis decem. (Tab. 83.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis orgyalis. Petioli stipulati. Foliola lanceolata, integerrima, acuminata. Corolla violacea. *Sponte nascitur silvis tum maritimis, cum mediterraneis.*

5. I. *curcas*. I. foliis cordatis, angulatis.

OBSERVATIONES.

Notissima Europæis planta, ut in describenda diutius immorer. Lusitani *Pinhão de Cerca* nomine, quia sepes ex ea conficiunt. Indiginæ vero *Mundubi-*

guassú salutant. Ex seminibus tostis, contusis, et expressis oleum edicitur aptissimum ad cadenlabra noctu illuminanda, cui vis cathartica, et emetica, si ut remedium intus sumatur, certo inest. Massæ libra olei selibram reddit, et amplius. De cæteris Pisonem, atque Marcgravem, reliquosque, qui de ea scripserunt, consule. *Habitat maritimis rarius mediterraneis.* Floret Dec.

6. I. *urens.* I. foliis palmatis, dentatis, aculeatis.

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, cubitalis, vel paulo amplior, aculeatus. Rami patentes. Petioli longi, aculeati. Folia semi-trilobata, lobis a se invicem remotis. Corolla alba, masculis monopetala; fœmineis pentapetala. Stamina decem. *Offenditur ad montes rivi Anbaray prope Civitatem circumeuntes.* Flores Apr. Iconem I. I. curcas, et urentis vide in supplemento ad hujus operis calcem.

MONOECIA.
SYNGENESIA.

366. Cucumis.

1. C. *anguria.* C. foliis palmato-sinuatis; pomis globosis, echinatis. (Tab. 84.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Vulgo dicitur *Maxixo.* Folia quinque lobata, sinuata: lobis rotundatis, dentatis, pilosis. Petioli longissimi. Flores axillares. Masculi pedunculo solitario brevi; pedicellis æqualibus, fasciculatis, brevissimis: fœmina eodem loco pedicello longissimo. Caulis, et tota planta hirsuta. Pomum ovale. Colitur hortis.

367. Bryonia.

1. B. *septem-lobata.* B. foliis septem lobatis, septem nerviis. (Tab. 85.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, cirrhosus. Cirrhus bifidus, oppositi folius, convolutus.

Monoecia Syngenesia.

Folia septem lobata ad basim crenata, nitida, septem nervia: lobis lanceolatis, integerrimis, posticis brevioribus. Corolla ex albo-viridis. Baccam non vidi. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.* Floret Febr.

2. B. *pilosa.* B. foliis cordatis, angulatis, pilosis. (Tab. 86.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Cirrhus simplex, axillaris, convolutus, supremus, bifidus. Folia pilis albis, et ad apices nervorum seta exserta. Flores fœminei solitarii, axillares. Perianthium magnum laciniis subulatis, corolla longioribus. Corolla alba. Bacca exsucca ovalis, coccinea. Semina oblonga, sex, lana propulpa farcta. *Habitat silvis maritimis.*

3. B. *fluminensis.* B. foliis cordatis, trilobatis; cirrhis trifidis. (Tab. 87.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis striatus. Folia glabra, cordata, trilobata, lobis lanceolatis; intermedio longiore. Cirrhus laterifolius, trifidus. Flores non vidi. Bacca solitaria, breviter pedicellata, laterifolia. Semina tria, compressa, emarginata, aliquot aliis crenulis. *Habitat silvis regii prædii S. Cruceis.*

4. B. *cabocla.* B. foliis cordatis, angularis, serratis, pilosis. (Tab. 88.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis quinque striatus. Folia petiolata, peltata, cordata, angulata, serrata, quadrinervia, pilosa. Cirrhus oppositi-folius, trifidus, intermedio filo longiore, convoluto. Flores masculi, et fœminei in eadem axilla solitarii, breviter pedicellati. Perianthium pilosum intus, et foris. Corolla alba. Bacca ex lutco-rubra, ellyptica. Semina plurima, compressa, sub-lanceolata. *Habitat silvis mediterraneis transalpinis.* Bacca contusa, et aquæ vehiculo sumpta potenti vi emetica, catharticaque viget. Ab indigenis barbaris de ea edocti Incolæ *purga de Caboclo* nomen indiderunt.

5. B. *tayuya.* B. foliis trilobis, crenatis; pedunculis longissimis; floribus remotis, bracteatis. (Tab. 89.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia petiolata, trilobata (lobo intermedio productiore) crenata, dentata.

Monoecia Syngenesia.

Cirrhus simplex, convolutus, axillaris. Pedunculi axillares, longissimi (multoties foliorum longitudinem exsuperant) bracteati. Flores vel solitarii, vel gemini, remoti, bracteati. Bractea lanceolata, crenata, solitaria. Laciniæ corollæ lanceolatæ, ad apicem acuminatæ, concavæ. Bacca ovalis, minima, ex luteo-rubra. Vulgo dicitur *Tayuya*. Decocto utuntur ad gossypia flavo colore inficienda. *Habitat tum maritimis, cum mediterraneis.*

6. B. *pinnatifida*. B. foliis quinque, vel septem-lobatis: lobis sinuato-angulatis (seu pinnatifidis). (Tab. 90.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia petiolata, ad basim sub-emarginata, septem; vel quinque lobata. Cirrhus simplex, convolutus. Pedunculus racemosus, compositus. Racemi partiales, alterni, triflori. Flores ab altero latere. Flos, et bacca sicut in præcedente. *Habitat maritimis.*

7. B. *ternata*. B. foliis ternatis. (Tab. 91.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia ternata, intermedia sub-ob-ovata. Cirrhi trifidi, convoluti, filo intermedio minimo. Flores axillares, solitarii, sicut in B. Cabocla. *Habitat silvis maritimis prope urbem.*

368. Momordica.

1. M. *operculata*. M. pomis angulato-tuberculatis, apice deciduo operculatis; foliis lobatis. (Tab. 92.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis volubilis, pilosus, striatus. Folia petiolata, basi sinuata, septem lobata: lobis lanceolatis, angulatis, posticis brevioribus. Cirrhus simplex, convolutus, infra axillaris. Corolla flavescens. Pomum extus flavum, intus coccineum. Vulgo dicitur *melão de S. Caetano*. *Habitat ubique.*

2. M. *luffa*. M. pomis oblongis, sulcis catenulatis; foliis incisis. (Tab. 93.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis volubilis, quadrangularis, pilosus. Folia petiolata, cordata, quin-

que lobata, crenata. Cirrhus oppositi folius, trifidus. Flores fœminei solitarii, axillares, flavescentes pedunculo longissimo. Masculi itidem axillares, conglomerati, pedunculo brevissimo. Pomum maximum, undecim carinatum, triloculare; seminibus compressis, ovalibus. Coctum editur. Planta Asiatica. Colitur hortis.

3. M. *muricata*. M. foliis quinque-angulatis; pomis sessilibus, muricatis, pedunculis masculis longissimis. (Tab. 94.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis pilosus, quinque striatus. Cirrhus simplex, oppositi folius, trifidus: laciniis convolutis. Folia petiolata, quinque angulata, crenata, quinque nervia. Pedunculus foliis duplo longior. Flores masculini secundi, pedicellati. Racemus simplex. Flores fœminei ad axillas cirrhorum, sessiles. Pomum sessile, turbinatum, muricatum. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii Sanctæ Crucis.*

4. M. *quinque-lobata*. M. foliis quinque lobatis, lobis lanceolatis, ad basim angulatis, pomis pedicellatis, muricatis, falcatis. (Tab. 95.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis quadrangularis, leviter pilosus. Folia breviter petiolata, quinque lobata, ad basim angulata; emarginata, leviter pilosa: lobis sinuatis, lanceolatis, crenatis. Cirrhus simplex, bifidus, oppositi-folius. Flores masculini racemosi, breves. Fœmineus pedicellatus, solitarius, ad basim pedunculi. Corolla alba. Antheræ sub-sessiles. Pomum muricatum, pedicellatum, falcatum. Semina compressa, falcata. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

5. M. *verticillata*. M. foliis quinque-lobatis, leviter serratis; pomis sessilibus, verticillatis. (Tab. 96.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, quinque striatus. Folia petiolata, quinque lobata, glabra: lobis lanceolatis, leviter serratis. Cirrhus simplex, oppositi folius, indivisus, convolutus. Flores fœminei quaterni, sessiles, axillares, ad verticilli modum. Masculini racemosi. Pedunculus petiolo paulo longior. Pistillus bifidus. Stigmata dichotoma. Pomum sessile, turbinatum. Semina compressa, ovata, quaterna, serie posita. *Habitat silvis Reg. Prædi. S. Crucis* Floret Dec.

Monoecia Syngenesia.

6. M. *carinata*. M. foliis cordatis, quinque-angulatis: pomo oblongo, novem carinato. (Tab. 97.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis teres, glaber. Arbores scandit. Folia cordata, petiolata, basi sinuata, quinque angulata, integerrima, glabra: angulis superioribus divergentibus: subtus reticulato-quadrata. Cirrhus simplex, indivisus, convolutus. Pomum oblongum longitudine bi pollicari cum semisse: latitudine digitum unum, undecim carinatum, septem loculare, apice acuto. Semina compressa, plurima, ovata. *Habitat maritimis. Offendi fruticetis prope Sacellum Divi Antonii de Poary dictum, floribus jam deciduis, pomum extabat Mayo.*

369. Cucurbita.

1. C. *lagenaria*. C. foliis sub-angulatis, tomentosis, basi subtus bi glandulosis; pomis lignosis. (Tab. 98.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Varietates prope modum innumeras Cucurbitarum lagenariarum vel ob diversitatem figuræ, vel ob quantitatem molis multoties vidi, quarum nunc ad examen non accingor, an species forte diversæ contemplandæ? cum nec tempus supersit, nec entia adsint. Descriptio de C. pyriformi longuitur, de quâ infundibulum, coclearia, lagena, &c. parasi solent.

2. C. *odorifera*. C. foliis amplis, 5-lobatis, pomo cylindrico-ovali. (Tab. 99.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis quadrangularis. Folia ampla, 5-lobata, exolete dentata. Cirrhus simplex, trifidus, convolutus. Flores solitarii. Corolla sub-campaniformis, flavescens, quinque-fida: laciniis sub-rotundis. Pomum cylindricum, bi palmare ad apicem aliquantulum attenuatum. Inedule est. Domo propter suavitatem odoris diu servatur. Hortis ad xistos effermandos accomo datissima. Vulgo dicitur *Curuà*. Variat pomo nigricante, et flavescente. *Habitat maritimis, et mediterraneis.*

3. C. *pepo*. C. foliis lobatis; pomis lævibus. (Tab. 100.ª T. 10.)

Dioecia Diandria.

OBSERVATIONES.

Quod jam supradictum est respectu varietatis. C. lagenariæ, idem de varietate. C. peponis dicendum. Villici nostri nunquam Zeam maiz terræ committunt; quin aliquod semen C. peponis, vel C. melopeponis concomitetur: unde tempore messis tanta utriusque abundantia, quod anno fere toto saginantur animalia eorum tantum pabulo.

DIOECIA.
DIANDRIA

370. Cecropia.

1. C. *peltata.* (Tab. 101. T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis altus, teres, fistulosus, geniculatus, sub-ramosus. Rami aliquot sæpe sub-verticillati ad apicem aliquando sub-alterni, patentes. (Falsum est dicere nullum habere ramum.) Folia petiolata, peltata, sub-alterna, undecim lobata, infra albissimo tomento obducta; lobis integerrimis, lanceolatis, infimis brevioribus: utraque pagina nervis rubro-coloratis. Petioli longissimi, attenuati. Inflorescentia terminalis, amentacea, fasciculata. Spatha turbinata, colorata, tres julos, et alias spathiolas tres similiter julos, et spathiolas etiam alias minimas eodem modo continens. De ejus vi medica ad cancros recentes sanandos, qui evenere non sunt orti, et de usu mechanico ad salem alcalicum conficiendum ad vitra idoneum audiendi sunt D. Prefontænius, et Bomarius. *Habitat maritimis, et mediterraneis.*

Dioecia Pentandria.

DIOECIA.

PENTANDRIA.

371. Fevillæa.

1. F. *cordifolia*. F. foliis cordatis, angulatis. (Tab. 102.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens. Pedunculi racemosi, axillares. Flores flavescentes, minimi. Pomum corticosum, rotundum, ad apicem cicatricula orbiculari, et stigmatum notatum. Semina plurima, compressa, sub-verrucosa, rotunda. Falso dicitur *Fava de Santo Ignacio* cum Ignatia seu *Ygarsu*, seu pepitas, quæ e Philipinis in Europam feruntur æquivocando. Toto cælo differunt. Brasilico sermone *Nhandiroba* vocatur. Vi emetica, cathartica, alexipharmaca fruitur. Dicunt incolas Amasonum fluvii ejus oleo uti ad lucernas. *Habitat ad ripas fluvii Paraty, et alibi.*

2. F. *monosperma*. F. foliis cordatis, vix quinque angulatis: pomo monosperm̃o. (Tab. 103.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Speciei hujus facies externa ad Fevillæam, classis ad Monoicam pertinere videtur. Alicujus postea sedulo inspicientis rectum judicare, profecto erit: pronunc ita accipe: Caulis scandens, præcedentis multo brevior. Folia petiolata, cordata, breviter quadriangulata, si apicis angulum excipis. Cirrhus axillaris, bifidus. Pedunculi longissimi, axillares, racemoso-compositi. Pomum compressum, emarginatum, rugosum, ob-ovatum. Semen unicum, sub-rotundum. *Habitat silvis Reg. Prord. S. Crucis.* Corolla minima, rotata, flavescens. Antheræ quinque, sessiles. Flores masculi plurimi ad apicem racemi; femineos non vidi: plantam enim cum offendi, pomo maturo erat ad medium pedunculi, unde Monoicam reputo.

3. F. *passiflora*. F. foliis ovatis, glandulatis, pomo polyspermo (Tab. 104.ª T. 10.)

Dioecia Hexandria.

OBSERVATIONES.

Caulis scandens. Folia petiolata, ovato-lanceolata, integerrima, nitida, basi foliorum ad expansionem glandula utrinque solitaria. Cirrhus oppositi folius, bifidus. Pedicellus axillaris, brevissimus. Pomum ovale, apiculo obtuso. Semina plurima, compressa, sub-rotunda. Offendi primo hanc plantam ad ripas fluvii Goitacà tractu Pharmacopolis, sed fructu, non flore. Ad primum adspectum speciem Passifloræ maliformis judicavi glandulas habentem, non petiolo, sed basi expansionis foliorum : cum pomum incidissem, semina. Fevillæa adspexi, quo in casu mens mea fuit genus esse Fevillæam inter, et Passifloram medium. Flos erat, qui dubium auferret, sed hucusque non visus. *Iterum sineflore, et fructu apud Insulam magnam offendi. Postremo e silvis Fluminensibus transalpinis. Pomum mihi missum.* Fructum fert Julio.

DIOECIA.
HEXANDRIA.

372. Smilax.

1. S. *china.* S. caule aculeato, tereti, foliis cordatis, quinque-nervis. (Tab. 105 et 106.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Mas, et fœmina. Caulis volubilis, ramosus, aculeatus. Aculei duo uncinati hinc, et inde ad petiolos. Folia breviter petiolata, cordata, acuminata, integerrima, quinque nervia, cernua. Stipula ad petiolos. Cirrhus axillaris, brevis. Pedunculus umbellatus, foliorum dimidio æqualis, axillaris. Umbella pedicellata. *Maritimis habitat.* Mas, et fœmina delineati. Plantæ hujus familiæ sermone Brasilico dicuntur *Iapecanga.*

2. S. *umbellata.* S. caule aculeato, tereti : foliis ovato-oblongis : pedunculo umbellato. (Tab. 107.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Fœmina. Folia trinervia, breviter petiolata. Pedunculus brevis. Inflorescentia axillaris, umbellata, pedicellata. Bacca globoso-acutiuscula, atro-vio-

Dioecia Hexandria.

lacea. Cirrhus simplex, convolutus. *Habitat maritimis Pharmacopolitanis.* Hujus florem, et marem non vidi.

3. S. *quinque nervia.* S. caule inermi; foliis ovato-oblongis, quinque-nerviis; pedunculis umbellatis. (Tab. 108.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Fœmina. Caulis (mihi adductus) inermis. Folia brevissime petiolata, quinque-nervia, acuminata. Cirrhum non vidi. Pedunculi axillares, breves. Inflorescentia, lutescens. *Habitat maritimis.* Fœmineam dumtaxat vidi.

4. S. *lutescens.* S. caule aculeato; foliis ovato-oblongis; pedunculo racemoso. (Tab. 109.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Aculei adunci. Folia oblonga, acuminata, trinervia, quandoque quinque-nervia. Pedunculi axillares, racemosi. Bacca lutea. Fœminam solummodo vidi. *Habitat maritimis et mediterraneis.*

5. S. *aculeata.* S. caule sub-angulato, aculeato, aculeis sparsis; foliis lanceolatis; pedunculis sub-verticillatis. (Tab. 110.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Multi caules. Radices filiformes, longissimæ. Caulis sub-angulatus. Aculei sparsi. Folia lanceolato-ovata, inermia, longa. Inflorescentia terminalis. Pedunculi longitudine foliorum. Flores racemosi, verticillati. Corolla ex rubro-lutea. Bacca ex violaceo-nigra. *Habitat silvis maritimis nondum cultis.* Aliam offendi, cujus iconem huic haud ab similem exhibes, quæ forte mascula erit. Racemus axillaris. Pedicelli capitato umbellati. Caulis triangularis.

6. S. *spicata.* S. caule aculeato; foliis lanceolatis; spicis compositis. (Tab. 111.ª et 112.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Aculei solitarii, uncinati. Folia lanceolata, trinervia, acuminato-uncinata. Pedunculi axillares, spicati, simplices, quandoque compositi. Flores violacei, minimi. Antheræ flavescentes. *Habitat maritimis.*

7. S. *gemina.* S. caule aculeato; foliis cordatis, quinque nerviis: spicis geminis multoties epedunculo erumpentibus. (Tab. 113.ª T. 10.)

Dioecia Hexandria.

OBSERVATIONES.

Pedunculus communis terminalis, axillaris, longissimus: partiales gemini, spicati. Flores ex albolutei. Radix tuberosa. Caulis aculeis sparsis, solitariis. Baccam non vidi. *Habitat maritimis.*

8. S. *acantophylla.* S. caule aculeato; foliis lanceolatis; ad limbum aculeatis. (Tab. 114.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Nihil amplius de hac specie, quam quod in descriptione allatum, effari queo; cum cætera invisa. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

373. Rajania.

1. R. *verticillata.* R. foliis plurimis, lanceolatis, verticillatis. (Tab. 115.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Radices plurimæ, fasciculatæ, longissimæ. Caulis scandens, aculeatus, aculeis plurimis, sparsis. Folia plurima (19), lanceolata, verticillata. Pedunculus communis longissimus, compositus. Pedunculi partiales verticillati, divergentes; inferiores longiores. Floris odoriferi. Fructus triangularis, angulo singulari cæteris productiore. Semina solitaria, sub ovata, alata. Radicibus hujus speciei loco Sarsa parrilha officinales utuntur. *Habitat silvis maritimis.*

2. R. *cordata.* R. caule aculeato; foliis cordatis, novem nerviis. (Tab. 116.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis aculeatus, contortus. Aculei bini, oppositi, uncinati. Racemi axillares, simplices, vel compositi. Existimo marem esse. Aliam offendi, quæ forte ejus erit fœmina. Caulis non contortus, glaber, aculeatus, aculeis sparsis, geminis. Folia cordato-peltata, petiolo ejusdem longitudinis. Racemi axillares. Capsula oblonga, trialata, alis æqualibus. *Habitat maritimis.*

Ad calcem addere lubet, me in assignando his plantis Rajaniæ genus aliquantis per hæsitare. Nam quæ defructu Cl. Linnæus præscribit, ame descriptis non bene congruere videtur: quippe externa mearum. Rajaniarum facies

Dioecia Hexandria.

Smilacium est, fructus autem Dioscorearum. Genus inter utrumque videtur medium, et in hoc sensu Rajaniam concipio, et exhibeo absque obligatione implendi characterem Linnæanum sapientiores, quid rectius fuerit, decernant.

374. Dioscorea.

1. D. *ovata*. D. foliis ovatis, quinque nerviis. (Tab. 117.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Spicæ axillares, foliis breviores. Perianthium monophyllum, sex-dentatum. Stamina sex perianthio adnata. Est mas. *Habitat silvis.*

2. D. *silvestris*. D. foliis cordato-oblongis; angulis posticis productis. (Tab. 118.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia quinque nervia, acuminata. Pedunculi longissimi. Flores ***. Capsula ob cordata, lata, triangularis.

3. D. *septem nervis*. D. foliis cordato-latis, septem nerviis. (Tab. 119.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi longissimi, pauciflori. Flores solitarii.

4. D. *undecim nervis*. D. foliis cordato-latis, undecim nerviis. (Tab. 120.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi bini, breves, axillares Pedicelli biflori. Folia subtus reticulata. Calyx quinque partitus. *Habitat silvis maritimis.*

5. D. *subhastata*. D. foliis cordato-subhastatis. (Tab. 121.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia cordata; (anguli postici ita producuntur, ut folia videntur hastata; tomentosa, decem nervia. Pedunculi solitarii, racemosi, axillares, pauciflori. Perianthium sex-partitum.

6. D. *conferta*. D. foliis cordatis; floribus ad apicem pedunculi confertis. (Tab. 122.ª T. 10.)

Dioecia Hexandria.

OBSERVATIONES.

Flores conferti ad apicem pedunculi. Folia undecim nervia.

7. D. *dodecaneura.* D. foliis cordatis, duodecim nerviis. (Tab. 123.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis sub-striatus. Pedunculi longissimi. Flores alterni, remoti, bracteati, pilosi. Calyx cylindricus, quinque fidus. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

8. D. *heptaneura.* D. foliis cordatis, septem nerviis; pedunculis laxis, paucifloris, longissimis. (Tab. 124.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Pedunculus longissimus, laxus. Flores remoti, pauci. Calyx sex partitus.

9. D. *tuberosa.* D. foliis ovato-lanceolatis, quinque nerviis. (Tab. 125. T. 10.)

OBSERVATIONES.

Radix maxima, tuberosa. Pedunculi parvi. *Habitat silvis maritimis*

10. D. *hastata.* D. foliis cordato-hastatis. (Tab. 126.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Radix maxima, tuberosa. Cætera non vidi.

11 D. *crenata.* D. foliis cordatis, lobis posticis crenatis. (Tab. 127.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Radix tuberosa. Spicæ compositæ. *Habitat silvis maritimis.*

12. D. *quinque lobata.* D. foliis cordatis, quinque lobatis; caule, petiolisque membranaceo-quinque-angulatis. (Tab. 128.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Radices tuberosæ, edules. Caulis membranaceus, crenatus, angulatus. Lobi foliorum divaricati. Colitur hortis.

13. D. *sinuata.* D. foliis cordatis, hastato-sinuatis, novem nerviis. (Tab. 129.ª T. 10.)

Dioecia Decandria.

OBSERVATIONES.

Racemi compositi. Pedunculi partiales iterum compositi. Corollæ fœmineæ. Folia subtus reticulata. *Habitat silvis maritimis.*

DIOECIA.
DECANDRIA.

375. Carica.

1. C. *papaya*. C. foliorum lobis sinuatis. (Tab. 130.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Arbor alta, parum ramosa, teres, molles, lactescens. Folia longissime petiolata, novem lobata, (lobis sinuatis), ad apicem conferta, decidua. Pedunculi racemosi, petiolis breviores, axillares. Flores albidi. Masculus etiam pistillum habet in fructum pedicellatum abeuntem: fœmina vero in fructum sessilem. Toto anno et florem, et fructum fert. *Habitat ubique.*

2. C. *mamaya*. (Tab. 131.ª T. 10)

3. C. *dodecaphylla*. C. foliorum lobis integris. (Tab. 132.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Truncus arboreus præcedentis valde crassior, aculeatus, ramosus. Rami patentes. Folia longissime petiolata, divergentia, sparsa, composita, palmata: foliolis novem ad undecim, lanceolatis, integerrimis. Pedunculus axillaris, solitarius, petiolo æqualis, compositus. Flores racemosi. Corolla viridis. Stamina lutescentia ad faucem corollæ: corolla curvata. Bacca flavescens, ellyptica. Semina quadrifariam disposita. Fructus lactescens. Dicitur vulgo *Jaracatiá*. Postquam aqua infunditur, tutò editur. Floret Oct. *Habitat maritimis.*

4. C. *heptaphylla*. C. foliis palmatis; fructu quinque-angulari. Tab. 133.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Arbor aculeata. Folia composito-digitata: foliolis quinque lanceolatis.

Dioecia Decandria.

Fructus quinque angularis, turbinatus. Semina quinque fariam ordinata. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

376. Schinus.

1. S. *meleoides*. S. foliis conjugatis cum impari productiore: bacca monococca. (Tab. 134.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus. Rami patentes. Folia composita ex conjugatis cum impari productiore, alterna. Foliola ob ovata, integerrima. Inflorescentia racemosa, vaga. Corolla petala quinque. Stamina decem. Antheræ sub-furcatæ. Bacca monococca. Non obstantibus, et bacca monococca, et antheris furcatis, quæ a Schino exulare faciunt, mihi magis perplacuit ad Schinos adducere, donec accuratius proprium genus examinetur, quam aliud novum condere. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

2. S. *aroeira*. S. foliis pinnatis, foliolis integerrimis æqualibus; petiolis æqualibus. (Tab. 135.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Est Ch. L. Caulis sub arboreus, teres. Rami alterni, patentes. Folia composito-pinnato-trijuga cum impari. Foliola petiolata, ellyptica, crenata, (quod est contra descriptionem supra.) *Habitat ubique*. Floret Mart. Apr. Adhibetur ad varios usus medicos, et mechanicos ob vim adstringentem.

DIOECIA.
MONADELPHIA.

377. Cissampelos.

1. C. *hernandia*. C. foliis ovatis, peltatis, acutis. (Tab. 136.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia integerrima, acuminata. Pedunculus longissimus, racemosus, simplex. Bacca ovalis, purpurea. Semen unicum, ovato-acuminatum. Flores non

Dioecia Monadelphia.

vidi. Petioli foliis ad hærescunt ad digitum unum supra basim. *Habitat maritimis.* Nondum a vulgo cognita.

2. C. *vitis.* C. foliis cordato-ovatis. (Tab. 137.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Radix in Brasilia usitatissima nomine Africano *Abutua* cognita, et eodem jam dudum in Europa cognita. Volubilis. Folia longe petiolata. Pedunculus longissimus, racemosus, simplex. Baccæ nigræ, sub-rotundæ, a dimidio ad apicem pedunculi. Semen unicum ad medium excavatum. *Habitat copiose maritimis silvis, præcipue ad loca arenosa.*

Mas eadem figura gaudet, qua fœmina; sed est planta pilosa. Stamina autem sunt octo, nec coalita in Monadelphiam, ut character genericus Linnæanus sistit. Racemus compositus, axillaris. Sed de hac specie Cl. Lin. non meminit. *Habitat iisdem locis.*

3. C. *parreira.* C. foliis peltatis, orbiculatis, emarginatis. (Tab. 138.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

4. C. *caapeba.* C. foliis cordatis, emarginatis. (Tab. 139.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia cordata, emarginata, longe petiolata. Pedunculi breves, simplices. Flores conferti, sub-petiolati. Bacca ex luteo-rubra. Hæc species dicitur vulgo *Batatinha.* Etiam ab aliquibus—mil homens, quod utique nomen Aristolochiæ tribuunt. *Habitat silvis maritimis Pharmacopolitanis.*

5. C. *abutua.* C. foliis sub-cordatis, acutis, pedunculis racemoso-fasciculatis. (Tab. 140.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Folia amplissima, palmaria. Petioli attenuati. Pedunculi racemoso-fasciculati. Bacca, et semen ovale. Florem non vidi. *Habitat Alpibus Fluminensibus. Offendi silvis ad scaturiginem fluvii dicti Tagua-y.* Fructum ferebat Sept.

6. C. *ovata.* C. foliis ovatis; racemis axillaribus. (Tab. 141.ª T. 10.)

Polygamia Monoecia.

OBSERVATIONES.

Cum Cissampeli fœminæ suflores ad imum caulem producere, hæc, utpote mascula, ad axillas extremas ramorum fert. *Habitat maritimis.*

7. C. *convexa.* C. foliis cordatis, convexis. (Tab. 142.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Subsequentis mascula videtur. Ut in C. *ovata* inflorescentia ramorum ad axillas est. *Habitat supra laudatis locis.*

8. C. *tomentosa.* C. foliis sub-rotundis, racemis fasciculatis. (Tab. 143.ª T. 10.)

OBSERVATIONES.

Fœmina est: forte præcedentis. Bacca, et caulis satis pilosus. Floret Apr. *Habitat silvis regii prædii S. Crucis.*

POLYGAMIA.
MONOECIA.

378. Musa.

1. M. *sapientum.* M. spadice nutante; floribus masculis, deciduis. (Tab. 1.ª e 2.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Est Cl. Lin. In toto Brasiliæ tractu vulgatissimum est duas. Musæ species, seu varietates produci, nempe unam, quam *Divi Thomæ* dicunt, forte, quia primæ plantæ ex *Insula Africana* ab illo Apostolo vocitata, huc fuere adductæ; secundam patrioticam, seu *da Terra,* forte, quia sponte hic prognasci autumarunt. Examina utramque subire feci, ut dignoscerem, si ex his quæpiam species foret alia, nec ne? Quæ observavi scitu digna sine Læsione nominis tantorum virorum, qui de hac re, veluti communes præceptores colendi, ut verum firmius stet, sincere aperiam. 1.° in utraque, D. Thomæ, nempe, et patriotica florum masculorum. Stamen sextum, seu sterile rarissime in ista observare valui, nunquam vero in illa.

Polygamia Monoecia.

379. Mimosa.

1. M. *ingà*. M. inermis, foliis pinnatis, quinque-jugis: petiolo marginato, articulato. (Tab. 3.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Glandula habet inter juga foliorum. Legumen longum, angustum, utrinque carinatum, tomentosum. Inflorescentia spicata, axillaris. Stamina plurima, monadelphia. Folia sensim ad basim decrescentia. *Habitat maritimis.* Floret Jan,

2. M. *dulcis*. M. inermis, foliis pinnatis, quadrijugis; petiolo marginato, articulato. (Tab. 4.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Forte hæc species M. *ingà* erit, notæ a Reichardo allatæ credendo? Folia pilosa, glandula interparia, sensim ad basim decrescentia, acuminata. Inflorescentia terminalis. Legumen longum, cernuum, unum dig. latum. *Habitat maritimis.*

3. M. *semialata*. M. inermis: foliis bijugis, supremis sub-alatis; glandula integerrima. (Tab. 5.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi spicati, sparsi, breves. Flores alterni, monadelphi, polyandri. *Habitat maritimis.*

4. M. *fruticosa*. M. aculeata: foliis bi pinnatis, foliolis ob ovatis. (Tab. 6.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus, aculeatus. Aculei solitarii, adunci. Folia bi pinnata, eglandulata. Pedunculi solitarii, simplices, quandoque compositi. Inflorescentia spicata. Flores monadelphi, polyandri. Legumen compressum. Semen non arillatum. *Habitat silvis Reg. Præd. S. Crucis.*

5. M. *barba detimam*. M. inermis: foliis bi pinnatis; foliolis ovatis, emarginatis, alternis. (Tab. 7.ª T. 11.)

Polygamia Monoecia.

OBSERVATIONES.

Cortex hujus speciei perquam celebris est propter adstringentiam : idcirco Europæ notus. Arbor mediocris. Cortex crassus. Foliola eglandulata, crenata, altera margine ad apicem aliquantulum productiore, alterna, sub-sessilia. Pedunculi axillares, solitarii, spicati, brevissimi. Flores monadelphi, decandri, minimi. Legumen non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Nov.

6. M. *tetraphylla.* M. inermis : foliis bijugis : petiolis eglandulatis : pedunculis binis. (Tab. 8.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Pedunculi axillares, longissimi, bini, ultra dimidium ad apicem spicati. Spica conferta. Flores monadelphi, polyandri. Baccam non vidi. *Habitat silvis maritimis.* Flores Jan.

7 M. *cylindrica.* M. inermis : foliis bi, vel trijugis, glandula inter paria ; racemis axillaribus, oblongis. (Tab. 9.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus punctulis nigris notatus. Rami alterni. Foliola lanceolata, suprema longiora. Petioli nudi. Pedunculi longitudine foliorum. Flores spicati e basi ad apicem, sub-oppositi, monadelphi, polyandri. Legumen angustum, torulosum, racemosum. Dicitur *Ingamerim.* Arillus semibaccatus editur. *Habitat maritimis, et mediterraneis.* Floret Jan.

8. M. *plana.* M. inermis : foliis bi, vel trijugis, eglandulatis ; petiolis nudis ; pedunculis axillaribus, nutantibus, capitatis. (Tab. 10.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami sub-alterni. Foliola lanceolata. Pedunculi nutantes. Flores globosi, seu capitati. Legumen planum, latum dig-unum, longum vix palmum, apice obtuso. Semina sub-imbricata. *Habitat maritimis.*

9. M. *tenuis.* M. inermis : foliis pinnatis, septemjugis ; petiolis sub-alatis, glandulatis ; pedunculis mutantibus. (Tab. 11.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Foliola lanceolata, parva, acuminata, glandula inter-

Polygamia Monoecia.

paria. Petioli vix alati. Legumen longum, sub-falcatum, obtusum. Semina aliquantulum seggregata, arillo induta. *Habitat maritimis.*

10. M. *umbellata*. M. inermis: foliis pinnatis, quadrijugis; petiolis alatis, glandula interparia: pedunculis umbellatis. (Tab. 12.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis arboreus, pilosus, uti tota planta. Foliola lanceolata, acuminata, suprema productiora. Pedunculi sub-oppositi-folii, solitarii, vel bini, foliis breviores, pilosi. Inflorescentia umbellata, pedicellata. Flores monadelphi, polyandri. Stamina longissima. Bracteæ hinc, et inde solitariæ, subulatæ. Legumen non vidi. Pertinet ad M. *ingà*. *Habitat maritimis, et mediterraneis.*

11. M. *vaga*. M. inermis: foliis bi pinnatis; pinnis exterioribus majoribus, incurvatis, pubescentibus. (Tab. 13.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami alterni. Folia bi pinnata; foliolis bi, vel trijugis, lævibus; extimis productioribus lanceolatis. Pedunculi axillares, solitarii, capitati; longitudine foliorum. Inflorescentia capitata. Capitulum amplum, sphæricum. Flores monopetali, monadelphi, polyandri. Legumen compressum, longum, convolutum, tomentosum. Semina sub-rotunda, alba, macula nigra notata. *Guabi pocacabiba* dicitur. *Habitat maritimis silvis.*

12. M. *lusoria*. M. inermis; foliis bi pinnatis; foliolis quadrijugis; pedunculis, staminibusque longissimis. (Tab. 14.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Pinnæ communes alternæ; partiales oppositæ. Foliola suprema ampliora. Pedunculi incrassato-capitati. Capitulum sub-umbellato-spicatum. Stamina, pistillique longissimi, seggregati. Legumina brevia, incurvata, aggregata. Semina nuda, alba, macula cæruleo-nigra notata. *Habitat loco supra citato.*

13. M. *longisiliqua*. M. inermis; foliis bi-pinnatis; foliolis multijugis; legumine longissimo, integerrimo. (Tab. 15.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Foliola minima, lanceolata. Legumen lineare, plus-

Polygamia Monoecia.

quam palmare, aliquantulum falcatum, dorso sub-carinatum, ad apicem acutiusculum, breviter pedicellatum. Semina ovata. *Habitat maritimis.*

14. M. *colubrina*. M. inermis; foliis bi pinnatis; foliolis multijugis, lanceolato-linearibus; leguminibus linearibus, torulosis, seu undulatis. (Tab. 16.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Arbor. Rami sparsi. Folia bi pinnata, multijuga. Pinnæ ad supremas sensim decrescentes. Legumina linearia, undulata, carinata utrinque, reticulata, breviter pedicellata. Semina globosa. Alter utra, hoc est, longisiliqua, et colubrina sermone vulgari maritimis. *Cauvì*, mediterraneis vero *Angico* nomine salutantur; utrobique cortice ad condensandos corios utuntur. Utriusque inflorescentia est capitato-globosa.

14. M. *crocea*. M. inermis; foliis conjugatis cum impari, lateralibus, subsessilibus, brevibus, intermedio amplo; petiolo alato. (Tab. 17.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami sparsi. Foliola lanceolata. Inflorescentia sub-racemosa, sparsa. Perianthium triphyllum; foliolis lanceolatis. Corolla monopetala. Petalum amplum, planum, unguiculatum, genitalia, tegens flavescentia. Stamina polyandra, petalo adnata, curvata. Germen pedicellatum, falcatum. Legumen pilosum, pilis flavescentibus. *Habitat maritimis.*

16. M. *pulchra*. M. inermis; foliis pinnatis cum impari, foliolis quadri vel quinque-jugis; petiolo communi alato. (Tab. 18.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Arbor. Rami sparsi. Foliola lanceolata, breviter petiolata. Flores axillares, sub-racemosi. Perianthium quadripartitum. Petalum unum amplissimum, rotundum, ad basim crenatum, album. Stamina polyandra. Filamenta plurima, petalo multo breviora. Pistillum pedicellatum, falcatum, declinatum extra staminum aream. *Habitat maritimis.*

17. M. *musa*. M. inermis: foliis pinnatis, foliolis quadrijugis cum impari; legumine sub-rotundo, falcato. (Tab. 19.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Foliola lanceolata ab imis ad suprema sensim excres-

Polygamia Monoecia.

centia. Petalum singulare, planum, flavescens. Stamina polyandra. Germen curvatum, pedicellatum, extra staminum aream. Legumen sub-rotundo-falcatum, compressum, glabrum. Semina sub-rotunda, semi-arillata, arillo pulposo, flavescente. Vulgo dicitur *Jacarandà banana. Habitat silvis maritimis Reg. Præd. S. Crucis.*

18. M. *pacoba.* M. inermis: foliis pinnatis cum impari; foliolis novem jugis, ovalibus, eglandulatis. (Tab. 20.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Arbor. Foliola ovali-acuminata, opposita, petiolata, æqualia. Pedunculi longissimi, racemosi, compositi. Perianthium laceratum. Petalum unum, planum, flavescens, et si staminibus longius, præcedentium petalis brevius. Stamina, et pistillum sicut in præcedenti. Legumen oblongum, teres, torulosum, tomentosum. Semen ovale, arillo flavescente semi-baccato circumeunte. Dicitur etiam vulgo *Jacarandá banana. Habitat silvis maritimis.*

19. M. *sessiles.* M. inermis: foliis abrupte pinnatis, sex jugis; petiolo communi alato; glandula interparia, legumine sessili. (Tab. 21.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Arbor. Rami alterni, pilosi. Folia alterna. Fobola ovato-lanceolata, opposita. Pedunculus brevis, axillaris. Legumen sessile, falcatum, pilosum, latum vix dig. duos. Semina sub-ovalia. Flores non vidi. *Habitat silvis maritimis Reg. Præd. S. Crucis.*

20. M. *triphylla.* M. inermis: foliis conjugatis cum impari; petiolo communi alato; legumine ad utrumque extremum attenuato. (Tab. 22.ª T. 11.

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Folium impar. ad basim glandulis duabus subulatis. An M. Crocea, vel ejus varietas? quamquam si rite recordor, legumen. M. croceæ pilo croceo tegitur, et hujus croceum, et glabrum. *Habitat silvis maritimis Reg. Præd. S. Crucis.*

21. M. *laxa.* M. inermis: foliis pinnatis cum impari; foliolis lanceolatis, nudis, eglandulatis. (Tab. 23.ª T. 11.)

Polygamia Monoecia.

OBSERVATIONES.

Arbor. Rami alterni. Foliola brevissima, vix petiolata, abrupte pinnata. Pedunculi brevissimi, ad apicem capitato-spicati. Flores monadelphi, polyandri. Legumen non vidi, sed ex suis consimilibus inferre possum ejus figuram articulæ instar. Vulgo dicitur *Timbuyba falsa. Habitat silvis Reg. Prœd. S. Crucis.* Floret Aug.

23. M. *contorti-siliqua.* M. inermis: foliis abrupte bi-pinnatis; foliolis multijugis, ovalibus, altera margine productiore; pedunculis capitatis; legumine contorto. (Tab. 25.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Arbor. Rami sparsi. Folia sparsa, petiolata. Foliola sessilia, minima. Pedunculi racemosi, terminales, axillares. Pedicelli bini. Inflorescentia spicato-capitata. Flores sessiles, monadelphi, polyandri. Corolla tubulosa. Legumen contortum, biloculare, auriculæ humanæ instar. Semina ovalia. Dicitur vulgari sermone *Timbuyba.* Materiariis lignum præbet præstans ad omne opus. *Habitat silvis maritimis.* Floret Jul. Aug.

24. M. *monjollo.* M. inermis: foliis bi-pinnatis; foliolis multijugis, lanceolatis; petiolo communi piloso. (Tab. 26.° T. 11.)

OBSERVATIONES.

Arbor. Rami sparsi. Folia alterna. Petioli partiales oppositi. Foliola subsessilia, minima, ovalia, sub-imbricantia, multijuga, opposita, sentientia. Pedunculi vagi. Legumen in orbem contortum, uniculare, auriculæ instar. Semina ovalia. Vulgo dicitur *Monjollo vermelho.* Lignum curiale præstat. *Offendi silvis mediterraneis ad ripas fluvii Parahyba.* Sept. jam in fructu erat.

25. M. *flagelliformis.* M. inermis: foliis simpliciter, et abrupte pinnatis, supremis productioribus; pedunculis longissimis, umbellatis. (Tab. 27.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami sparsi. Folia sparsa, trifuga; glandula interparia, foliola lanceolata, suprema productiora. Stipula ad divaricationem ramorum hinc, et inde solitaria, foliacea. Pedunculi sparsi longitudine foliorum compositorum, umbella pedicellata. Flores monopetali, monadelphi, polyandri legumina non vidi.

Polygamia Monoecia.

26. M. *plana*. M. inermis : foliis bi-pinnatis : foliolis octo-jugis ; pedunculis racemosis; pedicellis capitato-globosis. (Tab. 28.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Arbor. Rami sparsi. Folia sparsa, petiolis partialibus oppositis. Foliola sessilia, linearia, minima. Pedunculi terminales, racemosi. Pedicelli, seu pedunculi partiales floribus capitato-globosis, sessilibus. Legumen planum, longum. Semina ovalia, sub-imbricata. *Habitat silvis maritimis*. Floret Aug.

27. M. *lenis*. M. inermis: foliis bi-pinnatis; lanceolatis; foliolis linearibus; pedunculis racemosis, terminalibus, compositis. (Tab. 29.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami sparsi. Racemus amplus. Flores capitato-globosi. *Habitat fruticetis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

28. M. *terminalis*. M. inermis: foliis bipinnatis cum impari; glandula pedicellata basi petioli communis. (Tab. 30.ª T. 11.

OBSERVATIONES.

Arbor. Rami alterni. Folia composita impari terminatur, et supra basim petioli communis glandula pedicellata, peltata. Pedunculus terminalis, brevis. Inflorescentia ad partiales pedunculi apicem sub-capitata, pedicellis laxis. Flores monadelphi, polyandri. Legumen compressum, falcatum. Semina ovata. *Habitat silvis maritimis.*

29. M. *hirta*. M. inermis: foliis bijugis, bi-pinnatis; foliolis octo-jugis; caule hirto, stipulato; racemis terminalibus. (Tab. 31.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, sub-herbaceus, sub-ramosus, hirtus, stipulatus. Rami patentes. Foliola lanceolata. Petiolis communis partialibus brevior. Stipulæ, ad basim petioli communis oppositæ, solitariæ, subulatæ. Racemus terminalis, simplex, pauciflorus (5). Flores lutei, monadelphi, pentandri, globoso-capitati. Legumen breve, hirtum, torulosum, dispermum. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.* Floret Sept.

30. M. *bijuga*. M. *aculeata*: foliis compositis, conjugatis: foliolis bijugis; racemis compositis: pedicellis sub-verticillatis, utrinque ternis, (Tab. 32.ª T. 11.)

Polygamia Monoecia.

OBSERVATIONES.

Sensitiva. Caulis declinatus. Rami patentes. Foliola lanceolata, altera margine ampliore, alterna, petiolata Pedunculi racemosi, terminales. Racemus compositus, amplus. Pedicelli oppositi, terni. Flores ad apicem capitato-globosi. Flores sessiles, breves, monopetali, monadelphi, polyandri. Legumen non vidi. *Habitat silvis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

31. M. *viva.* M. aculeata: foliis compositis, foliolis quater, terve conjugatis: racemis terminalibus, floribus que solitariis, axillaribus. (Tab. 33. T. 11.)

OBSERVATIONES.

Sensitiva. Caulis declinatus,aculeatus. Aculei uncinati, deorsum tendentes, quatuor ordinibus. Rami alterni, axillares, patentes, aculeati. Foliola ovato-lanceolata, altera margine ampliore, subtus hirta. Petioli foliis longiores, aculeati. Pedicelli axillares, etiam oppositi folii, solitarii, vel bini, et quandoque plures. Racemus terminalis, simplex. Flores capitato-globosi, monadelphi, polyandri. Legumen non vidi.

32. M. *dolens.* M. aculeata: foliis conjugatis, foliolis pinnatis decem,vel undecim jugis; caule erecto. (Tab. 34.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis herbaceus, erectus, cubitalis, aculeatus, hirtus, simplex. Aculei validi, sparsi, horizontales, solitarii. Folia composita, conjugata: foliolis pinnatis decem jugis, ovalibus, (cum tanguntur, secundum longitudinem petioli communes imbricatim sese claudunt.) Petioli aculeati,foliis breviores. Inflorescentia racemosa, terminalis, axillaris, simplex. Pedicelli inermes, axillares, solitarii, longitudine petiolorum: racemorum vero solitarii, quandoque etiam terni. Flores ad apicem pedicelli capitato-globosi, monopetali, polyandri. Legumen non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis prope pagum Cunha.* Floret Sept.

33. M. *cinerea.* M. aculeata: foliis compositis, bi pinnatis: foliolis multijugis; pedicellis solitariis. (Tab. 35.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Sensitiva. Caulis sub-scandens, declinatus. Aculei caulini gemini, vel solitarii, uncinati, breves, sparsi; petioli communis vero longiores, infra axilla-

Polygamia Monoecia.

res, acerosi, recti. Folia bi-pinnata, composita, quadri, vel quinquejuga: foliolis linearibus, multi jugis. Pedicelli solitarii infra axillares, petiolo communi breviores. Inflorescentia capitato-globosa. Flores monadelphi, sessiles, polyandri, tubulosi. Legumen non vidi. *Habitat mediterraneis.* Floret Aug.

34. M. *quadrangularis.* M. aculeata: foliis bi pinnatis, duodecim jugis: foliolis linearibus, multi jugis; caule sub-tetragono. (Tab. 36.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, sub-quadrangularis, fruticosus, aculeatus. Rami alterni. Aculei solitarii, uncinati, sparsi. Folia sive composita, sive simplicia, ab imis ad suprema decrescentia. Inflorescentia spicata, terminalis. Flores monadelphi, polyandri. Legumen compressum, ad utrumque extremum attenuatum, supra, infraque carinatum. *Habitat fruticetis Reg. Præd. S. Crucis.*

35. M. *grandisiliquo.* M. aculeata: foliis bi-pinnatis, alternis; foliolis multijugis, oppositis; aculeis uncinatis, sparsis. (Tab. 37.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Folia sive composita, sive simplicia sunt abrupte pinnata. Foliola linearia. Caulis erectus, orgyalis, teres. Legumen longum palm. unum, latum digit. duos, ad utrumque extremum obtusum. Semina ovata, ad basim subcrenata, hilo ad hærescentia. *Habitat campis apricis maritimis Regii Prædii S. Crucis.*

36. M. *fluminensis.* M. aculeata: foliis bi-pinnatis, septem ad undecim jugis, pedunculis racemosis, paucifloris, axillaribus. (Tab. 38.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, aculeatus, sub-ramosus. Rami patentes. Folia composita multijuga, ab imis ad suprema sensim decrescencia. Foliola linearia, minima. Racemi pauciflori. Flores capitato-globosi, monopetali, monadelphi, polyandri, albidi. Legumen non vidi. *Habitat campis apricis mediterraneis transalpinis.*

37. M. *farnesiana.* M. aculeata: spinis stipularibus, distinctis, foliis bipinnatis, trijugis, partialibus duodecim-jugis, spicis globosis, sessilibus. (Tab. 39.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Colitur hortis ob flores ambrosiacos. Perfissuras epidermidis, gummi ara-

Polygamia Monoecia.

bicum transsudat. Forte M. milotica? Nomini specifico obstant, et quantitas pinnarum quæ aliquoties sex juges sunt, et pinnularum duodecimum numerum superantium. Primo vere floret.

38. M. *trisperma*. M. aculeata: foliis bi-pinnatis; foliolis multijugis; caule scandente. (Tab. 40.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis scandens, teres. Aculei uncinati stipulares ad caules, et ramos, ad folia vero sparsi. Folia quadri ad septem juga. Foliola linearia, sessilia, ad extrema petioli partialis decrescentia, multijuga. Pedunculi racemosi, compositi. Pedunculi partiales simplices. Flores sessiles, pentandri, rubro-colorati. Stamina declinata. Antheræ rotundæ. Legumen compressum, breve, ad apicem obtusum. Semina tria sub-rotunda. *Habitat silvis maritimis Reg. Præd. S. Crucis.*

39. M. *paratyensis*. M. aculeata: foliis bi-pinnatis, quadrijugis: foliolis ob-ovatis, multijugis. (Tab. 41.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis erectus, fruticosus, teres, aculeatus. Rami sparsi. Folia composita abrupte bi-pinnata, quadrijuga. Foliola abrupte pinnata, septemjuga, plus, minusve, ob-ovata. Pedunculi terminales, racemoso-fasciculati. Inflorescentia capitata. Flosculi tubulosi, polyandri, flavescentes. Legumen non vidi. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.* Floret Jan.

40. M. *dichotoma*. M. inermis; foliis bi-conjugatis, glandula ad divaricationem petiolorum. (Tab. 42.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis declinatus, teres, inermis, lævis. Rami sparsi. Folia quaterna, ovato-lanceolata, integerrima, petiolata, glandula ad singulam petiolorum divaricationem, quandoquidem ad basim. Pedunculi longissimi, intra, vel extra axillares, racemosi. Pedicelli alterni, remoti, tri, vel quadriflori. Legumen non vidi. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

41. M. *glomerata*. M. inermis: foliis pinnatis, trijugis; floribus aggregatis, sessilibus ad caulem, ramosque. (Tab. 43.ª T. 11.)

Polygamia Monoecia.

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami sparsi. Foliola lanceolato-ovata. Petioli eglandulati. Flores sessiles, tubulosi, monadelphi, polyandri. Stamina ultra basim ad apicem, coccineo-colorata. Legumen non vidi. *Habitat silvis Regii Prœd. Sanctæ Crucis.*

42. M. *nutans.* M. inermis: foliis quadri-vel quinque-jugis; pedunculis longissimis, nutantibus, umbella maxima, sessili. (Tab. 44.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, declinatus, sub-ramosus. Foliola lanceolata, ab imis ad suprema sensim excrescencia. Petiolus communis longus, attenuatus, eglandulatus, tuberculo verrucoso, infra axillari: partiales vix apparentes, oppositi. Pedunculi ex axillis protuberantiarum, longissimi, nutantes. Inflorescentia umbellato-capitata, pedicello brevi. Corolla composita, maxima, coccinea, diadematis sericii instar. Perianthium commune, seu involucrum, foliaceum; partiale colorato-rubrum, corolla brevius. Corolla tubulosa, rubra. Stamina monadelphia, basi coalita, longissima, rubro-colorata, polyandra. Antheræ flavescentes. Legumen compressum. *Habitat fruticetis maritimis.* Floret Mayo.

43. M. *diadema.* M. inermis: foliis abrupte pinnatis, quinque, vel sex-jugis; pedunculis nutantibus; caule ramoso. (Tab.45.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus, erectus, ramosus. Rami sparsi. Folia composita, alterna, eglandulata. Foliola lanceolata, vix petiolata. Pedunculus supra axillaris, longissimus, nutans. Corolla composita, maxima, alba. Perianthium commune polyphyllum. Flores monadelphi, polyandri, albidi. Legumen non vidi. *Habitat fruticetis maritimis Parochiæ Campo Grande.*

44. M. *didyma.* M. inermis: foliis pinnatis, oppositis, caule fruticoso. (Tab. 46.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Caulis fruticosus. Rami sparsi. Folia pinnata, sub-fasciculata. Foliola lanceolato-ovata, integerrima. Inflorescentia axillaris, spicata. Flores sessiles, utrinque bini. *Habitat silvis Regii Prœdii S. Crucis.*

Polygamia Triœcia.

380. Parietaria.

1. P. *officinalis.* P. foliis lanceolato-ovatis; pedunculis dichotomis; calycibus diphyllis. (Tab. 47.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Quam describo flores habet sessiles, aggregatos, axillares. *Frequentissima ad parietes Cœnobii Divi Antonii.*

POLYGAMIA.
TRIŒCIA.

381. Ficus.

1. F. *indica.* F. foliis lanceolatis, integerrimis, petiolatis, pedunculis aggregatis; ramis radicantibus. (Tab. 48.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Dantur aliquæ varietates, vel a quantitate, vel a pilis, quæ quidem si accuratius examinarentur, forte species essent. Multoties offenduntur parasiticæ, nam supra arborum ramos enascuntur: radices ad terram usque perpendiculariter emittunt, quæ cirrhæ arboris truncum aliquoties complectuntur. Verum cum mediantibus radicibus substantiam a terra accipiunt, benefactricem suam arescere cogunt, et per se subsistunt. *Habitant maritimis et mediterraneis.* Florent Aug. Fructus edules ficuum more.

2. F. *hirsuta.* (Tab. 49.ª T. 11.)

3. F. *glabra.* (Tab. 50.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

In autographum hæc duæ varietales descriptionem non habent.

CRYPTOGAMIA.

FILICES.

382. Equisetum.

1. E. *gyganteum.* E. caule striato, arborescente; frondibus simplicibus, strictis, speciferis. (Tab. 51.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Cum mihi R. adm. Plum. opus de speciebus plant. american. non sit, recte judicare nequeo, si species a me relata eadem sit, ac Plumeriana, seu gigantea, de qua Cl. Lin. egit. In maritimis, qua iter feci herborizando, haud ullam offendi, in mediterraneis vero supra Pharmacopolitanas Alpes ad uliginosa, et rivulorum ripas semel reperi. Stipes supra humanam altitudinem quando quidem elevatur, et ad crassitiem pollicarem, ut plurimum accedit. Articula superiora inferioribus introducta vi haud multa,sed non sine strepitu avelluntur. Stipes teres, excavatus, striatus, scaber, geniculatus. Frondes verticillatæ, geniculatæ,uno verbo ejusdem naturæ, ac stipes. Inflorescentia capitata. *Habitat loco supra relato.*

383. Ophioglossum.

1. O. *reticulatum.* O. fronde cordata. (Tab. 52.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Icon. R. P. Pl. elegantior evadit, quam mea planta in se est, vel adexteritate penicilli, vel a fæcunditate soli, in quo ejus typus provenit. Frons monophylla, et monosthica. *Eam Mayo offendi ad rupes Nhuanduáray, sive Andaráy prope civitatem.*

2. O. *scandens.* O. caule flexuoso, tereti; frondibus conjugatis, pinnatis; foliolis utrinque speciferis. (Tab. 53.ª T. 11.)

Cryptogamia Filices.

OBSERVATIONES.

Pinnæ vel cordato, vel hastato-lanceolatæ. Frequentissime ubique maritimis offenditur. Mayo pariebat.

384. Osmunda.

1. O. *brasiliensis*. O. scapis caulinis, geminis; fronde bi-pinnata: caule lævi. (Tab. 54.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Inter O. Plumerianas nullam reperi, cui hæc convenire posset. Contemplanti patebit. Caulis solitarius, lævis. Scapi gemini, caulini, fronde multo productiores, bi-spithamæi. Frons solitaria, bi-pinnata. Pinnæ inferiores superioribus productiores, sub-oppositæ. Pinnulæ pinnatifidæ. *Habitat montibus Nhamduaray.*

2. O. *phyllitidis* O. scapis caulinis, geminis; fronde pinnata, caule lævi. (Tab. 55.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Nullum mihi dubium hanc eamdem ac Plumerianam speciem esse, seu quod idem est, Cl. Lin. O phyllitidem, quamquam a R. P. Pl. delineata vegetior appareat, quod vel ubertati soli, vel dexteritati penicilli tribuendum. Radices quam plurimæ, fibrosæ, capillares. Stipites septem, vel octo, bispithamæi, lineares, læves. Frons simpliciter pinnata. Pinnæ, seu foliola subpetiolata, lanceolata, subtiliter serrata, acuta, longa vix ad dig. duos, lata ad lin. sex. Scapi caulini, gemini, læves, incipientes puncto expansiones frondis. A puncto elevationis supra longitudinem frondis spiculas emittit, quibus dein obducitur scapus. *Habitat ubique inter saxosa, et rupium fissuras.*

385. Polypodium.

1. P. *lycopodioides*. P. foliis lanceolatis, integerrimis; fructificationibus solitariis; surculo squamoso, repente. (Tab. 56.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Habitat Alpibus Fluminensibus. Pertinet ad primam divisionem.

Cryptogamia Filices.

2. P. *pilosella*. P. frondibus lanceolatis, integerrimis, glabris: sterilibus ovatis; fertilibus lanceolatis; fructificationibus solitariis; surculo squamoso. (Tab. 57.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Glabrities frondium, ac surculus squamosus vetavit me eam ad P. piloselloidem referre: sed a cognatione, vel aliquali similitudine cum illa, nomen triviale Pilosellæ, forte contra Cl. Murray præceptum assignavi, a Sapientioribus corrigendum. *Habitat Alpibus Pharmacopolitanis.* Pertinet ad primam divisionem.

3. P. *crassifolium*. P. frondibus lanceolatis, glabris, integerrimis; fructificationibus serialibus. (Tab. 58.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Habitat Alpibus Fluminensibus. Pertinet ad primam divisionem.

4. P. *gladiatum*. P. frondibus lanceolatis, glabris, integerrimis; punctorum serialium duplici ordine. (Tab. 59.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Discriminatur a P. crassifolio punctorum serie duplicata. Cæteris convenit. *Iisdem locis habitat.*

5. P. *integerrimum*. P. frondibus pinnatis, lanceolatis, integerrimis, distantibus; punctis solitariis. (Tab. 60.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Hæc species videtur cum P. exaltato confundi: sed frondes ase invicem remotæ, ut est P. exaltato, seu Plumieriano, aliam amandare coegerunt. Pinnæ sunt alternæ: basis superior inferiore amplior. *Habitat silvis Fluminensibus ad loca umbrosa, saxosaque.* Pertinet ad tertiam divisionem.

6. P. *ensiforme*. P. frondibus pinnatis, lanceolatis, integerrimis; punctis serialibus, surculo squamoso. (Tab. 61.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Frondis præcedenti longiores. Pinnæ sub oppositæ, ase invicem ad digitos duos remotæ. Punctorum series non amplius quam tria in quavis linea conti-

Cryptogamia Filices.

net. Radices quam plurimæ, radiculas laterales per modum pinnæ emittentes. Surculus squamosus. *Habitat locis supra memoratis.*

7. P. *dichotomum*. P. frondibus dichotomis, pinnatis, integerrimis; pinnulis obtusis, glabris, punctis solitariis. (Tab. 62.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Stipes quandoque plusquam cubitalis, linearis, nitidus. Frons ad apicem dichotoma-bifida. Pinnulæ oblongæ, obtusæ, oppositæ, sed non æque; punctis serialibus. Eminentiora, ac sicciora, etiamque aprica loca amat. *Habitat cum maritimis tum mediterraneis.*

8. P. *palmatum*. P. frondibus simplicibus, pinnatifidis, digitatis; lobis oblongis; punctis solitariis. (Tab. 63.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Paras. arborum. Stipes et frons palmum longitudine non exsuperant. Frondi sunt quinque lobi digitorum instar, ad basim aliquantulum angustiores, atque asese invisem remoti, integerrimi, ad apicem vero acuti. Caret squamis, et pilis. *Habitat silvis maritimis ad vetustiora ligna.*

9. P. *pectinatum*. P. frondibus pinnatis, lanceolatis: lobis approximatis, ensiformibus, parallelis, acutis, horizontalibus; radice nuda. (Tab. 64.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Linnæi est supra relata descriptio. Differt a P. nigro R. adm. P. Plumerii quo ad insertionem foliorum in radicibus, quod ex mea sententia, minimi facio.

10. P. *aculeatum* P. frondibus bi pinnatis: pinnulis linearibus, serratis; caudice sub-arboreo, aculeato. (Tab. 65.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Alicui ab A. A. allato non congruere censui. Caudex quamvis sub-arboreus haud multum a terra sese extollit, brachii crassitiem vix superat. Frondes ad apicem confertæ multo longiores evadunt, ad ulnæ longitudinem accedunt. Stipites frondium aculeati. Aculei sparsi. Pinnæ communes alternæ, remotæ, lanceolatæ, bi palmares; pinnulæ minimæ, lineares, serratæ, obtusæ, oppositæ, sensim ad apicem breviores. *Habitat tum maritimis cum mediterraneis.*

Cryptogamia Filices.

11. P. *fluminense*. P. frondibus pinnatis, ensiformibus, integerrimis, sub-oppositis: punctis confertis. (Tab. 66.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Puncta prolifera, etiamsi totum folii discum occupant, attamen seorsim, et aliquali ordine, series multoties perturbatas, vel secundum longitudinem, vel oblique, seu transversaliter, secundum latitudinem discurrentes contemplari desinunt. Nervi foliorum transversales in dorso vix conspici queunt, unde punctorum oritur confusio, seu inordinatis, præcipue extimorum; si ternis, quibus ordinatim, et ordinarie progreditur, quartum naturæ superaddere lubet. Longitudo tripollicaris infimis pinnis est, et aliquibus figura sub-falcata. *Eam prope urbem ad montes Nhandú-aray*. Mayo offendi fæcundam.

12. P. *subulatum*. P. frondibus sub-bipinnatis; pinnis pinnatifidis, oppositis: punctis serialibus: stipite indiviso. (Tab. 67.ª T. 11.)

OBSERVATIONES

Pinnæ subulatæ, sessiles, oppositæ; ad basim lobis productioribus, deinde sensim ad apicem decrescentibus, supremo attenuato, caudato. Puncta prolifica serialia, bina ad extrema nervulorum anasto mosantium propius ad marginem superiorem. *Habitat montibus supra relatis.*

13. P. *hastatum*. P. frondibus pinnatis: pinnis amplis, lanceolatis, integerrimis, oppositis, æque distantibus; suprema hastata, serrata, punctis serialibus. (Tab. 68.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Pinna suprema ad apicem nervulorum transversalium ab utroque latere serraturam effingit. Forte a vetustate erit. Hæc species *Hemioniti maximæ linguæ Cervinæ affini*. R. adm. P. Plumierii ut ex ejus figura colligi potest, in aliquibus assimilatur. *Lecta fuit apud montes Andaray.*

14. P. *palma*. P. frondibus pinnatis, lanceolatis, integerrimis: hinc, et inde bina punctorum serie secundum longitudinem. (Tab. 69.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Singulæ pinnæ vix ad spithamam longæ, ad digitum latæ. Suprema cæteris longior. Punctis binis differt a P. integerrimo, gladiato, atque fluminensi; cum primo sint solitaria; secundo serialia, et ternatim; tertio serialia

conferta, terna, seu quaterno. Cæteris omissis. Accola montium paulo supra relatorum.

15. P. *lanuginosum.* P. frondibus bi pinnatis; stipite sub-lanuginoso; punctis serialibus. (Tab. 70.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Frons simplex, bi pinnata Pinnæ sub-oppositæ, aliquantulum interse distantes. Pinnulæ ad basim usque incisæ, lineares, ad apicem sub-truncatæ. Stipes lanugine rufa. Puncta serialia. *Habitat loco paulo supra citato.*

16. P. *colubrinum.* P. frondibus sub-bi pinnatis, oppositis, ensiformibus; pinnulis obtusis, ad medium usque incisis; punctis serialibus. (Tab. 71.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Frondes maximæ, æque dissitæ. Pinnularum incisiones ad medium usque perveniunt; ad apices tam frons, quam pinnæ sensim attenuantur. *Montanis habitat.*

17. P. *inversum.* P. frondibus pinnatis, ad apicem parum attenuatis, longissimis: pinnis linearibus, sub-approximatis, ad basim usque incisis, non æque oppositis. (Tab. 72.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

18. P. *repandum.* P. frondibus divisis, bi-pinnatis; pinnis communibus lanceolatis, alternis; pinnulis repandis. (Tab. 73.ª T. 11.

OBSERVATIONES.

Hujus speciei stipes in ramos alternos dividitur, quorum frondes lanceolatæ. Puncta prolificantia sectionum, seu pinnularum costulas seriatim sequuntur. *Habitat silvis Nhanduaray.*

19. P. *auratum.* P. frondibus pinnati-fidis, lævibus; pinnis oblongis, distantibus, infimis patulos, *terminali minima, trilobata*; punctis serialibus. (Tab. 74.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Particula *terminali minima, trilobata* descrimen P. aureum inter, et auratum exhibet. Sapientiores videbunt, si pro differencia specifica satis sit, vel si

Cryptogamia Filices.

pro varietate P. aurei assumenda. Pinnæ a basi ad apicem sensim decrescunt: quod itidem in P. aureo vel non bene vel contrarium, hoc est, pinnæ longitudine æquales, exhibetur. R. adm. Plumerii icon videnda. Radix vix squamosa. *Habitat Alpibus Fluminensibus.*

20. P. *fœcundum*. P. frondibus pinnatis, glabris, simplicibus, a basi ad apicem decrescentibus; pinnis lanceolatis, crenatis; punctis serialibus. (Tab. 75.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Pinnæ ensiformes, longiores plusquam palmum unum, ab imis decrescentes. Radix fibrosa perpendicularis, fasciculata. Alpium, et silvarum accola est.

21. P. *squalidum*. P. frondibus simpliciter pinnatis: pinnis lanceolato-linearibus: surculo serigoso, repente: stipite squamoso. (Tab. 76.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Planta brevissima, et parasitica arborum. Surculus repens, radicans, rufis strigis undique obsitus, seu circum vallatus. Stipes bi-pollicaris, squamis lanceolato-ovatis ad peripheriam ex albidis, ad centrum rufis undequaque, sed inordinate, obductus. Pinnæ utrinque septem ad novem, sessiles, lanceolato-lineares, longæ lin. tres, latæ vix unam, oppositæ, integerrimæ, obtusiusculæ, supremæ, et infimæ breviores, subtus squamis etiam sub-rotundis undique inordinatæ tectæ, eodem varietate coloris, qua gaudent stipitis squamæ. Puncta prolificantia non vidi, sed ex dispositione, seu situ squamarum, quarum in centro illorum sedem contemplor, Polypodium esse dixi, non obstante, quod eædem squamæ in stipite videantur, quæ mihi singulare; aliis P. profecto invisum. Certum dicet aliis. *Habitat marit. ad arbores.* Junio puncta natura jam deciderant.

22. P. *serratum*. P. frondibus simplicibus, ensiformibus, pinnatis, serratis; punctis serialibus. (Tab 77.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radix reptans. Stipes lævis, erectus, crassitie pennæ anserinæ. Frons simplex, pinnata, ab imis ad suprema sensim decrescens. Pinnæ sessiles, ensiformes, oppositæ, acuminatæ, exasperate serratæ. Puncta prolifera serialia. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

Cryptogamia Filices.

23. P. *odorum*. P. frondibus bi pinnatis: pinnis ensiformibus: pinnulis pinnatifidis, triangularibus: punctis marginalibus, approximatis. (Tab. 78.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Stipes lævis. Frons bi-pinnata, cubitalis. Pinnæ sub-oppositæ, sessiles, vix palmares, acuminatæ, sub-caudatæ. Pinnulæ triangulares, acutæ, integerrimæ, margine sub reflexa. Infimæ productiores. Puncta fœcundantia, flavescentia, intus ad marginem approximata (lineam, atque ergo Pterim præ contiguitate simulare videntur) cum pinnarum inferiorum lineis sub-decussata, ad medium pinnulæ angulo acuto terminata: aliquantulum odoris spirat; et situ æque, ac contiguitate punctorum. P. pteroidi assimilatur. *Offendi ad montes Nhanduaray.*

24. P. *hirtum*. P. frondibus bi-pinnatis: pinnis altèrnis, acutis: pinnulis alternis obtusis: punctis serialibus, sub-marginalibus, contiguis. (Tab. 79.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Stipes ex albidus, subtiliter pilosus. Frons plusquam pedalis. Pinnæ sessiles, sub æquales, ensiformes, acuminatæ, hirtæ, longæ dig. duos cum semisse. Pinnulæ sessiles, lineari-falcatæ, brevissimæ, dimidio præcedentis, alternantes, integerrimæ, obtusæ, nigro pilo spisse obductæ. Suprema acuminata. Infimæ utrinque productiores. Puncta prolificantia contigua, cum punctis pinnulæ præcedentis alternantia, quamquam non tantum, quantum puncta immediate præcedentis, per interiora marginis, sicut et in illa, stracta, pilo etiam nigro obducta. *Habitat montibus Nhanduaray.*

386. Pteris.

1. P. *caudata*. P. frondibus supra decompositis; pinnis linearibus: infimis basi pinnato-dentatis, terminalibus, longissimis. (Tab. 80.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Cl. Lin. est. Stipes orgyalis, crassus lineas sex, glaber. Frons supra decomposita. Pinnæ sub-alterna, aliquando vero oppositæ. Pinnulæ pinnatifidæ, suprema caudata. Vulgo dicitur *Samambaia*. Offenditur ubique; loca eminentia, siccaque amat. Dicunt ex cineribus potens sal Alcali educi.

Cryptogamia Filices.

2. P. *elegans*. P. frondibus simplicibus, pinnatifidis, sinuatis; pinnis infimis productioribus, inferiora versus trilobatis. (Tab. 81.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Aliqua tenus R. P. Plum.—*Hemioniti profunde laciniatæ ad ozas pulverulentæ* seu P. pedato Cl. Lin. similis est; sed alterutram inspicienti discrimen apparebit. Lobi in Plumeriana iterum sunt pinnatifidi, præcipue infimi, quod in mea ita non se habet. De cæteris supersedeo. *Habitat montibus Nhanduaray.*

3. P. *serrata*. P. frondibus pinnatis, simplicibus; pinnis lanceolatis, serratis, quandoque infimis geminis. (Tab. 82.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Pinnæ infimæ interdum sunt didymæ. Pinnæ utrinque duæ, aut tres æque oppositæ cum impari suprema, aliquando didyma, et cæteris productiores. Radix non repit. Tota planta, ut plurimum, ni fallor, ad duos palmos excrescit. *Habitat silvis maritimis ad Pharmacopolitanas Alpes.*

4. P. *pulchra*. P. frondibus simplicibus, pinnatis, ab utroque extremo attenuatis: pinnis sessilibus, ensiformibus, serratis. (Tab. 83.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa, non repens. Stipa plusquam cubitalis, linearis. Frons simplex, pinnata. Pinnæ ab imis gradatim crescentes, iterumque ad apicem frondis sensim comminuentes, dentatæ, seu exasperato serratæ. Productiores ad bipollicarem longitudinem vix accedunt, breviores vero, seu infimæ granum tritici adæquant. *Ad ripas rivulorum silvis maritimis offenditur.*

5. P. *ophioglossoides*. P. frondibus sterilibus ovata lanceolatis, integerrimis, fæcundis vero subulato-linearibus. (Tab. 84.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Diu de hujus filicis genere dubitavi, cum similem apud A. A. nivenerim nullam, in Pteris genus collocavi linearum marginalium ratione adductus; sed respiciens projectionem istarum linearum fæcundatum, non in iisdem met frondibus foliaceis, sed in aliis (si scapum dicere non debeo) fructificationis propriis, quarum folia ab illis discriminantia sunt, utpote subulata, triviale

Cryptogamia Filices.

nomen Ophioglossoides indidi. Sapientiores rectum judicabunt. Hujus plantæ patrium solum montes sunt *Nhanduaray* dicti.

6. P. *decurrens.* P. frondibus decompositis, supremis simpliciter, imis bi pinnatis: pinnis lineari-subulatis; suprema, et infimis productioribus. (Tab. 85.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Stipes vix ad lineam crassus. Frons composita ad supremum apicem ex pinnis simplicibus, ad imum ex compositis. Foliola, seu pinnulæ lineari-subulata (ros marini instar) tenuia. Bi palmaris altitudine planta erit. *Habitat silvis prædii Exm. Vice Comitis de Asseca, quod vulgo dicitur Tijuca, ad ripas suæ percelebris cataractæ.*

7. P. *crenata.* P. frondibus alterne pinnatis: pinnis crenatis: linea fæcundante angulos faciente. (Tab. 86.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Linea pulverulenta, rufa, fæcundans, serpendo per pinnularum margines, in singulis angulum efficit, cujus basis est linea intermedia, seu pinnæ costa. A brevitate pinnulæ, et circum ductione lineæ fæcundantis vix ulla superficiei pars conspici potest. Pinnæ infimæ per digitum unum inter sese distantes, ensiformes, latæ lin. 2 long. dig. 3. *Montium Nhanduaray, ubi* fæcundantem Mayo inveni, est accola.

8. P. *palmata.* P. frondibus simpliciter pinnatis; pinnis utrinque tribus, lanceolato-falcatis, acuminatis; apicibus serratis. (Tab. 87.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Frons bi pinnata: apex serratus, supremæ pinnulæ ad basim decurrentes, et coalitæ. Haud multum a P. serrata differt, quicum coincidere diu existimavi; sed defectus serraturæ in pinnularum peripheria (forte a linea fæcundante obducta) et pinnularum etiam didymarum eam hic apponere obstrinxit. Vero Botanico veritas hujus speciei servatur. *Habitat silvis mediterraneis transalpinis prope prædium Parição.*

9. P. *adianthoides.* P. frondibus bi pinnatis: pinnis longissimis: foliolis vero brevissimis, ab uno latera bis crenatis; ab alio integerrimis, rectiliniis. (Tab. 88.ª T. 11.)

Cryptogamia Filices.

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Frons bipedalis, exilis, primo oculorum ictui Adianthum referens. Pinnæ sub-oppositæ, longissimæ (sex supra viginti foliola cuivis lateri). Pinnulæ, seu foliola dimidiata videntur; quia ab uno latere lineam curvam, semel, vel bis crenatam, ab alio rectam describunt integerrimam, cui petiolus ad hærescit. *Habitat silvis mediterraneis.*

10. P. *laciniata*. P. frondibus bi-pinnatifidis: pinnis superioribus simpliciter pinnatifidis: infimis vero pinnulis tribus, utrinque iterum pinnatifidis. (Tab. 89.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Frons brevissima, bi pinnatifida. Pinnæ superiores utrinque quatuor, simpliciter fissæ, sensim ad apicem decrescentes: quinta vero, seu infima cæteris productior, inferne tribus lobis, seu pinnulis, etiam fissis. Singulis lobis hinc, et inde sunt fissiones octo. *Habitat parasitica lapidum silvis prope arcem Leme dictam ad cornu sinistrum montium Nhanduaray.*

387. Acrostichum.

1. A. *triste*. A. frondibus pinnatis: pinnis sub-alternis, lanceolatis, integerrimis, obtusis, suprema productiore. (Tab. 90.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Pinnarum longitudo ad dig. duos, latitudo vero ad dimidium. Planta ad Spith. duas. Puncta pulverulenta, quibus ob dicitur coloris virido-atri; unde nomen triviale—triste—et imposui. Mihi speciem novam repræsentavit. *Habitat montibus Nhamduaray.* Mayo fæcunditatem sistebat.

2. A. *album*. A. frondibus bi pinnatis: pinnis lanceolatis, serratis, acutis, ad basim sursum versus auricula singulari: punctis pulverulentis, albis. (Tab. 91.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Pinnæ oppositæ, infimæ productiores, dein ad apicem sensim decrescentes. Hoc de fronde, et de pinnis seorsim intelligendum. Stipis debilis, linearis, atro-ruber. Punctula alba. Montibus *Nhanduaray habitat.*

Cryptogamia Filices.

3. A. *aureum*. A. frondibus pinnatis: pinnis alternis, longuiformibus, integerrimis, glabris. (Tab. 92.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Est. Cl. Lin. Radices crassiusculæ, quamplurimæ, fibrosæ, in alias divisæ, rufescentes, longæ. Stipes crassitie pollicari, lævis, nitidus. Frondes plurimæ, decempedales. Pinnæ utrinque circiter viginti, situ variantes (mox oppositæ, ut plurimum alternæ) pedales, aut semipedales longitudine, bi pollicares, ubi latissimæ, linguiformes, obtusæ equidem, sed brevi veluti mucrone acuminatæ, crassiusculæ, læves, reticulatæ, venosæ. Pars pinnarum aversa ferruginea lanugine obducta, ultimarum vero incrustatione pulviculi fæcundantis coloris castanei inaurati. *Habitat ubique palustribus, et humentibus.*

388. Hemionitis.

1. H. *asplenoides*. H. frondibus pinnatis: pinnis cordato-falcatis, repandis: lineis furcatis ad marginem, et coeuntibus ad centrum. (Tab. 93.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Stipes exilis, sub-niger, cubitalis, vel paulo amplius. Frons simpliciter pinnata. Pinnæ petiolatæ, cordato-falcatæ, repandæ, oppositæ inferne, ad basim aliquantulum productiores, ad apicem vero integerrimæ. Lineæ fæcundantes coeunt ad basim, dein ad apicem linearum singulæ in duas alias abeunt, quibus ramificatio dichotoma perfecta evadit. *Habitat montibus, silvisque Nhanduaray.*

2. H. *humilis*. H. frondibus decompositis, pinnis, seu foliolis ovatis, integerrimis, supra pilosis. (Tab. 94.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radix, seu surculus horizontalis radiculas emittens capillares. Stipes, pedalis, exilis, pilosus. Frons decomposita. Pinnæ infimæ itidem compositæ quinque vel tribus foliolis; suprema simplex. Foliola ovata, superne pilosa. Linneæ fæcundantes semel coeunt in basi; coloris sunt rufi, sicuti in præcedenti. *Habitat silvis Reg. Præd. S. Crucis.*

Cryptogamia Filices.

389. Adianthum.

1. A. *radiatum*. A. fronde digitata: foliolis pinnatis: pinnis unifloris. (Tab. 95.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Est Lin. Radix fibrosa, stolonifera. Stipes sesquipedalis. Pinnæ (seu radii), sex ad septem stipitis sumitate tam quam e centro stellæ in modum) radiatæ, inæquales; productiores ad quinque vel sex digitos; breviores duos cum semisse. Figura foliolorum ad semicordatum accedit, longitudine quinque linearum, latitudine vero trium. *Affatim crescit silvis transalpinis ad scaturigines fluvii dicti Paraiba do Sul prope oppidum Cunha, et ad ædiculam prædii Boacista qua iter fit ad supradictum oppidum.*

2. A. *falcatum*. A. fronde bipinnata: pinnis oblongis: foliolis, seu pinnulis falcatis, latere superiore crenato: punctis proliferis dumtaxat ad crenas. (Tab. 96.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radix fasciculata, filiformis. Stipites multi, palmares, filiformes. Frons bi-pinnata. Pinnæ communes, ut plurimum, quinque; particulares, seu pinnulæ, ut plurimum, undecim ab altero latere cum impari, falciformes, sub-triangulares, quinque vel sex crenatæ ad limbum, seu superiorem marginem, alternæ. Pinna suprema productior, ad basim auriculata, ab utroque latere crenata. Puncta prolificantia dumtaxat ad crenas pinnularum. *Habitat silvis Reg. Præd. S. Crucis.*

3. A. *conicum*. A. fronde divisa; pinnis decompositis: pinnulis ovato-acuminatis, ab utroque latere crenato-proliferis. (Tab. 97.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radix reptans, fibrosa. Stipes bi-palmaris, crassus ad lineas duas. Frons divisa, decomposita. Foliola petiolata, ovato-acuminata, serrato-crenata, basi integerrima. Puncta prolifera ad singulas crenas in utroque latere. *Habitat silvis Pharmacopolitanis.*

4. A. *trapeziiforme*. A. frondibus supra decompositis, foliolis alternis: pinnis rhombeis, incisis, utrinque, fructificantibus. (Tab. 98.ª T. 11).

Cryptogamia Filices.

OBSERVATIONES.

Puto hanc eam esse speciem, qua communiter utuntur Pharmaci, et a vulgo nomine *Arenca* cognitam. Radix fibrosa. Stipites cubitales, plurimi, lineares, nigri. Frons divisa in alias pinnas quam plurimas alternantes. Foliola figura aliquantulum variantia, sed frequentius ad figuram quadrati obtusanguli accedunt, quorum latera, et crenas, et in singulis crenis puncta prolificantia sistunt. *Habitat ubique*, sed in mediterraneis copiosius. Loca umbrosa, humentia præ cæteris amat, et petit.

5. A. *paralellogrammum*. A. fronde bi-pinnata: pinnis approximatis, ad extrema parum decrescentibus: punctis prolificantibus superne ad limbum, aliquando ad apicem. (Tab. 99.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Stipes frutecescens. Pinnæ alternæ, spithamæ ad extrema nonnihil, seu parum decrescentes, sæpissime indivisæ, etiamsi aliquando, sed rarius, ad basim aliqua divisione. Pinnulæ, seu foliola longa dimidium digiti, lata duas ad tres lineas; paralellogrammi instar, angulis extimis obsoletis, costæ, ac sibi invicem approximatæ. Supremum brevissimum. Puncta prolifica ad os supremum, aliquando, etiam ad extimum, quinque ad sex. *Habitat silvis Nhanduaray.*

390. Lonchitis.

1. L. *polypodioides* L. fronde simpliciter pinnata: pinnulis, seu foliolis lanceolato-oblongis, integerrimis: punctis prolificis lunulatis ad discum foliorum. (Tab. 100.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Hæc species vel est genus novum? vel Polypodium, vel Lonchitis? Punctula prolifica lunulata ad marginem sinus postremi notæ characteristicæ sunt L., sed cum situs loci deficiat; nam foliola nullum sinum habent; lunulæ intervallo nervorum sternuntur, ad postremum igitur non pertinere videtur. Situs loci, ubi lunulæ sternuntur, qui postremo equidem non favet, penultimo favere profecto censebitur: sed contra est. Lunulæ figura, cum Polypodii sint puncta, quæ quidem rotunditatem supponunt. Idem de cæteris generibus cum proportione post collationem dicendum: unde æquum judicavi, duo suprarelata genera satius esse commiscere, quam novum condere; quod et feci Lon-

chitim polypodioidem dicens ob alterius utrius mutuam essentiam, donec Botanicus accuratior aliquis aliud decernat congruentius.

391. Asplenium.

1. A. *marginatum*. A. frondibus pinnatis: pinnis oppositis, cordato-lanceolatis, sub-marginatis, integerrimis. (Tab. 101.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Ita Cl. Lin. Radix fibrosa. Stipes spicessit ad crassitiem digiti. Frons simpliciter pinnata. Pinnæ cordato-lanceolatæ (vel potius dicerem) cordato-semifalcatæ. Ala inferior cordis latior, sed brevior; superior productior, sed angustior; apex lineam curvam inferiora versus describit, et aliquantulum coangustatur. Latitudo folioli, ubi magis, ad duos digitos: longitudo ad spithamam unam cum semisse. Lineæ fæcundantes, paralellæ, pene innumeræ utrinque e costa ad limbum. *Habitat silvis ad Alpes, et montes Nhanduaray.* Mayo fæcundatum erat.

2. A. *serratum*. A. frondibus simplicibus, lanceolatis, serratis, sub-sessilibus. (Tab. 102.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Cl. Lin. definitio est. Radix fasciculata, fibrosa, capillaris. Frons simplex, lanceolata, serrata, sub-sessilis, longa pedes duos, lata pollices quinque, ad basim angustissima, ad apicem acuminata. Lineæ fæcundantes ad nervulus anestomosantes. Habitat silvis humidis, ac umbrosis ad ripas rivulorum. *Hunc silvis Regii Prædii S. Crucis offendi.*

3. A. *falcatum*. A. frondibus pinnatis: pinnis falcatis, leviter serratis; suprema productiore, acuminata, dentata. Lineis fæcundantibus brevibus. (Tab. 103.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Stipes exilis, linearis, spithamæus. Frons simpliciter pinnata, sub-æqualis, ad apicem attenuata. Pinnæ vel alternæ, vel oppositæ, distantes, brevissime petiolatæ, falcatæ, leviter serratæ, obtusæ, longæ vix dig., latæ vix dig., semissem; suprema attenuata, productior, acuminata, utrinque dentata. Lineæ

fæcundantes superne ad costulam sex, inferne quatuor: in suprema utrinque quatuor ad singulos dentes. *Montibus Nhanduaray habitat.* Mayo prægnans erat.

4. A. *fruticosum.* A. frondibus bi-pinnatis: pinnis rhomboidibus, leviter serratis: lineis fæcundantibus brevissimis. (Tab. 104.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Stipes fruticosus, crassus ad unciam unam, longus ad duos cubitos. Frons bi-pinnata, multisque pinnis constans. Pinnæ lanceolatæ, sub-æquales, hoc est, parum ad extrema attenuatæ. Longiores bi, vel tri-spithamæ, breviores spithama una. Pinnulæ seu foliola.

5. A. *gradatum.* A. frondibus bi-pinnatis: pinnis sub-oppositis, lanceolatis: pinnulis oppositis, sessilibus, sub-triangularibus, integerrimis. (Tab. 105.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radices fasciculata, capillares, Stipes filiformis, semilinearis. Frons lanceolata. Pinnæ infimæ, supremæ que breviores. Pinnulæ, seu foliola triangularia sessilia, opposita, integerrima, angulo extimo obsoleto, a basi ad apicem gradatim decrescentia, unde ei triviale nomen *gradatum* imposui. Lineæ fæcundantes oblique utrinque discurrentes. *Silvis Pharmocopolitanis habitat.*

392. Blechnum.

1. B. *fluminense.* B. frondibus pinnatis: pinnis ensiformibus, ad basim ore extrinsecus adstante. (Tab. 106.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Radix fibrosa. Stipes cubitalis. Frons simpliciter pinnata Pinnæ sessiles, integerrimæ, acuminatæ, glabræ, longæ spithamam, et semissem, latæ, ubi magis, lineas tres. Lineæ prolificantes abasi ad apicem usque, apiculo excepto, utrinque cum costula coeunt. *In summis montium Nhanduaray inventa.*

2. B. *suburbicum.* B. frondibus pinnatis: pinnis falcatis, lanceolatis, oppositis, ad basim superne sub-auriculatis, inferne circinatis suprema cristata. (Tab. 107.ª T. 11.)

Cryptogamia Filices.

OBSERVATIONES.

Radix exiles, capillares. Stipes exilis, spithamæus. Frons simpliciter pinnata, lanceolata, cristata. Pinnæ sessiles, falcatæ, integerrimæ, ad basim superne sub-auriculatæ, inferne circiniatæ, et ad apicem usque sub-curvam describentes lineam; suprema vero productior, acuminata. Pinnarum lateralium longitudo dig. unum, latitudo Lin tres. *Montium Nhanduaray indigena est*; unde triviale nomen *suburbicum* acquisivit.

393. Trichomanes.

1. F. *volubilis*. F. frondibus pinnatis; pinnis pinnatifidis. (Tab. 108.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Stipes volubilis, filiformis, teres, niger, lævis. Frons pinnata, alterna. Pinnæ foliolis constantes pinnatifidis, utrinque quindecim, impari supremo excepto, dumtaxat ad apicem attenuatæ; ad basim vero sub-æquales. Pinnulæ sub-sessiles, alternæ hinc, et inde quatuor, vel quinque, supremæ impari excepta, apicibus furcatis. *Habitat montibus saxosis Nhanduaray, et Cairossú ad Pharmacopolim*. Mayo fæcunda erat.

2. T. *reptans*. T. frondibus simplicibus, pinnatifidis, reptantibus. (Tab. 109.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Stipes reptans. Frons simplex, pinnatifida. Singulis lateribus pinnarum fissuræ, seu radii sunt novem plus, minusve, apice furcato, cujus ori, seu limbo calyx fructificans, seu fæcundans inest. *Habitat silvis Regii Prædii S. Crucis.*

3. T. *pinnata*. T. frondibus simplicibus, pinnatis; pinnis alternis, angulatis. (Tab. 110.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Stipes, sicut caterarum, repens. Pinnæ alternæ, alterno-angulatæ. *Habitat silvis Regii Prædi S. Crucis.*

Cryptogamia Musci.

394. Marsilea.

1. M. *natans*. M. foliis oppositis, simplicibus. (Tab. 111.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Est Cl. Lin. definitio. Radices crassiusculæ, filiformes, indivisæ, vessiculis prolificantibus plenæ. Stipes flexuosus, seu funiformis, crassus vix unam lineam, pilosus, radicans. Frons simplex, pinnata. Pinnulæ (seu foliola) subrotundæ, oppositæ, conniventes, approximatæ, integerrimæ, utrinque pilosæ. Fructificatio sub-rotunda, quadricapsularis, radicibus inhærens. *Habitat fossam paludosam, stagnantem, vulgo Brasilico Apeay dictam, silvis Regii Prædii Sanctæ Crucis, ubi eam offendi, et observavi.* Mayo fuit ame semel adspecta.

CRYPTOGAMIA.

MUSCI.

395. Lycopodium.

1. L. *cernuum* L. foliis sparsis, curvatis; caule ramosissimo; spicis nutantibus. (Tab. 112.ª T. 11.)

OBSERVATIONES.

Est. Cl. Lin. definitio. Stipes erectus, teres, ramentis linearibus, pili in modum, undequaque, sed non spisse obductus; longus cubitum unum; crassus lineam unam. Rami ejusdem naturæ, et figuræ, ac stipes, sub-oppositi, patentes, in ramusculos alios divisi, qui ad medium iterum, ad extrema quoque demum sunt furcatim sub-divisi. Fructificatio terminalis in summitatibus ramusculorum, clavata, cernua, squamosa. *Habitat montibus Nhanduaray.*

2. L. *plumosum*. L. foliis bifariam patentibus: superficialibus semi-ovatis, ciliatis, surculis erectiusculis; spicis terminalibus, tetragonis, sessilibus. (Tab. 113.ª T. 11.)

Cryptogamia Musci.

OBSERVATIONES.

Est. Cl. Lin. Stipes filiformis, teres, repens, foliosus. Rami alterni, patentes, sub-divisi, erectiusculi, ejusdem naturæ, et figuræ ac Stipes. Folia caulina, et ramea, sessilia, minima, lineari-falcata, alterna, et distantia ad Stipitem, opposita, et approximata, ad ramusculas. Fructificatio terminalis ad sumitatem ramusculorum. Spicula simplex, sessilis, quadrata, squamosa. Dichotomiam, de qua Cl. Dillenius in suis definitionibus, et R. adm. Plumerius in ejus icone mentionem faciunt, videtur mihi in planta mea vivam non satis exhiberi, et si ramusculi aliqua furcatione non careant. *Habitat locis nuper citatis.*

BIBLIOGRAPHIA

Nota das publicações recebidas em permuta com os «Archivos do Museu Nacional do Rio de Janeiro», em 1880

Aarau.....—Mittheilungen der Aargauischen Naturforschenden Gesellschaft 2 Heft.

Alger..... —Bulletin de la Societé d'Agriculture, 22e année N. 71.

Amsterdam..... ....—Jaarboek van de Koninklijke Akademie van Wetenschappen, voor 1876, 77, 78.—Verhandelingen der Koninklijke Akademie van Wetenschappen 1877, 78, 79: 17, 18, 19 Deel.—Verslagen en Medeilingen der Koninklijke Akademie van Wetenschapen, Afdeelinge Naturkunde. 1877, 78, 79, 11, 12, 13, 14 Deel.

Annaberg da Saxonia.—Jahresbericht des Buchholzer Vereins fur Naturkunde, 1880, 5 Jahr.

Batavia..... ..—Tijdschrift voor Nederlandsch—Indie, 1879, Deel. 38, Zevende Serie, Doel 8.

Berlim..... ....—Zeitschrift für Etnologie, 1878, Heft 5, 1879, Heft 1, 2.

Boston. . . ..—Report of the Trustees of the Museum of Comparative Zoology, at Harward College; together with the Report of the Director for 1872 and the Report of the Curator to the Committee on the Museum for 1876.

Braunschweig.....—Dr. Wilh. Blasius. Die Neuaufstellung des Herzogl: naturhistorischen Museums zu Braunschweig.

Bremen.....—Abhandlungen Herausgegeben von Naturwissenschaftlichen Vereine, 1877, Beilage No. 6; 5 Bd. 3 Heft—1878, 5 Bd. 4 Heft—1879, 6 Bd. 1 Heft.

Bruxellas .....—Annales de la Société Entomologique, 1878, tome 21. — Annales de la Société Malacologique, Tome 11 (2e Serie, Tome 1) 1876. — Annales de l'Observatoire Royal, nouvelle serie, Astronomie, tome 1, 2; 1878-79. — Annuaire de l'Academie Royale des Sciences, des Lettres et des Beaux-Arts, 1877, 43e année; 1878, 44e année.—Annuaire de l'Observatoire Royal, 1879 et 80, 46e e 47e années. — Bulletin de la So-

ciété Royale de Botanique, 1879, tomes 17e e 18e.—Bulletins de l'Académie Royale des Sciences, des Lettres et des Beaux-Arts, 1876 et 77, 2e serie, tomes 41, 42, 43 et 44.—Bulletin de la Société Royale Linnéenne, 3e année, 1874, 1re et 2e Livraisons, 5e année 1876, tome 5e, 1re jusqu'à la 7e, 11e et 12e Livrs., 6e année 1877, tome 6e, 10e, 11e et 12e Livs., 7e année 1878, tome 7e, 1re, 2me et 12me Livs.— Compte Rendue de la Société Entomologique, serie 2e Nos. 58 et 59, 1878.— Procès-Verbaux des Séances de la Société Malacologique, Tomes 6e et 7e, années 1877 et 78.

Buenos-Ayres.....—Anales de la Sociedad Cientifica, 1879, tomo 7, entrega 5, tomo 8, entrega 5 y 6. 1880, tomo 9, entrega 1, 4 y 5, tomo 10, entrega 1 asta la 5—Dr. C. Berg, Hemyptera Argentina y la Reina de las Flores.

Cambridge.....—Bulletin of the Museum of Comparative Zoology at Harward College, vol. 2, No. 2, part 1, vol. 4 July 1878, vol. 5 Nos. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, part 1, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15 and 16, vol. 6, Nos. 1, 2 and 4, vol. 7 (Geol. ser. v. 1). No. 1.—Samuel Henshaw, The Writings of John L. Leconte. --Memoirs of the Museum of Comparative Zoology at Harward College vol. 5, No. 2, vol. 6 Nos. 1 (1st part) and 2.—Psyche Advertiser, vol. 2, Nos. 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49 to 52, 53 to 56, 57, 58, 59, 60, 63, 64. vol. 3 Nos. 69, 72, 74 and 75. Annual Report of the Curator of the Museum of the Comparative Zoology at Harward College far 1878-79.

Chiavari.....—Atti della Società Economica, Luglio 1877, Giugno et Luglio 1880.

Christiania.....—Dr. Michael Sars, Oversigt of Norges Echinodermer.

Copenhague..... —Oversigt over det Kongelige Danske Videnskabernes Selskabs Forhandlinger og dets Medlummers Arbejder e Aaret 1876, 77, 78, 79, 80. J. J. A. Worsaae, La Colonisation de la Russie et du Nord Scandinave; La Conservation des Antiquités et des Monuments Nationaux en Danemark.

Cordova.....—Boletin de la Academia Nacional de Ciencias, 1879, tomo 3, entrega 2 y 3.

Curityba.....—Relatorios apresentados á Assembléa Legislativa em 4 de Junho de 1879 e 16 de Fevereiro de 1880 pelo Presidente Manoel Pinto de Souza Dantas Filho.

Dantzigue..... .....—Schriften der Naturforschenden Gesellschaft, 1880 Neue Folge. Vierten Bandes, viertes Heft.

Florença.....—Archivio per l'Antropologia et la Etnologia 1879—Nono volume, Fasciculo Terzo. 1880 Decimo volume, Fascicolo primo e secondo.

Fortaleza.....—Pedro II.—Reform Club.

Genova.....—Atti della R. Università 1880. Volume 4. Parte 1.

Ghent.....- J. Vander Swaelmen's Special offer to trade of lilies, etc.

Halle..... ....—Abhandlungen der Naturforshenden Gesellschaft, 1880 14 Band.

Hamburgo.....—Abhandlungen ans dem Gebiete der Naturwissenschaften, 1880, 7 Band.

Harlem.....—Archives Néerlandaises des Sciences Exactes et Naturelles, 1879-80, tomes 14 et 15.

Harrisburgo.....—Fontaine and White, The Permian or Upper Carboniferous Flora of West Virginia, 1878. White, Geology of Mercer County, 1880.

Heidelberg.....—Verhandlungen des Naturistorisch—Medicinischen Vereins, 1879. Neues Folge, 2 Band, 3 und 4 Heft.

Helsingfors.....—K. Ad. Moberg, Finlands Geologiska Undersoking, 1880.

Hyères.....—Établissement d'Horticulture de F. Ducommum & Ce.

Joinville.....—Gazeta de Joinville.

Kiel.....—Mittheilungen des Vereins nördlich der Elbe, 1857, 1 Heft, 1860, 4 Heft, 1861-62, 5 Heft, 1863, 6 Heft, 1866, 7 Heft, 1868, 9 Heft: Schriften des naturwissenschaftlichen Vereins für Schleswig-Holstein, 1873, 75, 77, 78; 1 Band, 1, 3 Heft; 2 Band, 2 Heft; 3 Band, 1 Heft.

Kônigsberg.....—Schriften der Kóniglichen Physicalischen Okonomischen Gesellschaft, 13 Jahrgang, 1872, 2 Abtheilung.

Lousanna.....—Bulletin de la Société Vaudoise des Sciences Naturelles, 16me vol. N. 83.

Leervarden.....—A. J. Andreae, De Vrije Fries, 1880. Register van den Aanbreng van 1511, Deel 1, 2, 3, 4. Gesta Abbatum Orti Sancte Marie, Aem. W. Wybrands. Emen-vyftigst Verlag der Candelingen van het Friesch Genootschap.

Leide..... .....—Rijksmuseum van Oudheden en het Rijks Ethnographisch Museum, gedurende het Jaar 1876-77. Tijdschrift der Nederlandsche Dierkundige Vereeniging, 1879, 4 Deel, 3de en 4de Aflevering, 1880, 5 Deel, 1ste en 2de Aflevering.

Linz.....—Bericht über das Museum Francisco Carolinum, 30 35 und 36.

Lipsia.....—Actenstücke Brasilianischer Seite,betreffend die Colonisation des Kaiserreiches, 1861, 3 Jahgrang, 3 Heift. Catalog K. F. Köhler's Antiquarium No 326.

Lisboa..... .....—Boletim da Sociedade Geographica, 1880, 2ª serie n. 1. Jornal de Sciencias Mathematicas, Physicas e Naturaes, tomos 1 a 4, faltando o n. 14; tomo 5 e os ns 21, 22, 25, 26 e 27. Portugaliæ Monumenta Historica, vol. 1, Scriptores, fasc. 1, 2 e 3, Diplomata et Chartæ, fasc. 1, 2, 3 e 4. Legum et Consuetudinem, fasc. 1 a 6 et Index Generalis. E. Perceval Wright, Notes on Sponges. Revista de Obras Publicas e Minas, Anno 6, tomo 6, n. 37. Sessão Publica da Academia Real das Sciencias, em 12 de Dezembro de 1875 e em 15 de Maio de 1877. Sociedade de Geographia, Questões Africanas, O Zambeze, viagens por A. de Castilho.

Londres.....—Abstracts of the Proceedings of the Geological Society, Session 1878-79, No. 364. Journal of the Antropological Institute, 1880, No. 4, No. 1. Bernard Quaritch's Catalogues of Books, Nos. 44, 45, 47, 311, 322, 326, 328, 329, 331 and June 1879, A History of Bookbinding in France.

Luneburgo.....—Jahreshefte des Naturwissenschaftlichen Vereins fûr das Fûrstentum, 7, 1874-78.

Luxemburgo.....—Publications de l'Institut Royal Grand Ducal, tome 14 et 15, 1874-75. F. Renter, Observations Météorologiques, 2me. volume.

Maceió.....—Diario das Alagôas. O Liberal.

Manáos.....—Amazonas.

Manchester.....—Transactions of the Geological Society, session 1878-79, vol. 15, part 9 to 18.

Maranhão.....—O Paiz.

Melbourne..... ...—Transactions of the Philosophical Society of Victoria, 1855, vol. 1.

Metz..... ... .—Mémoires de l'Académie, 59me. année, 1877-78.

Mexico.....—Boletin del Ministerio de Fomento de la Republica, tomo 4, n. 131 a 157. Revista Cientifica, tomo 1, n. 1.

Middelburgo.....—Willem III En de Middelburgsche Magistraat—H. Kern, Nertomarius, Dacinus—J. H. de Nehalennia Altaar met afbeelding—G. A. Fokker, Iets over de Bevolking van Middelburg—Repertorium van Charters en Bescheiden—De Oudst Bekende Keur op he Bereiden van en den Kandel in Meckrap, in Zeeland—A. A. Fokker, De Ongezendheid van Zieland—J. H. Van Dale, Naamlijst van de Poorten, Torens & enz der Stadt Sluis—J. C. de Man, Beenderen van den Mammouth—Een Elandshoorn opgevischt in de Schelde—B. C. Can, Eenige Geschlsdkundige Bijzonderheden Betreffende den Polder Schouwen—A. J. Van Deinse em E. Fokker, Iets over Armenverzorging in Vroegere Dagen—J. Van Vloten, Uit Bellamy's Nagelaten Brieven en Papieren—J. Van Der Baan, Philippus en Petrus Lansbergen—Laurens Pieter van de Spiegel, Gedachten over de Dea Nehalennia—J. Broekema, Cornelis Cornelisz, Willem Ba-

rends en hurme tochtgenooten—K. R. Pekelharing, Bijdragen voor de Geschiedenis der Kervorming—J. C. de Man, Beschrijving van eenige in het strand van Walcheren Gevonden Schedels—A. Magielse, Middel van Stroormafleiding tot Ontzet der Aangevallen Oevers in Zeeland—Nog Eene Verordening op het Delven, Reeden en Keuren van Meide—J. Verheije Van Citters, Verhandelingen; Overgedrukt uit; Archief uitggeven door het Zeewsch Genootschap der wetenschappen. F. Caland, Twe Rekeningen der Stad Hulst uit de serste helft der XVI seuw—Dr. A. A. Fokker, In Memoriam—G. A. Fokker, De Lomberd en de Bank van Leening—J. H. de Stöppelaar, Het Papier in de Nederlanden Gedurende—J. P. N. Ermerins, Inventarissen der Boedels van willem Symonsz—M. F. Lantsheer, Brief van J. Boreel. Testament van Adriaan Beverland; In Memoriam Naamlijst van Directeuren en Leden van het Zeuwsch Genootschap der wetenschappen, 1874-79.—Zelandia Illustrata. 1866, Erste aflevering, 1867 Tweed afl., 1870 Derd afl. 1876, Vierde afl., 1878 Twed dul, erst afl.

Milão.....—Atti della Società de Scienzi Naturali, 1874, vol. 16, fasc. 3 et 4, vol. 17 fasc,. 1, 2 e 3, 1875.

Montpellier.....—Academie des Sciences et Lettres, mem. de la sec. des sc., année 1876, tome 9, 1er. fasc. 1877-78, 2me. fasc.—Louis Collot, Description Géologique d'Aix.

Moscou.....—Bulletin de la Société Imperiale des Naturalistes, année 1879, Ns. 2, 3 et 4.

Munich.....—L. Radlkofer, Ueber Cupania und damit verwandte Pflanzen, 1879.

Napoles.....—L'Incoraggiamento, 1865, anno 1, fasc. 7. Rendiconto dell'Academia delle Scienze Fisiche e Matematiche, anno 15, 1876.

Nova-Havana.....—Transactions of the Connecticut Academy of Arts and Sciences, vol. 1, 2 3 and 4 part. 1.

Nova-York.....—Metropolitan Museum of Art, tenth Ann. Rep.— The Popular Science, Monthly, vol. 16, n. 2, vol. 18, n. 3, 4, 5 and 6 — Correspondencia dos Estados Unidos.

Offenbach sobre o M...—Bericht über die Thatigkeit des Offenbacher Vereins fúr Naturkunde in den Vereins-jahren vom 9 Mai 1875 bis 13 Mai 1877.

Paris.....—As Aguas Alcalinas Gazosas de Vals.— M. Bouchardat, Do emprego do vinho de S. Raphael— Bulletins de la Société d'Anthropologie, tome 3me, 1er et 1er fasc.—Bulletin Mensuel de la Société d'Acclimatation, 3e Serie, tome 6e, n. 9 et 11, tome 7e, ns. 3, 4 et 5.—Catalogues des Livres d'Alphonse, Picard, ns. 12, 13 et 14—Catalogues des graines récoltées au Museum d'Histoire Naturelle—Dr. C. M. J. Ferrier, Acção Physiologica do Vinho de S. Raphael — Journal de Physique Théorique et Appliquée, tome 9me, ns. 97, 98, 99, 100, 101, 102, 103, 104 et 105. —Journal de l'Anatomie et de la Physiologie normales et pathologiques, 16me année, ns. 1, 4 et 5.—Journal de la Société Centrale d'Horticulture de France, 3me Serie, tome 1er, Dec. 1879, tome 2me Janv., Fev., Mars, Mai, Juin, Juillet et Août 1880.—M. Germond de Lavigne, Considerações sobre o Vinho de S. Raphael.

Penzança.....—Transactions of the Royal Geological Society of Cornwall, vol. 10, part 1 and 2.

Plimouth.....—The Sixty-fourth Annual Report of the Council of the Royal Geological Society of Cornwall.

Philadelphia.....—The Naturalist's Leisure Hourand Monthly Bulletin, vol. 2, n. 11, 12, vol. 3, n. 1, 2.—The Naturalist's Agency Catalogue, Part first : Minerals.

Piranhas.....—A Locomotiva.

Pisa.....—Alti della Società Toscana di Scienze Naturali, vol. 2 adunanze dei di 9 novembre 1880 e 14 Marzo 1880.

Rapenburgo.....—Catalogue de Livres, E. J. Brill, 1880.

Reichenbach.....—Mittheilungen des Voglandischen Vereins fúr allgemeine und specille Na turkunde, 1877, 3 Heft.

Rio de Janeiro.....—Annaes Brazilienses de Medicina, tomo 31, ns. 1 e 2.—Annaes da Bibliotheca Nacional, Vocabulario Guarany.—Annaes do Parlamento Brazileiro, Camara dos Senhores Deputados, Sessão de 1881.—O Auxiliador da Industria Nacional, anno de 1879.—Honorio Bicalho, Estudos sobre a largura das estradas de ferro.— Collecção de Leis e Decisões do Governo do Brazil, annos de 1877, 1878 e 79.—Ewbank da Camara, Caminhos de ferro nacionaes.— R. F. Fairlie, Exposição sobre a largura das estradas de ferro do futuro.— Holland Brothers, Proposta para o abastecimento d'agua da Cidade do Rio de Janeiro.—C. Lemaire Teste, Estudos sobre os calculos de triangulação e nivelamento geodesico.— Dr. C. A. Marques, Diccionario Historico, Geographico e Estatistico do Espirito Santo —A. Pereira Pinto, Politica Tradiccional. —Relatorio apresentado na 3ª sessão da 16ª Legislatura pelo ministerio da Agricultura.— Relatorios e Annexos apresentados pelo ministerio da Agricultura nos annos de 1877, 78, 79 e 80.—Revista Agricola do Imperial Instituto Fluminense de Agricultura, 1879, vol. 10º.—Revista Brazileira, tomo 1º, n. 3.— Revista de Engenharia, 2º anno, ns. 1 a 11 — Diario Official.—Cruzeiro.—Revista Illustrada.—Gazeta de Noticias.

Rio Negro.....—J. Wilkens de Mattos, Roteiro da viagem do vapor Monarcha.

Roma.....—Bollettino della Società Geografica Italiana, anno 10º, serie 2ª, 1876, vol. 13, fasc. 3.—Bollettino del R. Comitato Geologico d'Italia, 1879, anno 10, vol. 1, ns. 1 a 12—Dott. E. Raseri, Materiali per l'Etnologia Italianna

Santarem.. .....—Baixo Amazonas.

Saratoga.....—P. W. Sheafer, The Anthracite Cool Fields of Pennsylvania.

Sgravenhaguo .....—Tijdschrift voor Entemologie, 33 Deel, Jaargang 1879—80, 1, 2, 3, 4 Afleveringen.—Verslagen Omtrent's Rijks Verzamelingen van Geschie elenis en Kunst, 1 1878.

Vienna.....—Orto Botanico della R. Universitá, supplemento al catalogo dei semi dell'anno 1877.

Urbana.....—Proceeding of Central Ohio Scientific Association vol. 1, part 1.

Valença.....—O Tempo.

Vassouras.....—O Municipio.

Vienna d'Austria.....—Dr. Franz Steindachner, Die Süsswasserfische des súdóstlichen Brasilen, 4; Beitrage zur Kenntniss der Flussfische Sudamerika's; Uber Einige und Seltene Fisch-Arten K. K. Zoologischen Museun zu Wien, Stuttgart unn Warschau.

Washington.....—Townend Glover, Manuscript Notes from is Journal.— Stephen Powers, Tribes of California.—Annual Report of the Boards of Regents of the Smithsonian Institution, for the years 1871, 72 and 77.—C. A. White, Contributions to Paleontology, from n. 1 to 8.

Zurich .....—Vierteljahrsschrift der Naturforschenden Gesellschaft, 1876, 21 Jahrgang, 1, 2, 3, 4 Heft, 1877, 22 Jahrgang, 1, 2, 3, 4 Heft.

INDICE DAS MATERIAS DESTE VOLUME

Commissão de Redacção V
Quadro do pessoal do Museu Nacional do Rio de Janeiro. VI
Membros Correspondentes do Museu . . . . . VII e VIII
Algumas palavras sobre a publicação n'estes Archivos do texto completo da «Flora Fluminensis», de Fr. José Marianno da Conceição Velloso. IX
Floræ Fluminensis seu Descriptionum Plantarum Præfectura Fluminensi Sponte Nascentium, etc. 1
Bibliographia 463

Art. 19.—O Museu Nacional publicará trimensalmente, pelo menos, uma revista intitulada: *Archivos do Museu Nacional*.

Nessa revista dar-se-ha conta de todas as investigações e trabalhos realisados no estabelecimento, das noticias nacionaes ou estrangeiras que interessarem ás sciencias de que se occupa o Museu, lo catalogo das collecções mais importantes, dos donativos feitos ao estabelecimento, e dos nomes das pessoas a quem seja conferido o titulo de que trata o art. 7º § 5º

Serão publicados de preferencia os trabalhos originaes do pessoal docente.

Art. 20.—A commissão encarregada da redacção e publicação dos *Archivos do Museu Nacional* compor-se-ha do Director Geral, um Director de Secção e um Sub-Director.

O orçamento da despeza será, porém, organizado pelo Conselho Director, em cada anno, e submettido á approvação do Ministro.

Art. 21.—Será remettida gratuitamente a revista ás bibliothecas e estabelecimentos scientificos e litterarios do Imperio, fundados pelos poderes publicos ou por iniciativa particular, e bem assim ás bibliothecas e estabelecimentos estrangeiros com os quaes mantenha o Museu relações ou convenha estabelecel-as.

Igual remessa poderá ser feita ás redacções dos periodicos e revistas, nacionaes e estrangeiros.

(Do Regulamento do Museu Nacional.)

Toda a correspondencia d'esta publicação deve ser endereçada ao Director Geral do Museu.

Os Archivos do Museu Nacional serão distribuidos gratuitamente aos Membros Correspondentes, da mesma sorte ás Instituições Scientificas, em permuta ás suas revistas

---

As assignaturas pagam-se ao amanuense João da Motta Teixeira, no mesmo Museu.

ASSIGNATURA

6$000 POR ANNO.

New York Botanical Garden Library
3 5185 00258 9289